PRAELECTIONES
IURIS CANONICI

QUAS

IN SCHOLA INSTITUTIONUM CANONICARUM

HABEBAT

P. MARIANUS DE-LUCA S. I.

NUNC TEXTUS DECRETALIUM

PROFESSOR IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

ET S. CONGREG. CONCILII CONSULTOR

INTRODUCTIO GENERALIS





ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

M DCCC XCVII

3921

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/praelectionesiur0000pmar

PRAEFATIO

Emi Card. Camilli Tarquini in hac Universitate Institutionum Canonicarum antecessoris quoad doctrinam et methodum vestigia sequuti, has praelectiones typis edendas exhibuimus, quas peritissimi viri non modo probarunt, verum etiam easdem in publicum prodire haud inutile censuerunt. Hoc autem eo libentius facimus quod eorum bene multi, quos habuimus auditores ad 15 annos, usque efflagitarunt, ut totum opus nostrum iam lithographice impressum meliorem lucem adspiceret iurisque omnino publici fieret: quorum praesertim auditorum votis parendum esse nos diuturna experientia docet: tantae enim multitudini praelectiones praesertim explicatae magis ab eo, quo praeceptore usa est, conclusionum canonicarum memoriam probe excitant, et totam commodius instaurant.

Lithographice iam a pluribus annis universi iuris canonici veluti summam exaravimus uberiorem praesertim iis, qui non possunt scholam textus canonici frequentare, ut sic brevi compendio accuratam eorum, quae scitu omnibus in iure necessaria sunt, expositio-

nem, una cum classicorum quorumdam auctorum commendatione acciperent, ita ut, illis ducibus, nostram methodum servantes uberrimam deinceps canonum disciplinam haurire possent. Cum hoc compendium iuris sit, omnia, quae vigent in iure nostro, succincte, perspicue ac ordinata scientifica methodo continere debuit. Iam foliis lithographicis integrum opus quinque in libros tributum procedit: quorum primus isagogicus est, seu generalis introductio, ceteri sunt de personis, de rebus, de iudiciis, de delictis et poenis, quae apud scriptores usitata partitio hactenus fuit.

Quae folia accuratius expolita et aucta in typos vertimus, initium ducentes a libro isagogico seu prolegomenis, quae si legentibus probentur totiusque operis desiderium magis magisque excitent, illud, Deo favente, prelis committere alacrius festinabimus.

Materia nova non est, cum Ecclesiae legibus constare debeat: porro in his exponendis probatos Auctores pone sequimur; ita tamen, ut, si lapides, ut ita dicam, sint alieni, aedificatio nostra sit. Methodus breviter sic procedit ut eorum, quae tractanda sunt, natura ac definitione tradita, regulae distinguantur canonicae seu principia huius practicae scientiae ita coordinata, alia aliis cohaereant, ut unum corpus efficiant, atque ad practicas solvendas quaestiones inserviant. Brevitati simul et perspicuitati sic studendum in hoc opere concinnando mihi fuit, ut logico ordine integram traderem Iuris Canonici summam ita explicatam, ut facili negotio tyrones intelligerent, et omnes ferme casus ad hanc exigerent excuterentque.

Non ingenii laudem quaerere, sed disciplinae ecclesiasticae amorem et studium fovere, iura ac leges

Sanctae Matris Ecclesiae in aperto ponere ac tueri consilium fuit, quod in maiorem Dei gloriam cedat. Hinc in tota hac mea lucubratione sollicitus fui, ut non solum doctrinae sinceritati consulerem, sed etiam rerum ordini ac perspicuitati prospicerem. Utrum, quod mihi propositum fuit, attigerim, iudicet benignus Lector.

Lege itaque haec, Lector benevole, nec lege solum, sed aequi bonique consule: placere multitudini lectorum stultum esset expectare. Non placebunt, scio, omnibus omnia: id enim fieri posse, humanitatis limites transcendere, iam antea mihi perspectum est. Ceterum mihi satis erit, si hoc qualecumque opus aliquam praesertim clericis utilitatem afferat, eam saltem, qua, multiplicatis libris, occasio praebeatur tum adolescentibus acre ac impensum studium SS. Canonum in se excitandi, atque exercendi, tum peritioribus Doctoribus melius feliciusque exequendi, quod mihi fuit in votis.

INTRODUCTIO GENERALIS

SEU

LIBER ISAGOGICUS

IURIS CANONICI

AD INTRODUCTIONEM IURIS CANONICI

PRAENOTANDUM

Primo sub limine totius tractationis considerare haud brevi mora DD. solent tum naturam et generalem Iuris universim accepti et speciatim Ecclesiastici partitionem, tum originem, vices, fontes..., et hisce similia, quae iuris ecclesiastici prolegomena nuncupantur. Nobis hunc morem sequutis prius liceat sequens praemittere *praenotandum:*

1. Postquam Ecclesiae potestatem in semetipsa consideravimus, i. e. naturam ac limites eius deprehendimus; ac deinceps eiusdem subiectum idest personas, in quibus illa ex divina Christi institutione residere debet, cognovimus; quae duo sunt unde totum coalescit Ius publicum ecclesiasticum (1); eo iam procedendum est, ut videamus quemadmodum potestas illa in actum eruperit, seu quod idem est, quemadmodum personae, quibus illam Christus commisit, eadem usi sunt ad Christifideles sibi subditos dirigendos, ut Ecclesiae finem assequi possent.

2. Haec autem disquisitio duplex obiectum duplicemque scopum habere potest, unde duplex eademque diversa exoritur

(1) Cursum Iuris Ecclesiastici publici, quod hic supponimus, lithographice iam exaratum, sicut et libros omnes de personis, de rebus, de iudiciis, de delictis atque poenis, iam foliis lithographicis aliquot abhinc annis concinnatos, in schola Institutionum Canonicarum huius Universitatis Gregorianae auditoribus tradidimus.

scientia. Si enim omnes leges omnesque earum variationes inquiras, quae ab instituta Ecclesia factae sunt, *historiam habebis iuris canonici et ecclesiasticae disciplinae:* sin autem (quod nobis praecipue proponimus) eas tantum recognoscas, quae actu vigent, et quas Ecclesia subditis suis in praesentiarum indicit ad finem sibi propositum obtinendum, en ipsum tibi praesto erit *ius canonicum.*

3. Ergo Ius canonicum est **scientia systematis legum quibus Ecclesiae politia** (1) **seu modus in ea conversandi determinatur ut et Ecclesia ipsa rite conservari et quicumque in ea vivunt, finem eidem propositum assequi valeant.** Hinc ius canonicum si *obiective* illud consideres, est *systema legum,* quibus Ecclesiae politia determinatur etc.; sin illud *subiective* respicias earumdem legum *est scientia.* Quae quidem scientia ut rite teneatur, 1. Prolegomenorum instar, de canonica iurisprudentia generali seu de legibus canonicis in genere dicendum est, ut et easdem reperiendi via pateat, et earumdem actualis valoris germanique sensus iudicandi ratio innotescat; 2. Singillatim leges ipsae exponendae sunt, et earum systema explicandum; qua in re ipsum situm est ius canonicum.

In hoc 1°. libro Isagogico, seu introductione generali, de legibus canonicis in genere, agimus: in caeteris ipsas singillatim leges exponemus.

(1) Politia πολιτεια respublica, status civitatis, Principatus et consuetudo rerum secundum quam vivere unumquemque et conversari decet. *Arist. in Rhet.*

LIBER ISAGOGICUS

SEU DE LEGIBUS CANONICIS IN GENERE.

4. Porro in hisce prolegomenis inquirenda nobis proponimus: I. Quaenam notio, divisio et quodnam subiectum atque obiectum iuris canonici; II. Tum de legum canonicarum fontibus disserendum, etsi in fine iuris publici ecclesiastici agi soleat; paucis hinc, III. Quaerimus, quaenam sint collectiones antiquae legum canonicarum; et paullo accuratius, IV. Quae sint harum nunc usu receptae collectiones, unde leges ipsae cognosci possunt atque inde dicuntur *fontes cognoscendi*: et V. Tandem quibus regulis actualis earum valor, germanusque sensus deprehendi valeat.

SECTIO I.

DE NOTIONE, DIVISIONE, SUBIECTO ET OBIECTO IURIS CANONICI.

In hac sectione prius de generica iuris notione breviter agendum, tum de notione in specie iuris ecclesiastici privati, deinde de obiecto materiali et formali, tandem de qualitate huius studii in relatione ad alias disciplinas: hinc quatuor §§.

§ 1. DE NOTIONE IURIS IN GENERE ET PARTITIONE.

Summarium. — Statuta multiplici Iuris acceptione asserimus, 1) eam esse omnium radicem qua ius significetur iussum seu lex, non solum relative si vocabulum ad scientiam iuris coarctetur, sed etiam absolute si res consideretur: 2) ex qua notione tamquam propria et principali intelligitur varia quaedam iuris partitio.

Declaratur multiplex notio, ostenditur prima ceu radix esse tum absolute tum relative qua ius dicatur *iussum.*

5. Novem acceptiones iuris usitatiores recensentur a Gregor. de Valentia *(de Virtut. disp. 5. q. 1. p. 1. § Sed accipimus).*

1. *Quidquid quovis modo bonum et aequum est:* scil. quidquid est licitum et natura conveniens, quidquid est aequum et consentaneum rationi, quod est velut generale obiectum virtutis in genere aut specie, prout significat aequitatem, quae unicuique debetur. Unde huius iuris scientia dicta est a Celso *ars boni et aequi:* et quod § 1. *ff. de Iustitia et Iure,* « *cuius merito quis nos sacerdotes appellet. Iustitiam namque colimus et boni et aequi notitiam profitemur, aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum quoque exhortatione efficere cupientes* ».

2. *Quidquid est legi cuicumque conforme* seu legitimum, qua scil. *Aug. de Civit. Dei l. c., c. 21.* ait « Quod iure fit, iuste fit, legi scil. divinae et naturali consentaneum ».

3. *Legitima facultas ad aliquid* (e. g. ius possidendi) i. e. potestas moralis moraliter inviolabilis, seu irrefragabilis aliquid agendi, vel omittendi aut obligandi alterum ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum prout nempe significat attributum personae. Hoc sensu dicitur *nemo plus iuris aut potestatis transferre potest in alterum quam ipse habeat, L. Nemo 54 ff. de R. I.*

4. *Sententia ipsa quae a iudice profertur* ius dicitur (Ius dicere). Per hanc enim sententiam alicui decernitur vel dicitur ius seu adiudicatur, quod ipsi debetur, quia *iudex sententiam proferens ius proferre censetur: L. Ius pluribus 11. ff.* Est enim sententia iudicis velut lex quaedam, non quidem publica sed privata, per quam inter partes litigantes Ius dicitur, et pronuntiatur quid iustum sit et alteri debitum, quid item legitimum et legibus consonum. Et hoc verum est etsi per accidens iudex iniquam sententiam proferat, ut ait *Paulus Ic. l. c.* « *Praetor quoque ius reddere dicitur etiam cum inique decernit, relatione scilicet facta ad illud quod Praetorem facere convenit, non ad id quod ipse fecit* ».

5. *Locus ius dicitur:* qua proin in ius vocare, iri, duci, comparere ac sistere dicimur *L. Ius pluribus c.* Sic *Ulp. L. voluit* § *Quod ait* « *Ius eum solummodo locum esse ubi iuris dicendi vel iudicandi gratia iudex consistat* ». Et *Cic. pro Mur.* « *Ego te in iure conspicio* ».

6. *Necessitudinis vinculum* unde ius agnationis, cognationis,

affinitatis quis dicitur habere ad haereditates vel tutelas, et tunc ius videtur velut fundamentum iuris accepti pro aequo alteri debito.

7. *Lex seu iussum* unde ius naturale, positivum quod scilicet Lex naturae, aut humanus legislator ita praescribit: iussum scil. seu lex generalissimo modo sumpta.

8. *Legum complexio* aut scientia iuris: unde dicitur Ius romanum, iurisperitus. Sicut enim medicinae nomen initio impositum est ad medicamenta significanda et postea ad habitum scientiae translata est, ita ius primo legi significandae impositum, postea scientiae legum. Unde *Ulp. de Iust. et Iur.* ait « *Iuri i. e. scientiae legum operam daturum prius nosse oportet unde nomen iuris descendat* » et definitur ab eod. *l. c., ars boni et aequi,* quam definitionem explicat *Iustin.* § *Iurisprudentia* 1. *Inst. tit. eod.* « *Iurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia* » i. e. cognitio seu peritia praeceptorum divinorum et humanorum, quae docent, quid iustum vel iniustum, aequum vel iniquum sit. Hinc appellatio iuris studiosi, periti, doctoris, professoris.

9. *Id quod iustum est per aequalitatem unius cum altero,* quasi ius per apocopen ab iusto dicatur, scilicet quod aequalitatem servat. Unde ius sic appellatur iuxta Arist. propter scil. aequalitatem rei cum re, cuiusmodi aequalitatem, ait hic, exsurgere quodammodo inter binas partes cuiuspiam rei bifariam divisae; quin imo ex bifaria hac in aequales partes partitione, originem seu etymon vocis του δικαιου iuris seu iusti deducit. Sic enim ipse *(Eth. l. 5. c. 7.)* aequale autem medium est inter maius et minus arithmetica proportione δια τουτο και ονομαζεται δικαιον, οτι διχα εστιν, ωσπερ αν τις ειποι δικαιον και ὁ δικαστης διχαστης *propterea etiam appellatur iustum seu ius quia bifariam sit, perinde ac si quis diceret in duo aequalia divisum et iudex veluti bipartitor* (qui scil. in duas aequales partes dividit).

Demonstratur radix omnium harum acceptionum. Iamvero si quaeratur quaenam ex recensitis acceptionibus propria sit ac veluti radix, ad quam caeterae per quamdam analogiam reduci possent vel a qua dimanare concipiuntur; respondet De Valentia l. c. « Quae acceptio (scil. nono loco

posita ad significandum iustum per aequalitatem quamdam unius cum altero) huius nominis videtur esse primaeva et maxime propria et a qua derivatae sunt reliquae iam dictae ». Probat autem hanc suam assertionem ex Arist. *l. supra cit.*

Nos autem arbitramur ius si spectetur *relate* ad scientiam prout significat obiectum eius h. e. quatenus eo exhibetur systema legum quibus societas aliqua ordinatur, ut et conservari et finem suum assequi possit, ius idem esse ac iussum, praeceptum, canonem atque adeo sub hoc respectu primaevam certo esse maximeque propriam iuris significationem. Lex scil. canonica *regula iusti :* nam cum legibus nonnisi id quod iustum est sive debitum inter cives vel erga rempublicam statuatur, factum est, ut ipsae leges tum divinae tum humanae iura appellarentur: adeoque in hac significatione ius nihil aliud sit nisi regula iusti et iniusti, quod enim regula seu norma est in aliis rebus e. g. linea in geometria, id est ius in republica ad quod facienda exigi vel mensurari debent. Hoc sensu Isid. ait « Ius generale nomen est, lex autem scripta est species iuris ». Hoc sensu dicitur aliquid esse liquidi, explorati, aut dubii iuris, aliquis laborare ignorantia iuris. *Cf. Suarez de leg. l. 1. n. 4. 8. Schmalzg. Proleg.*

6. Nihilominus etiam absolute rem considerantes dicimus *radicem primam esse etiam legem seu iussum.* Prima radix est ea a qua caeterae per quamdam analogiam dimanant et ad quam caeterae reduci possint: atqui caeterae acceptiones iuris a iussu seu lege dimanare atque ad iussum reduci aptius possunt. Nam aliqua debet esse radix: porro inter recensitas acceptiones nonnisi septima esse potest. Non ultima seu 9ª. quia si ius illud dicitur quod per aequalitatem quamdam *unius cum altero iustum est,* norma ut de hac aequalitate iudicetur, adsit oportet. Atqui haec alia esse non potest nisi ea suprema et aeterna lex (iussum) quae caeterarum fons est ac moderatrix. Hinc summum ius dicitur Deus: sicut de suprema lege ita de iure Dei solent efferre e. g. Ius divinum est ius constituens, imprimens, fons et origo cuiusque iuris constituti, est aeternum quid mundum universum ordinans et regens imperando et prohibendo, a quo norma omnium legum humanarum sumenda est ut agnoscatur quid recte aut perperam

in his constitutum sit, quia iuxta *D. Paulum ad Roman. 13.* « *Non est potestas nisi a Deo* ». Qua in re *Aug. l. 1. De lib. arb. c. 5. non est potestas.* « In temporali lege nihil est iustum quod non ex lege aeterna homines sibi derivaverint ». Atque adeo illa dicitur bene ordinata Respublica, in qua cives magistratibus, Magistratus legibus, et leges parent aeternae Dei legi. Hinc in republica atheorum et materialistarum nullum esse potest ius sed bruta vis. *Cfr. Syllab. prop. 1. et 2.* Hinc

Patet porro quod prima et secunda acceptio iuris possit ad hanc referri. Ast etiam tertia intelligitur sic reducibilis: cur enim inest huic talis potestas ad aliquid ita ut praeferatur aliis in hac re neque ab ullo impediatur nisi quia lex aeterna Dei stat « ordinem naturalem servari iubens et perturbari vetans » ? Porro ad ordinem naturalem pertinet ut homines possint iura acquirere et servare, habere meum et tuum. Tandem quartam, quintam et sextam acceptionem reducibiles esse ad septimam patet ex supra explicatis.

Partitio Iuris.

7. Porro ex tali acceptione tamquam radice constituta intelliguntur aeque facile iuris variae partitiones, quatenus lex seu iussum procedit a diverso legislatore, obligat universos aut quosdam, proponitur scripto vel moribus inducitur: iamvero tales divisiones apte et immediate non possent intelligi si aliis acceptionibus fundarentur tamquam in radice. Est ergo ab illa 7ª. caeterarum derivatio, a iuris consultis magis recepta, planior aliis, *qua semper dicatur ius esse id quod iussum est scil. id quod vel Deus vel natura vel Princeps vel populus vel consuetudo iubet.*

Quoad partitionem iuris in genere, hoc dividitur in Ius naturale et positivum: Positivum vero divinum et humanum. Humanum tandem in ius gentium, civile et canonicum.

Ius naturale est voluntas Dei necessario obligantis intimata nobis per lumen rationis a Deo auctore naturae omnibus insitum, quo agnoscimus aliqua necessario facienda quia intrinsece bona, e. g. colere Deum, facere proximo quod quis vult sibi fieri; aliqua esse necessario omittenda, quia intrinsece mala, e. g. blasphemare Deum, peierare, mentiri.

Ius positivum est ordinatio rationis sive lex libera Dei aut hominis aliquid praecipientis, vel prohibentis voluntate inducta.

Ius gentium non primarium, quale sumitur in quibusdam legibus, et coincidit cum iure naturali, sed *ius gentium proprie* hic est id quod quidem rationi naturali conforme est, et in ea fundatur ac inde profluit, non tamen necessario ac simpliciter solo naturae instinctu est inditum nobis, neque etiam a determinato Regno vel Principe ortum habet, sed supposita humana societate et communicatione politica, necessitate huius convictus sic exigente inter omnes vel fere omnes gentes, non scriptura sed moribus est constitutum vel per modum legis praeceptivae aut prohibitivae vel per modum potestatis permissivae.

Ius civile est ius positivum auctoritate principis vel magistratus saecularis conditum et ad rectam reipublicae civilis gubernationem, pacem et salutem temporalem immediate ordinatum.

Sed accedamus tandem ad notionem iuris canonici in specie.

§ 2. NOTI IURIS CANONICI EIUSQUE SUBIECTUM.

Summarium. — Data a) definitione iuris canonici, b) explicatur varium nomen ei factum, c) eiusque subiectum.

Notio.

8. Iuxta supra dicta de vocabulo iuris relate ad scientiam, sumi potest ius canonicum *obiective* pro ipsis canonibus seu constitutionibus ecclesiasticis; *metonymice* tamquam continens pro contento, quo sensu volumen seu corpus canonum vocatur ius canonicum; *denominative* pro disciplina seu scientia ipsa canonum quae retinens nomen sui obiecti et principii, pariter audit ius canonicum. Iamvero obiective spectatum communiter (*cf. Maschat Proleg. Inst. can. n. 4*) definiri solet *ius positivum a summa potestate ecclesiastica conditum, dirigens actiones fidelium ad bonum spirituale et ultimo ad vitam aeternam. Denominative* autem est, uti diximus, facultas seu scientia huius

iuris. Definitio autem modo allata non differt ab alia, qua ius can. asseritur, « *Systema legum quo Ecclesia suam potestatem per idoneum subiectum pro triplici functione legifera, iudiciaria, coactiva, ad actum reducit* ».

Potestatem i. e. perfectam iuxta naturam societatis perfectae qualis est Ecclesia. Et quoniam perfecta societas esse nequeat sine triplici functione legifera, iudiciaria, coactiva, hinc additur pro triplici potestate.

Ad *actum* reducit: unde leges Ecclesiae appellantur etiam *acta ipsius* qua in re ipsum ius privatum distinguitur a iure publico Ecclesiae, quod inquirit 1) *in aptam distinctionem personarum, eorum scil. qui praeesse ab iis, qui parere debent, seu de magistratibus generatim:* 2) *in vires scil. potestatem totam, qua pollet Ecclesia ut possit efficaciter urgere socios ad finem proprium consequendum.*

E contra ius privatum ecclesiasticum seu canonicum est huius potestatis exercitium. Haec definitio magis cohaeret cum definitione iuris ecclesiastici in genere, *systema legum, quibus Ecclesia Christi ordinatur ut rite conservari et finem suum assequi valeat;* et iuris publici ecclesiastici in specie, *systema legum, quibus Ecclesiae constitutio definitur;* ita ut clare pateat distinctio iuris publici a privato iure Ecclesiae: illud est ius constituens et exhibens Ecclesiam praeditam triplici potestate legifera, iudiciaria, coactiva, residente ex Christi institutione in quibusdam determinatis subiectis quamvis diverso modo et gradu: hoc autem est Ius constitutum seu id quod procedit ex hac triplici potestate obligatorio modo propositum.

Alii autem ad causas indicandas iuris canonici, atque subiectum circa quod versatur, definitionem aliis verbis exhibent ut *Zech. (Praecogn. iur. can. tit. 1.)* « *Ius positivum quod ex Scripturis divinis atque ex regulis priscorum Patrum de rebus ad Dei cultum ac Religionem pertinentibus, a Pontificibus Ecclesiae catholicae traditum, constitutum vel approbatum fuit, ad rectam fidei et morum inter Christianos constitutionem* ».

Unde patet 1) *causam efficientem* proximam iuris canonici esse Rom. Pontificem vel solum vel una cum Concilio oecumen.; 2) *materialem* ex qua constat ius can. esse scripturas divinas, Regulas Patrum, decreta Conciliorum, Pontificum Con-

stitutiones; 3) *formalem* esse α) in *traditione* quatenus sunt a RR. PP. tradita seu recepta ex veteri quadam *traditione* ut scripturae canonicae, opuscula Patrum: β) in *Constitutione* quatenus quaedam *constituta* sunt a RR. PP. sive in synodis oecumenicis, ut Canones Conciliorum generalium ab illis confirmati, sive extra, ut decreta Pontificum et epistolae decretales: γ) in *approbatione* quatenus quaedam a RR. PP. sunt *comprobata* et confirmata, e. g. quaedam particularia Concilia, Compilationes Decretalium etc.; 4) *finalem* esse proxime bonum vitae Christianae maxime in actibus externis relucens, remote salutem aeternam *c. 8. d. 10.;* ad hoc enim tendunt iura ecclesiastica.

De multiplici appellatione iuris ecclesiastici seu de variis nominibus.

9. Quinque inter caetera recenseri solent nomina, scilicet: 1. *Canonicum a* κανων i. e. sapientia ad persuasionem ingerendam: Ecclesiae *a*) nempe leges quamvis uti tales verum contineant imperium, tamen cum non possunt errare quoad fidem et mores, et cum insuper conditae sunt sub assistentia Spiritus S. ad hoc ut sint vera norma fidelibus, profecto persuadent magis, quam caeterae, atque adeo *vera regula* κανονες sunt. Solet *b*) ideo Ecclesia appellare suas leges canones, non quod hi non contineant imperium, sed ut *nomen legis* proprium fieret *legi divinae:* atque ut moneret, fideles suas leges blando hoc nomine sequi sapientia magis regulae, quam necessitate legis.

2. *Ius sacrum:* nomen sumit *a*) tum ab auctore: est enim persona sacra, quae ex potestate sacra sibi a Deo tradita leges condit; *b*) tum a materia quia tractat materias sacras; *c*) tum a fine quia dirigit ad finem sacrum, qualis est sanctificatio et salus aeterna animarum.

3. *Ius Pontificium:* quaecumque enim lex Ecclesiae nullatenus potest efficere ius commune nisi *sanctione,* h. e. confirmatione *R. Pontificis* munita sit: unde ratione auctoris, a quo immediate dimanat lex, *ius Pontificium* appellatur.

4. *Ius Ecclesiasticum* ratione *a*) tum materiae, agens de

rebus et personis ecclesiasticis, *b*) tum originis, quia auctoritate ecclesiastica est constitutum.

5. *Ius divinum: ut in c. Cum de diversis 2. de Privileg. in 6.* « *Providimus quod ibidem* (scil. apud Sed. Apostolicam) *de caetero regatur et vigeat studium Iuris divini et humani, canonici videlicet et civilis* » : ubi vox *divinum* non dicit quod Ius canonicum immediate a Deo conditum sit, sed quod a Sede Apost. et Oecum. Conciliis constituatur instinctu Dei Ecclesiam suam dirigentis.

Subiectum.

10. Quinam subditi sint legibus seu Iuri Ecclesiae. Universim dicitur omnes baptizatos subiectione vel praestita vel debita pertinere ad Ecclesiam, non baptizatos vero pertinere *destinatione,* quamvis debito actuali subditi non sint. Quod omnes ordinentur et pertineant ad Ecclesiam vel destinatione vel actuali subiectione, patet ex eo, quod Ecclesia sit necessaria Societas, extra quam salus dari nequeat: unde necesse erat signum initiationis, quod Christus baptismate instituit. Lex itaque canonica proponitur Christifidelibus ipsosque afficit schismaticos et haereticos non vero Iudaeos, quia illi et isti, non autem hi per ianuam baptismi ingressi sunt in Ecclesiam. *Quid mihi,* aiebat Paulus, *de iis, qui foris sunt iudicare... Nam eos qui foris sunt iudicabit Deus. 1. Cor.* Dixi haereticos et schismaticos. Quia cum hi per baptismum effecti sint membra Ecclesiae, ob sceleris turpitudinem legibus Ecclesiae se subducere nequeunt, atque nemo ex suo delicto meliorem conditionem suam facere potest: neque iuvat asserere haereticos esse membra de corpore Ecclesiae abscissa: nam ita appellantur quoad Communionem, non vero quoad characterem.

Lex canonica imponitur ipsis etiam supremis magistratibus et Principibus civilibus *can. 5. dist. 96.* ubi Ioannes Papa ait « *Si Imperator catholicus est, filius est, non praesul Ecclesiae. Quod ad Religionem competit, discere ei competit, non docere: Deus enim voluit saeculi potestates esse subiectas* ».

Quos omnes iuris canonici subiectos sequitur, uti patet, effectus primarius, et immediatus tum obligatio ad observan-

tiam ss. canonum *cap. 1. de constit.* « *Canonum statuta custodiantur ab omnibus* », tum obligatio ad scientiam harum legum proportionatam cuiusque statui. *Ita can. 1. dist. 38.* « *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sciant igitur sacerdotes scripturas sanctas et canones* » etc. Cui consonat *L. 12. C. de I. et F. I.* « *Constitutiones Principum nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus* ».

Unde *Nicolaus I. c. 2. dist. 20. recte* rescribit Photio « *Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi. Si vero habetis et non observatis, de temeritate estis corripiendi et arguendi.*

§ 3. OBIECTUM 1) MATERIALE, ET 2) FORMALE IURIS CANONICI.

Summarium. — Obiectum 1) materiale circa quod versatur ius canonicum sunt fides et mores, seu disciplina Ecclesiae; 2) formale vero est ipsa rectitudo essentialiter per actum socialem inducta, seu fides, mores, disciplina in externa sociali manifestatione, qua regimini Ecclesiae subsunt: seu prout exercitium potestatis Ecclesiae sua sanctione munitum attingit actum socialem.

Obiectum materiale.

11. Obiectum iuris canonici est obiectum legislationis Ecclesiae quod determinatur a fine adaequato ipsius: quaecumque enim competunt societati ex fine eius adaequato prodeant necesse est. Unde cum finis adaequatus Ecclesiae sint sanctificatio animarum et salus aeterna, obiectum legum ecclesiasticarum versatur circa omnia media: quae praeter media a Christo fundatore iam immutabiliter constituta, sive mediate sive immediate conducunt omnes et singulos Christifideles ad utrumque efficaciter obtinendum. Atqui sanctificatio necessaria necessitate medii ad salutem non sine gratia et cooperatione hominis per rectam fidem et bonam vitam obtinetur. Ergo exercitium seu acta potestatis ecclesiasticae ordinantur ad conficienda et administranda sacramenta iuxta Christi Domini institutionem ut gratia rite conferatur; atque ad efficaciter ur-

gendos homines ad hanc cooperationem seu ad rectam fidem et bona opera seu bonos mores. Scilicet aliis verbis obiectum legis Ecclesiae sunt *fides, mores, disciplina* (1): *fides* quidem tum in habitu tum in actu: *mores* seu actus honestate supernaturali informati et meritorii vitae aeternae et generatim bona opera, de quibus omnibus monet Paulus « *sine fide impossibile est placere Deo, fides sine operibus mortua est, charitatem autem non habuero; nihil sum* ». *Disciplina*, quo nomine hic intelligimus regimen membrorum Ecclesiae, externum religionis ac virtutum exercitium. Unde canones fidei, morum et disciplinae.

Canones fidei proprie sunt qui continent aliquam veritatem divinitus revelatam atque ab Ecclesia omnibus Christifidelibus firmiter credendam atque profitendam propositam. Ad quam rem *Canus de loc. theol. l. 5. c. 5. q. 4.* « Summorum Pontificum Conciliorumque doctrina, si toti Ecclesiae proponatur, « si cum obligatione etiam credendi proponatur, tum vero de « fidei causa iudicium est ». Porro in ipsis iuris canonici collectionibus praesertim antiquis plures eiusmodi canones inveniuntur, et ipse Gratianus in suo decreto inseruit, exhi-

(1) Quod requiratur tum fides tum bona opera, PP. asserebant sub duplici regula credendi scil. et agendi: « *Prima salus est regulam rectae fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare* » *Hormisd. in form. Prof. fidei.* Unde in fide et bonis operibus lex Christianorum subsistit. Atqui Ius can. est regula vitae et morum, ergo Ius can. utraque hac regula credendi et agendi continetur. —

Et quamvis Iuris can. scriptores Regulam credendi fere praeterire solent occupatam iam a TThh., tamen numquam quisque a iure can. eam divellere potest; hinc plures Canonistae quasdam fidei regulas attingunt, praesertim ut regulam agendi ipsorum propriam planius exponant. Multae sunt de ecclesiastica disciplina leges ita coniunctae cum Regulis fidei, ut neque illarum observatio sine fide, neque fides sine illis consistere possit. Exempla sunt in Concilio Gangrensi cuius ss. canonibus Regulae seu varia disciplinae ecclesiasticae capita stabiliuntur, atque simul Eusthatii errores confutantur, per quos fides cum disciplina petebatur. Ac de omnibus disciplinae regulis principium sit alta in mente repostum RR. PP. veterum « Maiorum canonica statuta veluti quaedam fundamenta sunt ferendis fidei iacta ponderibus » *Zosim. ad Afr. Episc.* « Si una fides est, manere debet una traditio: si una traditio est, una debet disciplina per omnes Ecclesias custodiri » *S. Siric. ep. ad Gallos Episc.*

bentes quae sit catholica fides, e. g. de Unitate Dei et personarum Trinitate, de Dei praescientia et praedestinatione, de angelorum et hominum creatione, de primi hominis lapsu, de Christo unico mediatore. Et in Decretalibus etiam plures praeter tit. de Summa Trinitate et de fide catholica, passim de sacramentis et eorum effectibus, de infallibilitate S. Scripturae, de unitate Ecclesiae, de Primatu R. Pontificis etc.

Canones morum versantur circa ea quae agenda vel omittenda sunt scil. in proponendis explicandisque praeceptis naturalibus et supernaturalibus: *naturalibus,* cuiusmodi plures canones sunt tam in Decreto quam in Decretalibus, e. g. de pactis, de iureiurando, de homicidio, de adulterio, de furtis, usuris, iniuriis aliisque id genus, quibus moralia praecepta illustrantur et speciali Ecclesiae sanctione muniuntur: *supernaturalibus,* ut sunt plures canones de praecepto Communionis paschalis, confessionis annuae, atque eiusmodi.

Canones disciplinae generatim praeter dicta α) feruntur ad removenda pericula contra fidem et mores, seu ut alii dicerent, ad puritatem fidei, ad honestatem morum, ad divini cultus sanctitatem tuendam: β) speciatim vero versantur 1. *in tutela fidei et morum* quatenus gravissimas poenas constituunt in eos, qui in fide vel moribus deliquerint; adeoque huc pertinent censurae et aliae poenae statutae in haereticos, schismaticos, sortilegos, adulteros, homicidas etc. ferendae vel latae sententiae vel arbitrio Ordinarii relictae; 2. *in determinandis praeceptis divinis et naturalibus,* e. g. tempus, modum ad ea observanda: e. g. canones de observatione diei dominici, de communione paschali, de confessione annua, de celebratione Missae; 3. *in regenda societate ecclesiastica:* hinc canones de electionibus, de institutionibus, de vita et honestate clericorum, de iudiciis. Haec tria speciatim ad Ecclesiae Politiam dicuntur pertinere: per ea namque ordo externus Ecclesiae regitur et conservatur.

Obiectum formale.

12. At cum fides, mores, disciplina Ecclesiae sint quoque obiectum Theologiae dogmaticae et moralis, nec non et Historiae ecclesiasticae, quae omnes disciplinae inter se et a iuris

canonici scientia distinguuntur, quaeritur quatenus ad ius canonicum pertineant. Huic quaestioni respondemus.

Ius canonicum est systema legum, quo Ecclesia suam potestatem per idoneum subiectum pro triplici functione legifera, iudiciaria, coactiva, ad actum reducit; et leges nil aliud sunt, nisi media ad finem obligatorio modo proposita naturae sociorum elevatae proportionata: atqui *a*) propositio horum mediorum necessario respicit actus externos, sociales, in commune bonum tendentes non solum individuorum, sed totius Societatis perficiendae. Sociis enim, ut conspirent una eademque mediorum collatione, proponuntur talia media obligatorio modo. Ergo leges non meram actus veritatem aut moralitatem respiciunt, prout conformes sunt regulae fidei unde veritas theologica; aut regulae morum, unde moralitas; sed prout actus sociales sunt, seu in externa sociali manifestatione, qua Ecclesiae regimini subsunt. Hinc ut bene advertit *Zech (Praecog. tit. 1. § 26.),* Iurisprudentia canonica non considerat (tantum) singulos fideles more Theologiae moralis: sed universam Rempublicam christianam, aut singulos relative ad Communitatem ecclesiasticam cuius sunt membra. Neque *immediate* respicit internam animae sanctitatem; sed determinat potissimum externa, ut omnia ordine et honeste fiant, oculo tamen semper intento ad finem primarium Ecclesiae, scilicet salutem internam in hac vita, qua obtineatur demum felicitas aeterna in altera.

Imo hos externos actus attingunt et moderni scriptores, cum ius canonicum obiective definiunt, e. g. Aichner (Compend. iur. eccl. § 3) « Complexus legum a legitima auctoritate conditarum, *quibus ordo externus Ecclesiae determinatur et actiones fidelium diriguntur ad finem Ecclesiae proprium* ». Ordinem igitur iuris et Politiam Ecclesiae praecipue spectat ius canonicum. Et re quidem vera leges (1) sociales in bonum Communitatis sunt ordinatae, proinde semper ad sarta tecta tuenda, servanda, et omnibus viribus promovenda iura tum sociorum inter se, tum inter ipsos et Societatem, quatenus

(1) Ad rem Taparelli, *Elementi di diritto, n. 174.* « Il fine immediato per cui opera direttamente la società è il bene comune esterno ordinato all' individuale interno di tutti gli associati, e subordinato al loro ultimo fine ». *Cf. Saggio di diritto* eiusdem Auctoris, n. 724.

praesertim ad ordinem externum, atque ad pacem tranquillitatemque eorum necessum erit: quae profecto omnia sine externa relatione et manifestatione sociali, qua regimini Ecclesiae subsint, intelligi nequeunt. β) Considerentur leges seu canones Ecclesiae, non solum quatenus sub hac ratione ab Ecclesia proponuntur, sed quatenus leges sunt ipsius Ecclesiae munitae sanctione, quamvis sanctio non fuerit expressa. Ratio est a *S. Thoma (1. 2. q. 92. a. 2. in v. Id autem)* sumenda: scilicet efficax est lex, si habeat coniunctum id, per quod inducit lex ad hoc ut sibi obediatur, i. e., timorem poenae seu sanctionem. Ergo ius canonicum considerat leges, quatenus versantur directe et immediate circa actus externos, publicum socialem Ecclesiae ordinem respicientes, et sint sua sanctione munitae. *Hinc dici potest obiectum formale iuris canonici esse fidem, mores, disciplinam, prout haec media sunt obligatorio modo proposita ad finis assecutionem, seu prout lege ecclesiastica sua sanctione munita proponuntur.*

§ 4. RELATIO SCIENTIAE CANONICAE AD ALIAS SCIENTIAS.

Summarium. — Hinc intelligitur 1) effatum *Ecclesia non iudicat de internis*, **2) discrimen inter ius canonicum et caeteras theologicas disciplinas, atque inter civilem iurisprudentiam: 3) ius canonicum esse scientiam nobiliorem ipso iure civili eamque practicam, 4) cuius studium clericis ut pernecessarium commendatur.**

Ad Quaest. **An Ecclesia iudicet de internis.**

13. Resp. Animadvertatur in primis 1) heic agi non de actibus internis mixtis cum externis, sed de pure internis, de quibus saltem iuxta probabiliorem et communem sententiam negamus posse Ecclesiam iudicare: et quidem 2) directe iudicare et praecipere non posse dicimus, posse autem indirecte; 3) neque nobis est sermo de impossibilitate rei secundum se, sed de facto, nempe Christum Dominum, etsi potuisset, si voluisset, hanc potestatem Ecclesiae tribuere, eam tamen non dedisse; 4) atque tandem res est de foro externo, non autem de foro interno. Nam « Dico, ait *Suarez De Leg. l. 4.* « *c. 12. n. 8.*, praeterea potestatem ecclesiasticam in tota sua

« amplitudine duplicem esse, scilicet fori interni et externi. « Quas ita distinxit et declaravit *D. Thom. 4. dist. 18. q. 2.* « *a. 1. quaestiuncula 1.* quod in foro conscientiae causa agitur « inter hominem et Deum, in foro autem exteriori causa agitur « hominis ad hominem. Hinc ergo fit ut prior potestas possit « versari circa actus interiores, imo potissimum illos respiciat « quia per illos maxime ordinatur homo ad Deum et in illis « consistit interna salus singulorum fidelium propter quam « maxime haec potestas datur. Et ob eamdem caussam actus « huius potestatis ad iurisdictionem pertinent, quam iuristae « vocant *voluntariam*, quae exercetur in commodum subditi, « seu rei et ad petitionem vel consensum eius, quia interior « salus et reconciliatio cum Deo voluntaria esse debet. Cer- « tum est autem legislationem non esse actum huius potestatis « et ideo ab illa nullum sumi argumentum: at vero potestas « ecclesiastica quatenus gubernativa est totius Communitatis, « ut sic, habet etiam suam materiam proportionatam, nimirum « actus externos ad gubernationem etiam Ecclesiae exteriorem « pertinentes, et ad hunc ordinem pertinet potestas ecclesiastica « ut legislativa est. Nam licet ecclesiasticae leges etiam or- « dinentur ad finem supernaturalem et ad internum bonum « animarum, non tamen immediate operando illud sed media « honestate actuum externorum, circa quos proxime versan- « tur ».

Porro his praenotatis iam patet resp. ad quaes. ex hucusque dictis. Nam 1) potestas legislativa, iudiciaria et coactiva ordinatur ad externum et commune Ecclesiae regimen, ut in ea omnia convenienter et ordinate fiant: ergo per se versari debuit circa solos exteriores actus. Hi enim dumtaxat sunt, utpote sensibiles et externi, materia apta potestatis legislativae et generatim gubernativae Ecclesiae, quae est corpus visibile; 2) aliis verbis, Ecclesia extra Tribunal Confessionis non potest neque cognoscere, neque iudicare actum pure internum sine omni externo: quia non potest, utpote visibilis, iudicare, nisi de actu externo, scilicet cadente sub sensu: actus nempe mere interni per se ac natura sua, non autem mere per accidens, sunt incognoscibiles atque impunibiles. Insuper hic ordo 3) est consentaneus humanae naturae, quia ut recte

S. Thom. 1. 2. q. 91. a. 4. iuxta rei naturam et ordinariam legem solus actus exterior potest humana lege praecipi, qui potest per homines iudicari, ita ut sermo sit de iudicio per sententiam hominis proferendo. 4) Praeterea nullum iudicium huius potestatis ex SS. Scripturis, quia occulta iudicia semper reservantur Deo: *1. Cor. c. 4. v. 5.* « *Nolite ante tempus iudicare usque dum veniat dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* 5) Neque etiam RR. Pontifices de hac potestate mentionem aliquam fecerunt, sed potius ubique significant haec esse extra forum suum, cum tamen alias iurisdictionem suam totam saepe explicent ac tueantur. 6) Ma« gnum argumentum, ait *Suarez l. c.,* est quod hactenus nulla « Lex Ecclesiae lata sit de mere internis, quod cum numquam « factum sit, signum est fieri non posse. Et re quidem vera, « loca plurima extant in iure quibus se hanc potestatem non « habere affirmant ipsi Pontifices Romani praesertim *c. Sicut* « *tuis* et *c. Tua nos (de Simon. tit. 3. l. 5.)* nobis solum datum « est de manifestis iudicare ». *Cf. c. Erubescant, dist. 32.*

De discrimine inter ius canonicum et caeteras disciplinas.

14. Intelligitur **discrimen inter ius canon. et caeteras theol. disciplinas.** Idem namque omnibus his obiectum est materiale fides, mores, disciplina membrorum et totius Ecclesiae, sed *Theologia dogmatica* spectat ea in ordine ad veritatem speculativam, quibus rationibus haec fulciatur, et quomodo intelligantur veritates credendae et si iam probatae conformes rectae fidei, quatenus cohaerere iisdem debeant actus hominis. *Theologia moralis* inquirit de moralitate actus, quatenus hi conformes esse debeant regulae honestatis christianae. *Historia ecclesiastica* inquirit in actus iam praeteritos et praesentes fidei, morum et disciplinae, ac vices omnes etiam in relatione ad extraneos, quibus vita socialis Ecclesiae sese explicuit. E contra *ius canonicum* spectat actus praesertim exteriores sociorum, atque in eos inquirit *quatenus conformes sint vel esse debeant legi ecclesiasticae sua sanctione munitae.*

Speciatim *disciplina,* i. e. regimen membrorum Ecclesiae externum religionis ac virtutum exercitium, quamvis aliqua ex

parte sit obiectum Theologiae: quippe quae etiam tractat illas fundamentales disciplinae leges, quae ex SS. Litteris et divina traditione hauriuntur; tamen est obiectum Iur. Can.; quia scientia canonica non modo continet haec universalia disciplinae praecepta, quae iuris divini sunt: sed etiam iure suo proprio docet tot illas ecclesiasticas Constitutiones, quibus regimen Ecclesiae externumque Religionis ac virtutum exercitium a Christo Domino et ab Apostolis traditur, et in SS. Scripturis velut in nucleo et semine expositum latius deinde expressum, explicatum atque accommodatum est. Brevius dici posset, quidquid proposuit, proponit et potest proponere Ecclesia membris suis credendum aut agendum, tum quoad fidem, tum quoad mores, tum quoad disciplinam sub ea ratione, qua scil. ecclesiastica lege seu canone proponatur, est obiectum iuris canonici materiale et formale: *formale* continetur verbis *quatenus ab Eccl. proponitur tamquam lex, canon; materiale* autem *quidquid credendum;* at veritatum fidei rationes investigat dogmatica Theol. aut *agendum.....* seu fides, mores, disciplina...

Decl. etiam discrimen **inter ius civile et canonicum.** Et quidem 1) conveniunt in eo, quod utrumque ius pro obiecto materiali remoto habet personas, res, actiones; quandoquidem omne Ius quo utimur, vel ad personas pertinere, vel ad res, vel ad actiones dicitur *L. 1. ff. de statu hom.;* utrumque dirigit actiones humanas et intendit bonum commune, ita ut applicari utrique iuri possit το « **Honeste vivere, alterum non laedere, ius suum cuique tribuere** » § 3. *Instit. de Iust. et Iure.* Differunt autem 2) in eo, quod Ius canonicum *a*) circa sacras, civile circa profanas versatur personas; quod Ius canonicum dirigit *b*) actiones fidelium per canones a potestate spirituali latos, intendit pro fine bonum spirituale vitae christianae et felicitatis aeternae: ius vero civile dirigit actiones civium per leges a potestate laica latas, intendit pro fine temporalem civium felicitatem.

15. Unde patet Quod **Ius canonicum sit scientia et quidem nobilior iure civili, et practica.**

I. **Est scientia** scil. cognitio per causas. 1) Ita per Ius canonicum ordinatur το cognoscere leges seu iussa, ut eorum habitudo inter se et ad finem dignoscatur: considerat Ius ca-

nonicum leges omnes, non alteram ab altera seiunctam, sed invicem sibi cohaerentes maxime in ordine ad finem: hinc ius a nobis definiebatur non complexio simpliciter, sed systema legum etc. Iamvero cognoscere ex fine in ordine ad finem aliquid esse iussum, est illud cognoscere per causam suam: quia finis societatis est causa legum et potestatis socialis. 2) Haec cognitio habet principia infallibilia, scil. veritates naturales et theologicas, quibus SS. Canones innituntur; 3) habet cognitiones scientificas tam in materia communi, quam in speciali, e. g. canonem esse obligatorium, quia est rationabile praeceptum superioris ecclesiastici: postulationem ad Praelaturam non tribuere ius, quia est assumptio personae impeditae: electionem contra SS. Canones celebratam esse nullam, quia est actus carens forma debita. Ergo.

II. Est autem **scientia nobilior ipso iure civili**: α) ratione constat, quia ius civile a Principe civili oritur; fertur in certum populum, habet materiam profanam et finem temporalem: Ius autem ecclesiasticum oritur a potestate Pontificis Summi, a Christo concessa Petro eiusque successoribus, fertur in universum populum christianum, habet materiam spiritualem aut spirituali adnexam, et pro fine felicitatem aeternam. β) Auctoritate etiam patet. « *Tanto altiores,* eleganter scripsit Baldus (l. 1. Consil. 464), *sunt canones, quanto caeli sunt altiores terra, quia tantum distant canones a legibus mundi, quanto perpetuum a corruptibili, et sacra a profanis* ». Nec minus praeclare *Fortun. Garcia de fine ultimo iuris utriusq. n. 72.* « Prima est excellentia causae. Nam Summus Pontifex maio-« rem habet iurisdictionem et excellentiorem, quam ipse impe-« rator. » Itaque dignitas supremi Pontificis est multo clarior et eminentior dignitate Imperatoris, eo quod a Deo super omnem animam constitutus est, unde idem etiam Imperator ei subiicitur. Et *n. 19.* « Haec duo iura, ait, se habent ut anima et « corpus, cum Ius civile intendat in commune bonum secun-« dum quod convenit humanae societati. Ius vero canonicum « non solum secundum quod convenit humanae societati civi-« liter, sed etiam secundum finem in Deum intendendo et aliam « vitam expectando ».

Henr. Wagner *in Exegesi Praef. ad Lect.* « Sacri canones

proximum post S. Scripturae thesauros locum habent, dignitateque sua et usu omnes alias scientias longe superant ».

III. Ius canonicum est **scientia practica**, quia ordinata ad dirigendas actiones fidelium relate ad ipsam societatem.

De necessitate huius studii.

16. Eius studium pernecessarium esse praesertim Clericis patet: 1) ex praecepto in iure, quod edixit Coelestinus R. P. *ep. III. c. 1.* « *Nulli sacerdotum liceat canones ignorare* »: 2) ob munia clericalia obeunda perspectos habere debent canones omnes tum ad se, tum ad populos regendos, et, ut ait *Conc. Tolet. III. con. 23.* « praesertim in iis, quae ad munera sua rite praestanda necessaria sunt ut aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina ».

Dixi *praesertim clericis,* ne laicos omnino praeterirem, etiam doctissimos in iure civili, 1) ob connexionem intimam inter ius civile et canonicum, quorum haec est pene dixerim habitudo, quae est inter animam et corpus, ita ut in negotiis et causis civilibus, ubi alterum Ius aut nihil aut obscure de re quapiam disponit, per alterum Ius explicari et suppleri debeat: 2) ob plures leges civiles in iure can. emendatas: 3) ob cognoscendam agendorum iudiciorum rationem traditam a SS. Canonibus, quae utpote planior et simplicior pena, omnia Tribunalia obtinet: ad rem *P. Vitus Pichler comm. in Ius can. L. 1. Proleg. n. 57.*

« Cum Ius canonicum directe intendat et doceat regimen « animarum ac Ecclesiae, impossibile est ut tam in theoria « quam praxi non cespitent saepius, graviterque impingant, « aut turpiter errent, tum Theologi tum Civilistae, debita « SS. Canonum peritia destituti. Quomodo enim Theologi « scient, securo tramite sibi commissas deducere animas quid « fidelibus praeceptum, vetitumve sit? Quomodo Episcopi ac « iudices ecclesiastici et magistratus, si nec formam iudicii aut « procedendi normam intelligant? Si nihil de electionibus et « qualitatibus praeficiendorum, nihil de legibus et privilegiis, « nihil de fori competentia, nihil de beneficiis et iurispatronatu, « nihil de contractibus et testamentis, nihil de poenis et de

« censuris etc. quae ex nostro iure potissimum haurienda « sunt, ne primis quidem labiis degustaverint? Quomodo ci- « vilistas non in varios errores incidere pronum imo necesse « est absque Iuris sacri adminiculo? Dum totum processum « iudiciarium, quo utuntur ex pontificii iuris libro II. mu- « tuari debent; dum in pluribus casibus necesse habent iuris « Ecclesiastici decisiones sequi, v. g. si tangatur materia « concernens peccati fugam, animae periculum, si sunt cau- « sae piae aut miserabilium personarum, si agatur de in- « terpretatione iuris divini aut naturalis; unde sapientissi- « mus Henricus Canisius in sua summa ait: *Rem igitur ne- « cessariam agit Theologiae studiosus, cum et SS. Canonum cogni- « tionem suae professioni coniungit, eam aliquando in Ecclesiae « usum et ornamentum traducturus...* Quid ergo mirum quod « can. 1. dist. 38. sic praecipiatur: *Sciant igitur sacerdotes scri- « pturas sanctas et canones.* Quippe a notitia canonum ut ait « August. Michael *in quaest. prooem., Theol. Canonica Mo- « ralis,* adeo dependeat Doctrina moralis ut revera nihil sit « aliud quam *summa et compendium iuris canonici. Et certe si « quis bene versatus esset in Canonibus, omnium forte casuum « decisionem ibi reperiret...* De Civilistis autem recte pronuntiat « Io. Andr. *in prooem. Speculi* eos sine notitia iuris canonici « saepissime errare. Card. De Luca vero *in Relat. Rom. Curiae « disc. 32. n. 89. Legistam sine Canonibus parum valere* ».

Conclusio sectionis.

16bis. Ex hucusque dictis patet, quod canonicarum legum, quibus Ecclesiam regi necesse est, ordinata collectio ipsa est, quae audit **Ius canonicum**: ita ut Ius canonicum aliis verbis recte definiatur « **Systema legum, quae ab iis profectae, qui iustam in Ecclesia auctoritatem habent, Ecclesiae administrationem regunt, eosque, qui per baptismum eidem Ecclesiae nomen dederunt, ad propositum finem h. e. ad vitae aeternae assecutionem dirigunt** ». Qua definitione patet subiectum, obiectum, divisio, fontes iuris canonici.

Dicitur **systema**... secus scientia non esset, neque teneri posset, et significatur collectio legum ordinata contra errorem

Molinaei, qui facilius *Delphinum in Sylvis,* atque *Aprum in mari,* quam ordinem in Iure canonico reperiri posse aiebat: iniuria tamen talia profert ut patebit infra.

Legum, quae ut vidimus in iure publico sunt media obligatorio modo proposita subditis, i. e.

Qui per baptismum Ecclesiae nomen dederunt: quibus verbis subiectum indicatur Iuris canonici: unde non obligantur Infideles sed utique Haeretici.

Quod dicimus leges ad ius canonicum pertinentes **profectas esse debere ab iis, qui...** id indicat fontes unaque cum fontibus praecipuas divisiones. α) Quod enim pertinet ad *divisiones* cum, quod dicitur *profectae* neque modum determinant, quo edi debeant, id insinuat posse et per scriptum et sine scripto: unde divisio quam postea videbimus, in *Iuris scriptum et non scriptum* etc.

Quod dicitur ab **iis qui iustam auctoritatem...** id indicat duas alias divisiones, i. e. in *divinum* quod a Christo, et *humanum* quod ab hominibus seu iis magistratibus, quod Christus instituit, immediate procedit: deinde cum ex iis, quibus cura data est, alii sint, qui in totam Ecclesiam auctoritatem habent, sc. Romanus Pontifex et Concilium Generale, alii autem in aliquam tantum partem, ut Episcopi singillatim: cumque illi, qui toti Ecclesiae imperant, pro aliqua tantum parte legem condere possint, altera sequitur divisio in *commune* et *particulare*: ita ut haec postrema divisio proprie sit subdivisio iuris canonici humani. Nam divinum, totum quantum est, commune est: β) quod autem pertinet ad *fontes,* illi omnes indicantur in praedictis verbis, de quibus dicimus *profectae ab iis, qui...* Inde enim sequitur *eas solas leges a legitimo fonte* dimanare, quae ab eorum auctoritate proficiscuntur, qui iustam in Ecclesia auctoritatem habent sive *immediate,* sive *mediate.*

Ad vitae aeternae assecutionem id facit esse leges ecclesiasticas.

Denique quod in definitione addimus eiusmodi leges versari debere **circa administrationem** seu **politiam** Ecclesiae et directionem... id obiectum indicat Iuris canonici. Habetur directio ad assecutionem finis in propositionibus mediorum, seu legibus, quibus etiam obtinetur conservatio Societatis seu

Ecclesiae: porro ad haec duo, quae sunt conservatio Societatis et assecutio finis, tamquam ad finem ordinatur uti medium politia, qua continetur ordo socialis in magistratibus, in exercitio regiminis, in communi conversatione.

Si porro definitionem etiam requiris Institutionum iuris can. dicimus: *nomine Institutionum intelligitur* **summa quaedam Iuris can. ex omnibus canonum collectionibus, quae usu vigent, extracta, et scientifica methodo quantum fieri potest, digesta.**

Dixi **scientifica methodo**, ut iam hinc indicemus *ordinem esse* vel in Institutionibus canonicis contra Molinaeum, qui aiebat facilius reperiri posse in sylvis Delphinum, aut in pelago Aprum, quam ordinem in iure can.; quod dictum levissima quadam facilitate plurimi excipiunt. Ast omnes egregie falluntur. Ordo enim communiter usurpatus vel in Institutionibus Iur. can. est apprime logicus. Quod ut brevissime appareat, animadvertenda haec sunt: 1. nihil quemquam posse praecipere, adeoque nullam legem a qualibet societate scribi posse ultra potestatem propriam; 2. totam potestatem cuiuslibet societatis perfectae, adeoque Eccl., ad triplicem hanc partem omnino revocari: *a*) scil. ad *potestatem legiferam,* cuius est proponere praeceptive media opportuna et efficacia ad finem societatis obtinendum; *b*) ad *potestatem iudiciariam,* cuius est praeterea dubia dirimere circa praedictorum mediorum usum, ut recte et ordine adhibeantur; *c*) ad *potestatem coactivam,* cuius est pervicaciam recusantium et malitiam impedientium rectum usum mediorum poenis coercere: haec enim tria si obtineantur, certo certius ipse soc. finis obtinetur ad quem tota societatis potestas dirigetur, et praeter quem ratio omnis potestatis deficit. Hisce autem praemissis, nemo non videt, si quis velit logicam atque ordine ab ipsa natura rei deductam divisionem proponere iuris privati cuiuslibet societatis, eam tres in classes debere illud distribuere: in quarum prima contineantur leges ad potestatem legiferam proprie pertinentes; in altera leges, quae ad potestatem iudiciariam referuntur; in tertia, quae ad coactivam. Hoc porro fit in ordine consueto Institutionum Iur. can. Quartus enim liber est de delictis et poenis, adeoque pertinet ad potestatem coactivam, tertius est

de iudiciis, adeoque pertinet ad iudiciariam: reliqui duo sunt alter de Personis, alter de rebus, i. e. de mediis, quae instituta sunt ad finem Ecclesiae consequendum, adeoque pertinent ad potestatem legiferam. Etenim media in Ecclesia instituta rectissime atque omnia vere in personas et res distribuuntur: quandoquidem non res tantum, sed etiam personae, de quibus in iure can. agitur, media sunt ad finem consequendum. Quaenam enim sunt personae, de quibus praecipue agitur in iure can.? Clerici nimirum. Iamvero *Clerici* quinam sunt? Ii scil. qui ad hunc finem inter caeteros selecti sunt, ut caeteros utcumque sive ministerio operis, sive exemplo (auctoritate Ecclesiae comprobato) dirigant ad finem efficaciter consequendum.

SECTIO II.

DE FONTIBUS IURIS CANONICI.

17. Cum de obiecto indicando egimus iuris canonici, inquirendum est adhuc undenam profluat hoc ius seu lex canonica tamquam ex proprio nativo fonte. Quod modo in supradictis indicabamus: tum *a*) definitione, qua aperte dicebatur « *Systema legum, quae ab iis profectae, qui iustam in Ecclesia auctoritatem habent....* »; tum *b*) priori iuris canonici definitione, per verba « Ecclesia potestatem per *idoneum subiectum ad actum reducit* seu exercet triplicem potestatem legiferam, iudiciariam, coactivam ». Seu huius triplicis potestatis exercitium legitimum scil. intelligi nequit, nisi potestas ad actum reducatur et exseratur ab illo subiecto, in quo ex divina Ecclesiae constitutione residere debet; atqui hoc aeque significat: leges ecclesiasticas, quod de qualibet Societate verum est, legitimo ex fonte dimanare oportere, quandoquidem « leges in quavis Societate legitimo ex fonte dimanare dicuntur, si ab iis editae sunt, qui iuxta Constitutionem eiusdem Societatis, potestatem legiferam in ea habent ». *Cf. Tarquini Ius. publ. l. 2. c. 3.*

Porro **necessaria est haec tractatio**. Si enim ad fictos falsosque fontes recurritur, necessario falsum iuris can. systema inde prodibit. Si non genuinus fons, nec genuinae singulae

leges. Hinc qui a falsa iurium origine orditur, in duplicem erroris scopulum impingat, necesse est: reiiciet fontes genuinos, quia ipsos pro legitimis non habet, simul vero illegitimos amplexabitur. Locus autem opportunus huic tractationi hic est, antequam de actuali valore iuris cognoscendi, atque de eius interpretatione agatur: prout in more est TT. Scriptorum, qui priusquam singula dogmata evolvant, de locis Theologicis tractant, qui quasi armamentarium sunt, ex quo argumenta sua ad debellandos Ecclesiae hostes continuo mutuantur. Sed ante omnia oportet duplex distinguere genus fontium et iuris canonici, accuratiorem divisionem exhibere ut in seq.

§ 1. DUPLEX FONS ET TRIPLEX DIVISIO IURIS ECCLESIASTICI.

Summarium – Ex Ecclesiae constitutione dimanat: a) quinam in ea pateant fontes essendi, et cognoscendi generatim Iuris ecclesiastici: atque b) eius apta et adaequata divisio in Ius divinum et humanum, scriptum et non scriptum, commune et particulare.

Fontes essendi et cognoscendi.

18. Fons est origo unde *ius* dimanat, dimanat quoad suum esse, vel quoad sui cognitionem. Hinc Fontes Iuris ecclesiastici dupliciter spectari possunt. Vel enim *a*) quaeritur quodnam et quotuplex sit illud subiectum, in quo residet triplex illa potestas ad actum propositione legum reducenda, et quousque ab eo exseri possit: *b*) vel, hoc praestituto, quaeritur ubinam hoc potestatis legitimae exercitium reperiatur. Priori sensu responderet, qui dicit Rom. Pontificem habentem potestatem ferendi leges in Ecclesiam universam esse fontem iuris canonici: posteriori sensu, qui assereret fontes etiam esse Constitutiones seu Bullas, Brevia, Rescripta, etc. data a Rom. Pontifice. Qui spectantur sub ratione fontis priori sensu, seu modo, a pluribus appellantur **fontes essendi**, quia *ex iis est lex canonica:* qui spectantur sub ratione fontis secundo sensu, seu modo, vocantur **fontes cognoscendi**, quia ex iis *cognoscitur lex canonica.* Qua in re animadvertendum est: quando quaeritur fons iuris priori sensu, quaeritur *causa efficiens,* quae

ius ecclesiasticum in suo esse produxit, eique vim obligatoriam conciliat, et ex quonam, quasi ultimo latice rivuli singularum legum scaturiunt? Respondetur autem ultimum quasi fontem iuris ecclesiastici esse voluntatem Christi primario, et secundario auctoritatem legislativam a Christo concessam Magistratui ecclesiastico. Christus enim Ecclesiae a se fundatae simul ius essentiale impressit, et hinc est Auctor Primarius Iuris ecclesiastici, Magistratus vero Ecclesiae potestate legifera iudiciaria, coactiva ab ipso instructus fuit, ut ad ulteriores Iuris essentialis conclusiones et determinationes procederet.

Iam hic supponere possumus ex Iure publico, quinam in Ecclesia Christi potestatem legiferam obtineant. Ast ad complementum doctrinae in re tanti momenti breviter demonstramus, hanc potestatem *a*) Christum Dominum obtinere; quia plenitudinem potestatis habet in Eccles. suam non solum *efficienter,* quatenus auctor Ecclesiae communicavit hanc ei Constitutionem et quatenus ipse Deus est, a quo omnis potestas: sed *formaliter* quatenus ipse est Caput primarium, quamvis invisibile Ecclesiae. Et quoniam incidit sermo de Christo Capite Ecclesiae suae, cuius capitis praerogativas participat Romanus Pontifex, notandum heic *metaphorice* dici: sicut quoad caetera membra caput humani Corporis praestat *ordine,* quia primum et supremum est inter membra; *perfectione,* quia in capite vigent omnes sensus; *virtute,* quia Caput *virtute* sua gubernat omnia membra vel cum reali fundamento concipitur gubernare: ita Christus tum *ordine,* tum *perfectione,* tum *virtute* Caput est Ecclesiae. Porro quoad virtutem duplex distinguenda est gubernatio corporis Ecclesiae: altera interior per influxum gratiae, altera exterior per exterioris scilicet et visibilis auctoritatis exercitium, quo membra Societatis adunata reguntur. Prior gubernatio ad solum Christum spectat, altera etiam ad Christum. Sed cum ipse adhuc cum hominibus conversaretur, eam per se exercebat, modo autem invisibilis factus eam exercet per suum vicarium, qui proinde Vicarius, cum Christo et sub Christo Caput est visibile visibilis Ecclesiae. Unde si spectetur ordo, perfectio et virtus quoad gubernationem interiorem, Christus solus est Caput. *1. Cor. XII. 11. sqq.* Petrus vero simul cum aliis inter membra recensetur: si vero

spectetur gubernatio exterior, Christus cum suo Vicario simul est Caput; ambo scilicet unum Caput constituunt; sicu in ambobus *una est auctoritas,* non quatenus possit omnia Vicarius, quae potest Christus, sed quatenus *auctoritas omnis Vicarii est auctoritas Christi,* in hoc originalis, in illo derivata. Et hoc sensu potestas, quam Christus dedit Ecclesiae suae, quamque supremam voluit in subiecto uno, i. e. Petro, dici potest divina non solum efficienter, sed et *formaliter.* Porro quod Rom. Pontifex sit Vicarius Christi in terris, suprema gaudens potestate, sumimus in iure publico, in quo fusius probatur haec suprema incircumscripta plena ac perfecta potestas Rom. Pontificis praesertim *ex Io. XXI.,* « *Pasce agnos meos pasce oves meas* »; et *ex Matth. XVI.* « *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam...* » etc.

Hisce enim verbis loco Christi constituitur Petrus verum visibile Caput corporis mystici, quod est Ecclesia. Huic autem capiti contulit Christus profecto tantam auctoritatem, quanta necessaria est regimini totius Eccl., quae est Societas perfecta: atqui necessaria est Societati perfectae potestas legifera, iudiciaria, coactiva. Nam teste Apostolo, *ad Cor. XII. 22. sq., ad Rom. XII. 4. 5.,* Ecclesia tamquam ordinatissimum corpus diversis constat membris non eumdem actum habentibus, ad quae apte continenda opus est compage legum, quae sua cuique membro officia et functiones describant.

b) Partiales Ecclesiae Praefectos seu Pastores esse Episcopos, quorum scilicet potestas iis terminis definitur, qui a Rom. Pontifice sive immediate et expresse, sive mediate ac tacite designati fuerint, patet item ex iure publico.

Quod praeter Episcopos, alii quoque esse possint, qui potestate ordinaria vel delegata a Rom. Pontifice vel ab Episcopis accepta fruantur, probatur iisdem argumentis, quibus probatur iurisdictionem posse a superioribus magistratibus communicari, quos ipsi vocaverint et constituerint in partem sollicitudinis. Omnis α) namque iurisdictionis potestas ordinaria, vel quae instar ordinariae habetur, delegabilis est, nisi sit electa industria personae, aut nisi agatur de potestate legifera, delegata ad condendam legem pro universa Ecclesia: atqui talis est potestas a Christo Romano Pontifici et Episco-

pis concessa simpliciter, ut vel per se, vel per alios ea utantur, prout ipsis videtur magis expedire. Ergo Rom. Pontifex et Episcopi possunt suam legislativam potestatem delegare quando sunt ordinarii legislatores: β) sicut in Christo potestas haec est delegabilis, ita et in Episcopis; γ) Principes perfectae societatis possunt delegatam vel ordinariam concedere aliquibus civitatibus, Provinciarum praefectis, ergo etiam in Ecclesia. Proinde quidquid ab aliis, praeter modo enumeratos, provenit, id tamquam spurium habendum est. Leges enim sunt exercitium potestatis legislativae: ergo ab iis procedant oportet, qui hanc in Ecclesia obtinent potestatem: atqui praeter numeratas nullam aliam personam habere in Ecclesia potestatem patet, quia nullibi concessa legitur neque cum alio munere coniuncta. Nam ut ait *Suarez de leg. l. 4. c. 4. n. 5.*: « Potestas *legislativa in qualibet republica de se est suprema, in inferioribus autem solum esse potest, quatenus a supremo Principe communicatur, non solet autem communicari nisi magis principalibus et habentibus superiorem valde gubernationem, et ideo in Ecclesia iure ordinario haec potestas non est coniuncta nisi cum principali iurisdictione, qualis in Ecclesia est Episcopalis et non inferior* ».

Divisio Iuris Canonici.

19. Ex Ecclesiae constitutione pariter dimanat **divisio iuris canonici in divinum vel humanum, scriptum vel non scriptum, universale vel particulare**. Nam si attendatur ex constitutione Ecclesiae ad varios, qui potestate gaudeant vel in universam aut particularem Ecclesiam, edentes scripto, traditione aut facto, sua iussa seu leges; ius oritur divinum vel humanum, scriptum vel non scriptum, commune vel particulare.

Haec porro divisio est adaequata et apta; est *apta,* quia distinguitur: *a*) *ratione auctoris* **divinum**, quod a Deo; **humanum,** quod ab homine constitutum est: *b*) *ratione modi,* quo est promulgatum, **scriptum**, quod scriptis legibus continetur; **non scriptum,** quod traditione vel legitimi populi usu natum est: *c*) *ratione eorum, quos obligat,* **commune**, quod totam Ecclesiam; **particulare**, quod aliquos tantum ligat. Est etiam

adaequata, quia praecipue et adaequate in qualibet actione distinguuntur terminus a quo, et terminus ad quem, et illud ipsum, quod transit aut se sistit; et est traditum quid, aut consuetum vel scriptum: seu in qualibet actione adaequate distinguitur causa efficiens, modus agendi, terminus actionis, quae in casu nostro sunt legis auctor, manifestatio, obligatio: lex nempe cuius natura est obligare, licet maiori minorive amplitudine.

§ 2. DE IURE DIVINO EIUSQUE FONTIBUS.

Summarium. — Ad fontes iuris divini quod attinet, ii varii sunt, prout illud scriptum vel non scriptum est: I. ad scriptum pertinent sacrae litterae a) novi simpliciter, et b) veteris testamenti quoad praecepta moralia; II. ad non scriptum autem pertinent a) traditiones divinae, et b) ius naturale; III. porro Iuri divino aequipollenter accensentur a) Ecclesiae definitiones dogmaticae in rebus fidei et morum, et b) Patrum consensus, prout testes sunt authentici, vel divinarum traditionum, vel germani sensus iuris scripti divini.

De iure divino scripto.

20. Dicimus *ius divinum esse quod Deum habet auctorem* seu caussam efficientem immediatam. Deus ut auctor spectari potest caussa efficiens immediata seu auctor naturae et revelationis; quidquid iuris ordinis revelati est, continetur scripturis et traditionibus; quidquid iuris ordinis naturalis est, continetur ipso naturali ut aiunt iure, ceu in suis materialibus fontibus, indigitante tamen infallibiliter Ecclesia, quae est ceu organon authenticum, per quod derivetur in nobis tale ius, per suas infallibiles fidei et morum propositiones: ergo quatuor sunt fontes iuris divini, scilicet:

1. *SS. Scripturae,* quod dicitur ius scriptum;

2. *traditiones,* in quibus intellige SS. PP. ut testes traditionis...;

3. *ius naturale;* quae duo fontes sunt non scripti, et

4 *aequipollenter, propositio infallibilis Eccl.* in rebus fidei et morum. De hisce omnibus singillatim agendum, qui et qua

continet ius divinum declaratur et exponitur per partes tres, quibus constat assertum et quoad omnia sua membra. *Cf. Zallinger Lib. Subsid. c. v.*

De SS. Scripturis ut fonte iuris canonici.

Ius divinum continetur SS. Script. SS. autem Script. impressae *sunt veluti duplici tabula seu instrumento,* quod duplex *Testamentum* vocatur *vetus* et *novum,* in quo verbum Dei revelatum continetur. Verbum Dei hisce tabulis impressum nominari solet *Biblia sacra*, vel absolute et per antonomasiam Scripturae. Ipse titulus *sacri* aut *divinarum Scripturarum* designat divino impellente Spiritu eas exaratas, summam obtinere auctoritatem summamque mereri venerationem ita, ut Prophetici etiam et Apostolici libri, iuxta mentem Ecclesiae catholicae intellecti, sint stabilis fidei regula et agendorum norma caeteris omnibus anteferenda *Can. 8. 9. 10. dist. 9 et Trid. Sess. 4.* Unde definitio: « *S. Script. verbum Dei scriptum ipso afflante* ». Quae ut recte intelligatur praemittendum « tripliciter posse s. Scriptoris mentem Spiritu S. affici, *a*) revelatione, *b*) inspiratione seu afflatu, *c*) assistentia. *Revelatio* proprie est « veritatis antea ignoratae facta divinitus manifestatio » : *Inspiratio* seu afflatus est incitatio quaedam, motusque insolitus, quo Deus scriptorem interius ac libere simul excitat atque impellit ad delectum eorum, quae vult ut ab eo scribantur. *Assistentia* est « singulare Sp. S. auxilium, quo fit ut sacer scriptor nil unquam falsi scribere possit ».

Speciatim α) *de libris continentibus Verbum Dei;* β) *de usu atque auctoritate in iure can. et quos libros per 13 amplius saecula Ecclesia catholica recensuit, uti canonicos catalogo adscribens.*

Quinam sint libri, quibus scriptum continetur verbum Dei docet, praeter Florentinum, Conc. Trident. *Sess. 4.ª* cum edit 1) Decretum de canonicis scripturis, in quo declarat et decernit sub excommunicationis poena suscipiendos ab omnibus tum libros scriptos, tum divinas traditiones ut continentes Verbum Dei; 2) recenset 72 libros scilicet 45 veteris et 27 novi Testamenti nominatim, quos ipsa recipit pro canonicis scripturis.

Quoad historiam librorum sacrorum notandum est libros quosdam fuisse aliquando dubios scil. deutero-canonicos.

Qua materiali collectione utatur Ecclesia, ipsa Synodus Tridentina indigitavit *Sess. 4.* quando edixit se usam esse et uti horum librorum versione latina, et Editione quam Vulgatam dicimus, quamque ex omnibus latinis editionibus authenticam pronuntiavit (1): maximam partem desumpta est ex interpretatione Hieronymi. At « cum non liceat, ait *Leo M. ep. 62,* aliter de scripturis divinis sapere quam Beati Apostoli et Patres nostri didicerunt atque docuerunt » vera sententia non cuiusquam interpretatione, sed unius Ecclesiae catholicae au ctoritate percipi potest. Et rationem affert *Vinc. Lirinensis in suo Commonitorio:* « Quia scripturam pro ipsa sua altitudine « non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem « eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut « pene quot homines sunt, tot illius sententiae erui posse vi- « deantur: idcirco multum necesse est, ut propter tantos tam « varii erroris anfractus ut Propheticae et Apostolicae inter-

(1) Memoriae causa omnes libri suo ordine recensentur hisce barbaris verss.

Veteris Testamenti

Genesis, Exo, Levi, Numerorum, Deuteronomi,
Iosue, Iudiciique Liber, Ruth, bis duo Regum,
Bis Paralip., Esdrae duo, Tobias, Iudith, Esther,
Iob, Psalmique David, Proverbia et Ecclesiastes,
Cantica, tum sapiens tum ecclesiasticus adsit,
Isaias, Ieremi cum Baruch, Ezechielque,
Daniel, Osia, Ioel, Amos atque Abedias,
Ionas, Michaeasque, Nahum, Habacuc, Sophonia,
Aggaeus, Zachari, Malachi, bini Machabaei.

Novi Testamenti

Matthaeus, Marcus, Lucas Sanctusque Ioannes,
Actus, Roma, Corinth. duplex, Galatis, Ephesisque,
Nec non Philippis et Colossensibus una.
Thessalonica duas accepit, Timotheusque;
Tito, Philemoni, Hebraeis datur una cuique:
Iacobi una, Petri binae, ternaeque Ioannis,
Una Iudae. Finem *Canonis* facit Apocalypsis.

« pretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus « normam dirigatur ». Et *S. Irenaeus l. 4. c. 26:* « Ubi chari- « smata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud « quos ea est, quae est ab Apostolis Ecclesiae successio: hi « enim et fidem nostram custodiunt, et scripturas sine peri- « culo nobis exponunt ». Hinc sensum S. Scripturae eadem Trid. Synodus tenendum constituit, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia iuxta unanimem consensum Patrum.

Cum autem non quilibet, qui S. Biblia in suam linguam convertere cupit S. Spiritu afflatus esse censeatur, hinc ea non passim et sine discrimine vulgari lingua permittuntur: sed quoad eorum lectionem iudicio Episcopi standum est: in lingua tamen hebraica, graeca vel latina vulgata nemini prohibentur.

Quoad *usum et auctoritatem* in iure canonico dico relate ad dogmata et veritatem dictorum, summa fides adhibenda est in omnibus et singulis ibi contentis, ob auctoritatem Dei revelantis. Relate vero ad praecepta agendorum vel omittendorum, distinguendum est inter Testamentum Vetus et Novum: in illo praecepta moralia contenta, ratione materiae et confirmationis a Christo habitae, adhuc modo urgent; nullo autem pacto ligant praecepta tum iudicialia seu politica, tum caeremonialia, nisi Ecclesia aliquot in suas leges derivaverit; et tunc obligant haec non ut ius divinum, sed ecclesiasticum. In Testamento Novae Legis quotquot ratione sunt compotes ligantur praeceptis ex iure divino, cum Christus legislator, cui data est omnis potestas in coelo et in terra, iussit Apostolos suos docere omnes gentes, servare omnia quaecumque mandaverat eis.

Id autem dixi de praeceptis Evangelii presse sumpti quod scilicet continetur quatuor evangelistarum libris. Quod si latiori significatione Evangelium comprehendat totum N. T. corpus, dicendum est non ad omnia ibi contenta nos teneri iure divino, vel non omnia esse iuris divini. Nam exceptis quatuor evangeliis, non omnia, quae recensentur in reliquis T. N. partibus, praecepta sunt Christi: quaedam sunt, quae non divinae et immutabilis, sed humanae et ecclesiasticae legis virtutem habent. Licet enim potestas legislativa Apostolorum

sit origine divina, praecepta tamen eorum sunt humana. Unde ea, mutatis rerum temporumque circumstantiis, cessare possunt: inde tamen non sequitur omnia, quae ibi continentur, esse praecepta divina. Sicut enim Sp. S. in SS. Bibliis recenset facta hominum bona et mala, quin ea approbet: sic etiam recenset praecepta hominum optima, quin tamen divinam eis tribuat auctoritatem. Unde prohibitionem de usu suffocati Ecclesia iam pridem usu ipso cessasse declaravit. Electiones Praelatorum hodie non fiunt ad eum modum, quo eligebatur S. Mathias *Act. 1.* Communio bonorum inter fideles non religiosos sublata est *Act. 4. 32.* Velatio mulierum in templo, quamvis omnino deceat, non tamen censetur a Deo praecepta *1. Cor. 11. 5. 13.*

De iure divino non scripto.

21. Ius divinum non scriptum continetur Traditionibus. In primis animadvertendum est *traditum ius, doctrinam* vocari *non scriptam,* non ideo quia nunquam scripta sit, sed quia est non scripta a primo auctore. E. g. Parvulos baptizandos esse vocatur traditio apostolica non scripta, quia non invenitur hoc scriptum in ullo apostolico libro, tametsi scriptum sit in libris fere omnium Patrum. Distinguenda porro est **traditio divina, divino-apostolica, mere apostolica et ecclesiastica.** Traditio **divina,** quae ex ipsius Christi ore immediate profluxit: altera seu **divino-apostolica** est, quae ab Apostolis Spiritu S. afflante ut a Christi praeconibus, seu nomine Christi loquentibus, ad nos pervenit: quae divisio innititur *Tridentini* verbis, nec non *Vaticani* § *3. c. 2.* ubi nomine traditionis designantur « *quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt* ».

Mere apostolicae dicuntur, quae ab Apostolis Ecclesiae Pastoribus primitus descendunt e. g. ieiunii quadragesimalis institutio, observantia diei dominici loco sabathi, Chrismatis renovatio singulis annis facienda etc. **Mere ecclesiasticae,** quae ab Ecclesiae Praelatis originem ducunt e. g. quorumdam Festorum solemnitates et observantia abstinentiae ab

ovis et carnibus; cinerum pulverumque benedictio, et laudabilis formandae crucis consuetudo.

Ius divinum non scriptum continetur iure naturali.

Ius naturale dici potest *sicut natura* pluribus modis, et hac in re praesertim quatuor. Nam quandoque 1.° *natura* dicitur *vis insita* rebus similia de similibus procreans.

2.° modo *natura* dicitur *quidam stimulus* seu instinctus naturae ex sensualitate proveniens ad appetendum vel procreandum vel ad educandum.

3.° modo dicitur *instinctus naturae ex ratione proveniens* et ius ex tali natura proveniens dicitur *naturalis aequitas,* et secundum hoc ius naturae dicitur omnia communicanda tempore necessitatis. Huc facit quod ait Vinnius « Communis « fere veterum philosophorum doctrina, ius naturae exigere « ut secundum naturam vivamus. Natura est vel communis « vel hominis propria. Ex illa ius naturale, ex hac ius gentium « derivabant. Hic autem praedicatur aliquod ius etiam de brutis « propterea quod, quae huius iuris esse dicuntur, ea etiam « bruta faciant, idque cum similitudine quadam sensus ac de- « siderii humani. Unde Arist. l. 9. de hist. animal c. 7. tales « brutorum actus appellat μιμηματα της ανδρωπινες ζωης « vitae humanae imitamenta et *Cic. 2. de fin.* virtutum si- « mulacra ».

4.° modo dicitur *ius naturale praecepta naturalia,* h. e. *non furtum facies, non moecaberis.* Nos accipimus praesertim iuxta 3^{um} et 4^{um} modum. Hi omnes implicite exhibentur *can. Ius 7. dist. 1.* quatenus instinctu seu sponte naturae, non constitutione aliqua habetur. « *Ius naturae est commune omnium nationum, eo quod utique instinctu naturae, non constitutione aliqua habetur: ut viri et foeminae coniunctio, liberorum successio* (alii susceptio) *et educatio, communis omnium possessio, et omnium una libertas, acquisitio eorum, quae coelo, terra marique capiuntur, item depositae rei vel commendatae pecuniae restitutio, violentiae per vim repulsio. Nam hoc, aut si quid huic simile est, numquam iniustum sed naturale aequumque habetur* ». Quo in textu, a Gratiano ex Isid. Hispal. desumpto, exhibetur α) id quod omnibus quatuor illis modis est commune i. e. quatenus ius seu iussum dicat factum, ipsa natura teste, certissimum:

seu legem quamdam quae instinctu naturae, non constitutione aliqua habetur, praescindendo tum a pacto, quo lex naturalis sit participatio legis aeternae homini manifestatae per lumen rationis, tum ab eius relatione ad essentiam, intellectum voluntatemque divinam. β) Deinde recensentur potissima obiecta huius legis, scilicet quatenus ex iussu seu instinctu naturae in omnibus procedit, praescindendo ab eo, quod instinctus sit rationalis nec ne. γ) Secundum id quod commune est quatuor illis modis, Isidori Hispalensis textui consonat definitio Iuris naturalis, quam Iustinianus Imp. in suis Institutionibus l. 1. tit. 2. ex veterum consultorum sententia sic posuit. « *Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit: nam ius istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quae in coelo, quae in terra, quae in mari nascuntur. Hinc descendit maris ac foeminae coniunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus enim caetera quoque animalia istius iuris peritia censeri* ».

Porro ius naturale acceptum 3.° et 4.° modo definiri etiam potest « *ipsa voluntas Dei hominibus per lumen rationis omnibus insitum publicata, praecipiens intrinsece bona, et prohibens intrinsece mala sub praemii et poenae sanctione* ». Atque hoc sensu ius naturale profecto non afficit bruta, sed solos et omnes homines. *Solos homines:* nam ius seu lex supponit creaturam, usu rationis praeditam, libertate instructam, obligationis et poenae capacem: atqui soli homines praediti sunt usu rationis et libertate: ergo; *maior patet*, quia sine usu rationis non agnoscitur vis legis actiones nostras intendentis: sine libertate illius cui praecipitur vel prohibetur, stulte praecipitur vel prohibetur aliquid. Dixi *omnes homines* etiam Principes summos, civitates, cunctasque gentes ut docet *Paul. ad Rom. I. 32.* « *Qui talia agunt scil. contra legem naturalem, digni sunt morte* »; Deus est namque auctor, qui voluit omnes subiectos tali iuri. Unde errant pseudopolitici cum illud Thucid. ingeminant « *Regi aut civitati imperium habenti nihil iniustum quod utile* » aut illud Marii apud Plutarch., « leges obstrepentibus armis exaudiri non posse, aut iura legesque inter arma silere », vel illud Machiavelli « saepe res et publicum bonum te cogunt fidem laedere, charitatem et humanitatem cum religione negligere »:

Hinc recte dicitur: *Deficiente iure gentium lites inter summos Principes naturali iure definiendas esse.*

22. Aequipollenter iure divino definitiones de fide et moribus tum a RR. Pontificibus ex cathedra loquentibus, tum a legitimis oecumenicis Conciliis, tum ab unanimi Patrum attestatione procedentes adcensendae sunt.

Nam illud *ius divinum positivum* dicendum est, quod ut divinitus revelatum nobis infallibiliter testatur et declarat Magisterium supremum et universale Ecclesiae Christi: atqui RR. Pontifices ex se solis loquentes ex cathedra, aut simul in Concilio oecumenico spectati, constituunt magisterium supremum et universale Ecclesiae, et definitionibus de fide et moribus testantur infallibiliter aliquid divinitus esse revelatum atque impositum hominibus. Ergo.

Ad mai. Distinguo varia munia, quae ex voluntate Christi obire debet magisterium supremum universale i. e. Ecclesiae. Haec enim quatenus veritatem docet et errores proscribit atque id exequitur auctoritate coactiva dicitur *magistra veritatis:* quatenus eadem auctoritate firmat controversias circa doctrinam, dicitur *iudex doctrinae;* prout docens vel iudicans refert veritatem a Deo revelante acceptam, dicitur *testis:* et hoc sensu sumimus speciatim potestatem Eccl. quatenus obit testis munus. Munus testis est proprie munus authentice testandi factum revelationis alicuius veritatis: in quo munere profecto esse infallibilem Ecclesiam dogma fidei est; demonstratum assumimus ex Theologia. Ratio autem maioris patet vel ex eo, quod « illi sunt nobis fontes legitimi *ius aliquod esse revelatum a Deo* » qui testes ab ipso ad hoc praeordinati sunt, atque constituti ceu infallibiles custodes depositi revelationis: atqui magisterium supremum universale testis est infallibilis et custos depositi revelationis a Deo praeordinatus. Ergo.

Ad min. Apostolis enim et successoribus usque ad consummationem saeculi impositum est munus docendi et testandi quaecumque mandavit Christus cum dixit « *Praedicate Evangelium omni creaturae.... docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis* ».

Speciatim **ad SS. Patres** quod attinet, haec pauca innuisse sufficiat:

1. quaenam sint dotes SS. Patrum:
2. de usu et auctoritate eorum quoad fidem et mores:
3. quoad disciplinam:
4. quid de illis, qui recensentur praesertim in corpore iuris canonici:
5. regulae praecipuae in legendis SS. Patribus.

Ad 1. **Nomine Patrum** intelligimus eos, qui post Apostolos et Evangelistas, insignis doctrinae et sanctitatis fama primaevam Ecclesiam veluti in suis infantilibus annis erudierunt. Hos inter, qui simul etiam librorum copia et scientiae amplitudine, atque praestantia excelluere, honorifico **Ecclesiae Doctoris** titulo salutantur; quales sunt, *Maiores a*) inter Graecos, Basilius Athanasius, Gregorius Nazianzenus et Chrysostomus; β) e Latinis vero Gregorius M., Ambrosius, Augustinus, Hieronymus: quibus deinde uti *Minores* additi sunt S. Bernardus, S. Hilarius, S. Petrus Damiani, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura S. Anselmus, S. Isidorus Hispalensis, S. Petrus Chrysologus, S. Franciscus Salesius, S. Alphonsus de Ligorio.

Ut *quis censu SS. Patrum habeatur,* quatuor praerogativae seu dotes requiruntur: antiquitas, excellens doctrina, insignis vitae sanctitas, atque Ecclesiae declaratio: pro Doctoribus vero quamvis non exigatur antiquitas, maior tamen amplitudo doctrinae necessaria est.

Ad 2. *circa aliquod dogma revelatum ipsi SS. Patres unanimiter consentientes,* tertium post Pontificum Maximorum et Conciliorum Oecum. definitiones locum habent, illisque deficientibus, eorum unanimis sententia exhibens aliquam doctrinam tamquam revelatam, aut cum revelatione necessario coniunctam, uti revelata et certa doctrina haberi debet. Ad quam assertionem revocasse sufficiat in mentem can. 1. Cpolitani IV. « *Perraequam et regiam divinae iustitiae viam inoffense incedere volentes veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt sanctorum Patrum definitiones et sensum retinere debemus* ».

Ad 3. *quoad disciplinam, intra ambitum iuris* praeter Conciliorum et Pontificum constitutiones, canonum nomine etiam

decorantur. « SS. Patrum statuta, quae apud nos canonum nomine praetitulantur ». Licet enim non omnia eorum scripta pro legibus habeantur *(c. 3. 4. 5. 9. dist. 9.)* ad quas condendas praeter doctrinam et sanctitatem etiam auctoritas requiritur; tamen, quae in authenticam collectionem canonum relata, aut etiam constitutione alicuius Pontificis R. comprehensa sunt, parem cum eis vim et robur sortiuntur *c. 1. dist. 20.* Nam sua fecit legislator, quae ipse probat, et quibus auctoritatem suam impertitur.

Citra iuris dispositionem sententiae PP. summa dignantur veneratione, ut ipsi Pontifices summi, citando illos, sunt nobis exemplo *Clem. 1. de Summa Trin. Can. 10. d. 9.* Speciatim *quoad disciplinam et externum Ecclesiae regimen* maximi usus sunt eorum testimonia, ex quibus deprehenditur veteris Ecclesiae Hierarchia, Episcoporum auctoritas, Clericorum munia.

Hinc ad 4. Quid *de iis PP. sententiis et monumentis,* praesertim quae reperiuntur in Decreto, praescindendo ab authentia historica, quae ipsis provenit ex genuinitate, quoad auctoritatem iuridicam, cum haud penes omnes receptum sit, Gratiani Decretum sic esse authenticum qua talem collectionem, ut infra videbimus; dicendum eorum sententias (si genuinae sunt) habendas esse utique ceu doctoris publici in Ecclesia sed partialis, non esse autem dispositiones legislatoris universalis, nisi quatenus consuetudo communis, aut suprema auctoritas eas probavit: hinc generatim dici nunc potest: has omnes sententias magnum pondus et plus auctoritatis habere, quam privati dumtaxat, propter usum communem in foro et in schola.

Ad 5. *Regulae porro ad Sanctos PP. legendos* facere possunt sequentes:

I. An liber, ex quo adducitur testimonium, sit genuinus partus illius Patris, cui adscribitur, an editio aut versio legitima.

II. Quo tempore sit scriptus: qua aetate auctoris.

III. Qua occasione liber sit scriptus: et quis finis intentus.

IV. Cuius fori sit materia, quae tractatur.

V. Summopere necesse est dignoscere, an sententia sit communis reliquis Patribus, an singularis, ab aliis neque memorata, aut iis contraria?...

§ 3. DE FONTIBUS IURIS CANONICI SCRIPTI, NOMINATIM

De constitutionibus Rom. Pontificum et decretis conciliorum oecumenicorum.

Summarium. — Ius autem humanum ecclesiasticum, prout est scriptum et commune tamquam legitimi fontes exhibent nobis I. Constitutiones Romanorum Pontificum, nisi hi ad aliquam dumtaxat Ecclesiae partem eas restringant: II. Decreta Conciliorum oecumenicorum a Romano Pontifice confirmata: III. Decreta seu leges disciplinares Conciliorum particularium R. Pontificis vel Synodorum generalium auctoritate ad universam Ecclesiam extensae.

I.

De constitutonibus Rom. Pontificum.

Praen. Etsi *generice Constitutio* ecclesiastica valeat lex, canon seu praeceptum stabile a Superiore ecclesiastico promulgatum, tamen *specifice* sumitur pro lege ab uno Rom. Pontifice condita, dum *canon* legem Conciliarem ab eodem Rom. Pontifice approbatam significare solet. — Brevitatis causa remittimus explicare divisiones varias legum ecclesiasticarum praesertim in Iure Eccl. publico: heic indicasse sufficiat, quod leges distinguantur: I. Ratione subiecti in Constitutiones vel Decretales Roman. Pontificum, et in canones, decreta Conciliorum. II. Ratione obiecti in leges affirmativas et negativas. II. Ratione formae in scriptas et non scriptas, quae nempe ab ipso legislatore datae sunt et traditae, aut consuetudine introductae. IV. Ratione effectus in obligantes, permittentes, irritantes, odiosas et favorabiles. V. Ratione extensionis in territoriales et particulares, in generales et singulares ac speciales. VI. Ratione sanctionis in imperfectas et perfectas...

23. 1. De valore legum pontificiarum, 2. de nominibus seu vocibus, quibus appellantur ut Bullae et brevia.

In genere *quod vim legis habeant pontificiae Constitutiones,* conclusio est iuris publici. Quod *R. Pontifex* et beatissimus ac SS. Papa in persona B. Petri *sit constitutus Primas primatu*

iurisdictionis in universam Ecclesiam, quod sit caput omnium Ecclesiarum, cuius Sedi uniri ac subiici omnes sacerdotes et episcopos Orientis et Occidentis debere in fide, moribus et disciplina, est dogma fidei: atqui qui habet iurisdictionem supremam in aliqua societate, is habet potestatem legislativam in ambitu huius societatis, ita ut omnes socii parere ipsi debeant. Unde Constitutiones RR. PP. in rebus ecclesiasticis per se aptae sunt ligare omnes, *quodcumque ligaveris... erit ligatum et in coelis* tamquam ipsius Petri voci firmatae *can. 2. dist. 19;* atque proinde Pontificum Romanorum decreta et decretales epistolae absque ulla tergiversatione ab omnibus venerabiliter suscipienda sunt. Hanc potestatem condendi leges sibi semper vindicarunt RR. Pontifices, *cf. Leo I. ep. ad Episcopos Campaniae.*

Sed quaeritur *an omnia RR. PP. acta disponentia aut declarantia aliquod punctum iuris vim legis universalis habeant?*

R. 1.° Definitiones ex cathedra quoad fidem et mores dicendae sunt prorsus universales et communes; quia iuris divini sunt: caeterae constitutiones eiusdem auctoritatis sunt; obligantes scilicet in conscientia, et nisi ipse R. Pontifex velit restringere ad unam tantum particularem Ecclesiam, aut nisi ex materia ipsa, e. g. attingente ordinem religiosum, evidenter aliud appareat; per se sunt communes et universos fideles obligant. Unde generatim constitutiones pontificiae robur suum in eo sensu et intra eos limites obtinent, intra quos ex mente Pontificis restringuntur.

R. 2.° nominatim quoad eas Constitutiones, quae non ex motu proprio sed ex relatione, consultatione, aut postulatione sive Episcoporum, sive aliorum edi solent, quaeque Responsa vel epistolae Decretales nuncupantur, distinguendum est. Si Pontifex iudicis personam agat in litibus mere privatis decidendis, eius sententia ordinarie vim legis universalis non habet; quia ferendo sententiam in particulari causa non fungitur munere legislatoris Ecclesiae universae ex potestate summa ad regendum populum christianum sibi concessa: « *Iura enim non in singulas personas, sed generaliter constituuntur* » *L. 8. ff. de LL.;* et privatarum causarum decisio inferiori etiam iudici competit. Unde imperatores quoque volunt, ut quae in particulari negotio statuerint: « *Generalia iura non sint sed*

leges faciunt his dumtaxat negotiis atque personis, pro quibus fuerunt promulgata ». *L. 2. C. eod:* quia sententia de se non est constitutiva iuris, sed potius declarativa; cum cedat in factum praeteritum et dependeat ex singularibus circumstantiis.

R. 3.° Nihilominus potest talis sententia novum ius constituere, si R. Pontifex mentem suam sufficienter exprimat simulque debitis modis eam promulgandam curet. « *Satis est eas expressius continere, quod Principes censuerint ea, quae in certis negotiis statuta sunt, similium quoque causarum fata componere* ». *L. 3. ibid.*

Quod maxime fit α) inserendo eiusmodi decisiones in corpore Iuris can. § 2. *C. de novo Cod. fac.* Hac ratione plurimae sententiae RR. PP. in Gregoriana Collectione Decretalium relatae naturam generalis legis induerunt; atque β) generalius tenendum: *constitutiones Pontificias ad omnes extendi fideles,* easque propterea generalibus Ecclesiae legibus adnumerandas, si adsint plus minus manifesta indicia, e. g:

I. Si mittantur venerabili coetui.

II. Si praecipitur per omnes populos divulgari et scriptura publica proceditur.

III. Si dicatur idem in similibus servandum.

IV. Si canon appelletur generalis.

V. Si iubetur expresse ad omnes pertinere.

R. 4.° Easdem porro sententias, etsi non ad omnes divulgentur, semper tamquam authenticas habendas esse ab iis, qui earum certam notitiam acceperint. Communiter autem eo consilio eduntur, ut ad decidendos similes casus inserviant, cum ait *Innoc. III. in similibus caeteri teneantur similiter iudicare c. 19. De sent. et Re iudic. e. g.* si rem solum particularem concernant, privilegium aliquod concedant.

Sub quo porro nomine seu forma Constitutiones pontificiae prodeant: sufficit respondisse, sub forma *bullarum* aut *brevium* eas prodire, ita tamen ut nonnisi ad exteriorem et solemniorem formam pertineat discrimen inter Bullas et Brevia. Nam iuxta Ferraris v. *Bulla* ita nuncupantur *Bullae* ex bulla seu sigillo plerumque plumbeo et perraro aureo, quo insigniuntur quaedam Constitutiones pontificiae, quod sigillum ex funiculo serico aut cannabino ex pergamena dependet, et

una ex parte imagines exhibet SS. Apostolorum Petri et Pauli, ex altera Pontificis nomen. Ex Bullis aliae *Concistoriales* appellantur aliae *Dimidiae;* illae, praeter quam quod aliud sigillum ad formam *crucis* habent, subscribuntur non solum a Pontifice, sed etiam a Cardinalibus; quorum consilio utitur Pontifex, atque in Concistorio expediuntur; quae autem dimidiae dicuntur, ideo appellantur, quia in sigillo plumbeo deest nomen Pontificis, et dantur a Pontifice electo ante coronationem. Insuper notandum etiam est Bullas *crassioribus* et subobscuris pergamenis inscribi, veteribus characteribus theutonicis peculiari etiam adhibita ortographiae et interpungendi ratione atque eiusmodi cetera, iuxta varias regulas *ex stylo Curiae,* speciatim quoad titulum et subscriptiones. Ad Bullas minoris momenti quod attinet, Leo XIII. litteris apostolicis 29 Decembris 1878 immutationem quamdam induxit circa formam sigilli et characteres scriptionis.

Brevia autem appellantur eae litterae apostolicae minus solemnes, quae in membranis subtilibus ac candidis latinis characteribus et usitato modo conscribuntur (1). Ideo data dicuntur sub anulo piscatoris: quia sigillum rubra cera impressum S. Petrum refert e navicula piscantem.

Porro acta Pontificis sive Bullae sive Brevia, sive alio nomine donentur, dicuntur etiam *Decreta,* si in iis Papa *motu proprio,* sive solus sive Cardinalium consilio adhibito, aliquid statuit: *Decretales* si Papa consultus ab Episcopis vel ab alia persona iis rescribit, statuens aliquid, quod legis communis rationem habeat; *Encyclicae* si ad omnes catholicos Episcopos dirigantur: quaedam dicuntur etiam *Rescripta:* quaedam *regulae Cancellariae apostolicae;* sed de his inferius.

Quamvis distinctio inter Bullas et Brevia exteriorem magis formam afficiat, quam intrinsecam earumdem naturam *(cf. Constit. Greg. XIII. ad Romani Pontificis 10. Iulii 1574);* tamen ordinario novas leges non in *Brevibus* reperiri est,

(1) Porro dicuntur *Brevia* cum in ipsis summatim et brevioribus verbis rescribitur quam in Bullis. Insuper harum expeditio fit per Cancellariam Apost.; Secretaria autem Brevium expedit constitutiones pontificias, quae notantur cera rubra cum sigillo, quod audit piscatoris anulus.

quando illae ad universam Ecclesiam obligandam feruntur, sed in *Bullis:* in his autem patet posse reperiri non tantum communes sed et particulares leges.

II.

Sunt fons Iuris canonici Decreta Conciliorum oecumenicorum a R. P. confirmata.

24. 1.° Quid sit *concilium generale* seu oecumenicum, quomodo sit legitimum in sua convocatione, celebratione, confirmatione, alibi probatum sumimus.

2.° *Materia* est eadem, quae pro pontificiis constitutionibus, i. e. fides, mores, disciplina. De dogmaticis horum conciliorum definitionibus iam diximus: nunc de decretis et canonibus disciplinaribus.

3.° Quod Concilium una cum R. P. decernens circa fidem et mores sit infallibile constat aliunde.

Quod generalium Conciliorum decreta sic intellecta habeant vim legis, et ligent omnes Christianos probatur:

1.° Luc. X. 16. « *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* »: audire tum apud latinos scriptores, tum apud Iurisconsultos pro eo sumitur, quod est obtemperare et praecipienti parere. In ipsum igitur Servatorem nostrum contumax existeret quisquis Ecclesiae per Concilium repraesentatae iussa detrectaverit. « *Dic Ecclesiae: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* ». Huc refer et illud *Prov. VI. 20: Conserva fili mi praecepta patris tui et ne dimittas legem matris tuae,* quo nomine Ecclesia intelligitur, per quam Christo generati sumus.

2.° Praxi Ecclesiae constat, eiusmodi decreta, uti leges obligantes Christianos omnes, semper fuisse recepta. Quatuor prima Concilia adeo celebriora sunt, ut sacrosanctis quatuor evangeliis comparentur et instar SS. Scripturarum accipiantur *c. 2. dist. 15. et Nov. 131. c. 1.*: atqui caetera deinceps legitime celebrata et approbata pollent eadem auctoritate; idem enim est magisterium infallibile et universale, nec non suprema potestas: ergo haec etiam eamdem vim habent, et eadem ac quatuor priora suscipienda sunt veneratione.

Concilia oecumenica nunc recensentur XIX. imo XX. si addatur Concilium Vaticanum inchoatum: Scilicet:

I. *Concilium Nicaenum I.* in quo Patres trecenti et octodecim, an. Christi 325, contra Arii presbyteri Alexandrini perversum dogma, *Dei Filium* ομοουσιον i. e. consubstantialem Deo Patri per symbolum definiverunt, addito etiam decreto de Paschate, non more Iudaeorum, ipsa die 14 crescentis lunae sub aequinoctium vernum, sed die dominica insequenti celebrando contra Quartodecimanos.

II. *Constantinopolitanum I.* constans 150 Patribus, an. Christi 381, celebratum sub Damaso Pontifice et Theodosio seniore imperatore praecipue adversus Macedonium Episcopum antea Constantinopolitanum, aliosque blasphemantes Spiritum Sanctum non Deum sed creaturam esse: quo in Concilio Nicaenum symbolum in eam, quae nunc in celebratione divinorum Mysteriorum decantatur, formam constitutum est, adiecto nempe articulo, quo Spiritus Sancti una eademque cum Patre Filioque substantia declaratur.

III. *Ephesinum I.* auctore R. P. Coelestino, volente Theodosio Iuniore, an. 431, ab Episcopis amplius ducentis celebratum contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, qui Christum in duas Hypostases seu Personas dividebat.

IV. *Chalcedonense* auctoritate Leonis I. Pontificis sub Marciano imperatore an. 451 celebratum, in quo damnatus est Eutyches Archimandrita seu abbas Constantinopolitanus, qui unam tantum esse in Christo naturam asserebat.

V. *Constantinopolitanum II.* anno Christi 553 Iustiniani Imperat. iussu celebratum ab Episcopis 165, qui damnarunt tria famosa Capitula: scilicet Personam et scripta Theodori Mopsuesteni Episcopi, scripta Theodoreti contra S. Cyrillum et Epistolam Ibae ad Marin Persam: eo quod haec Nestorianae haeresi patrocinarentur. Vigilius Papa, tunc Constantinopoli praesens, Concilio interesse noluit: at postea animadvertens articulum, in quo ipse dissentiebat, non ad res fidei, sed ad personas pertinere; Synodo tandem subscripsit, atque ita oecumenicam reddidit.

VI. *Constantinopolitanum III.* auctoritate Agathonis Papae, qui per legatos praefuit, inchoatum anno Christi 680, et se-

quenti absolutum est, Imperatore Constantino Pogonato, Heraclii nepote, contra Monothelitas unam solam voluntatem unamque operationem in Christo asserentes. Cum hisce autem eadem damnatione involutus dicitur Honorius Romanus Pontifex pridem mortuus, qui Monothelitarum errorem numquam tenuit, nec docuit, sed tamen, ut ait S. Leo II. *ep. 2.* ad Episcopos Hispanos, « *Flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit: sed negligendo confovit* » (1).

VII. *Nicaenum II.* ab Imperatore Constantino Leonis IV filio, eiusque matre Irene convocatum, consentiente Adriano I. Papa, et huius Legatis praesidentibus anno 787. Damnata ibi est haeresis Ichonoclastarum sacras imagines violantium, earumque usum atque cultum omnem respuentium. Editi sunt simul canones 22 Disciplinam spectantes, quorum plerique conveniunt cum priorum CC. canonibus: aliqui vero sub nomine VII Synodi relati sunt in Decreto Gratiani.

VIII. *Constantinopolitanum IV.* quod ultimum in Oriente, indictum fuit agente Adriano II. Papa, qui per legatos interfuit an. 869. imperante Basilio in Oriente et Ludovico II. in Occidente. Damnatus est Photius Constantinopolitanae Sedis invasor, et restitutus est s. Ignatius legitimus huius Sedis Praesul. Tum Photius, vi atque arte pollens, pristinum adeptus est episcopatum, et illius divisionis iecit semina, quae in apertum Graecorum schisma transiit saec. XI.; atque inde factum, ut Ecclesia Latina deinceps sua Concilia Oecumenica sine Graecis schismaticis celebraverit, in Occidente, donec unio iterum cum illis sancita fuerit. Animadvertendum est oecumenica Concilia fuisse, in quae Romani Pontifices iurare solebant, quamvis non omnes eorum canones disciplinares receperint.

IX. *Oecumenicum et I. Occidentale* Concilium est *Latera-*

(1) Post Costantinopolitanum III. anno (iuxta plures) congregata Constantinopoli est Synodus Trullana sic dicta a Trullo Palatii i. e. in *aula* ab opere arcuato appellata. Dicitur etiam *Quini-sexta* eo quod congregata sit ad condendos circa disciplinam canones in supplementum Synodi V^ae^ et VI^ae^. Condidit autem 102^os^. quos Sergius tunc temporis Pontifex approbare noluit, quamvis eos Graeci tanquam canones Synodi VI^ae^ allegare soleant. —

nense I. a Callisto II. Romano Pontifice, praesentibus Episcopis plusquam trecentis, Abbatibus plusquam sexcentis, celebratum Romae in Lateranensi Basilica anno Christi 1123: ubi finis imponitur controversiae de Investituris Episcoporum et Abbatum per baculi et annuli traditionem, quas sibi Imperatores et Principes tribuebant: atque adeo sancitum est ut Imperator (qui tunc erat Henricus V) quoad Electiones Episcoporum et Abbatum libertatem clericis et Monachis omnino permitteret: Electi autem Regalia et feuda saecularia dumtaxat per sceptrum reciperent.

X. Est *Lateranense II.* ab Innoc. II. Rom. Pontif. an. 1139 convocatum: a quo rescinduntur acta Petri Leonis Pseudo Pontificis sub nomine Anacleti, Petrus de Bruis et Arnaldus de Brixia damnantur: canones 30 circa disciplinam eduntur, quos inter celeberrimus est canon « *Si quis suadente* » etc. excommunicationem latae sententiae infligens in eos, qui violentas manus Clericis intulerint.

XI. *Oecumenicum est Lateranense III.* anno 1179 habitum, Alexandro III. Pontifice, et Friderico I. Imperatore, quod in Decretalium libris absolute Lateranense Concilium nuncupatur; ubi tum Waldenses, qui et Pauperes de Lugduno dicebantur; tum Albigenses damnati sunt: atque ad impedienda schismata Pseudo Pontificum statutum fuit, ut Pontifex Romanus non esset, nisi qui a duabus tertiis partibus Cardinalium eligeretur.

XII. *Concilium Oecumenicum est Lateranense IV.,* quod simpliciter Concilium Generale in Decretalibus appellatur; imperante Friderico II., convocatum est ab Innoc. III. Rom. Pont., qui ei praesedit anno 1215. Plurimi huius Concilii canones inserti sunt in Volumine Decretalium, praesertim canon « *Omnis utriusque sexus* » circa confessionem et communionem paschalem. Statutum pariter fuit, ut in Palaestinam a Saracenis christiano nomini ereptam, ad suscipiendas expeditiones foedus inter christianos Principes sanciretur. Damnatae tandem sunt variae haereses, errores Almarici, et libellus Ioachim Abbatis.

XIII. *Venit Lugdunense I. ab Innoc. IV.* 1245 in Gallia celebratum pro expeditione in terram sanctam, et pro Friderici II. Imperatoris excommunicatione atque abdicatione. Unde iterum per Germaniam atque Italiam exarsere bella et dissi-

dia inter Guelfos, qui Pontifices, et Ghibellinos, qui Caesareas partes tuebantur. In hoc Concilio pilei rubri insigne Cardinalibus est attributum: eiusque canones in sexto libro Decretalium sparsi reperiuntur.

XIV. *Pariter* in sexto Decretal. reperiuntur canones *Concilii Lugdunensis II.,* quod est Oecumenicum XIV. anno 1274 celebratum, sub praeside Gregorio X. Romano Pontifice, ad recuperandam Terram Sanctam et errores Graecorum profligandos; quorum unio facta est cum Latinis, opera praesertim S. Bonaventurae.

XV. *Est Concilium Viennense* in Gallia an. 1311 sub Clemente V. in quo Bonifacii VIII. memoria frustra haereseos a Philippo Pulchro Galliarum rege accusatur. Templariorum ordo extinguitur: variae haereses damnantur: huius Concilii constitutiones maximam partem continent libri, qui Clementinae dicuntur.

XVI. *Est Concilium Generale Constantiense,* quod celebratum est ab anno 1414 usque ad annum 1418 et convocatione probatum a Gregorio XII: ubi sublatum est luctuosum Ecclesiae schisma cum, Ioanne praesente, et Benedicto in Hispania agente, abrogatus est Pontificatus a Gregorio se sponte abdicante. Martinus V. in novum Pontificem electus est: deinde proscribuntur errores Ioan. Wickleffi angli; atque huius sectatores Hieronymus Pragensis et Ioannes Huss vivi comburuntur. Huius Synodi Martinus confirmavit ea omnia et singula, quae conclusa in materiis fidei et *conciliariter* decreta sunt.

XVII. *Numeratur Concil. Florentinum* Ferrariae inchoatum an. 1438: indeque ob grassantem pestem Florentiam translatum et Romae absolutum ab Eugenio IV, praesente Graecorum Imperatore Io. Paleologo et Iosepho Patriarcha Constantinopolitano, quo sancita est unio inter Ecclesiam Graecam et Latinam.

XVIII. *Est Concilium Lateranense V.* an. 1512. inchoatum sub Iulio II ad tollendum schisma Conciliabuli Pisani, quod quidam Cardinales priori anno coegerunt: finitum est Lateranense V. sub Leone X. anno 1517, abrogata pragmatica sanctione Gallorum.

XIX. *Est Concilium Tridentinum* coeptum an. 1545 sub Paulo III. contra recentiores sectas, continuatum sub Iulio III.

et tandem absolutum et approbatum est a Pio IV. an. 1563, ducentis quinquagintaquinque Patribus subscribentibus. Sed de Tridentino Concilio speciatim infra.

XX. *Recensetur Concilium Vaticanum,* quod ad incrementum Catholicae Fidei et Religionis, ad extirpationem grassantium errorum pantheismi praesertim et rationalismi, et tandem ad reformationem Cleri et populi Christiani, atque proinde ad communem omnium pacem concordiamque indixit Pius IX atque inchoavit in Basilica vaticana die 8 Decembris 1869, et dein post varios canones editos in pluribus sessionibus, ob sacrilegam Almae Urbis ac totius civilis Principatus R. Pontificis a Pedemontano gubernio mense Septembri huius anni 1870 perpetratam invasionem, abrupit. Porro canones *editi* in hoc Concilio versantur contra errores praesertim pantheismi atque rationalismi nostrorum temporum: et definita est uti dogma credendum suprema potestas atque infallibilitas Romani Pontificis dum ex cathedra loquitur. Adfuere Cardinales 47, Patriarchae 9, Primates 7, Archiepiscopi et Episcopi 600, Abbates nullius dioeceseos 4, Generales ordinum monasticorum 12, Moderatores Generales Congregationum et Ordinum religiosorum 25.

III.

Concilia particularia quandoque sunt fons.

25. Quamvis decreta, quae in Synodis dioecesanis aut provincialibus nec non nationalibus Conciliis edita sunt, per se non obligent nisi eos, qui ambitu dioecesis, aut provinciae, aut nationis continentur: tamen si Romanorum Pontificum auctoritate confirmantur pro universa catholica Ecclesia, vim legis generalis habent. Ad positivam enim legem constituendam sufficit expressio voluntatis universalis Legislatoris communitatem omnem obligantis: atque talis expressio habetur confirmatione Pontificis vel Conciliorum oecumenicorum, qui fontes essendi iuris humani in Ecclesia sunt. Ergo. Haec porro confirmatio et approbatio fieri potest: α) *expressis verbis,* si eae inferiorum Praelatorum leges extendantur sive a solo Romano Pontifice sive ab Oecumenico Concilio ad universam Ecclesiam;

β) vel *aequivalenter* e. g. si insertae sint in codice Canonum universalis Ecclesiae, sicut factum est de decretis, quae condiderunt concilia particularia e. g. Ancyranum, Neocaesariense, Gangrense...

Haec pars probatur evidenter etiam ex epistola, quam dedit Leo IV ad Episcopos Britanniae cap. 4.

Verba reperiuntur tum in Collectione Concil. Labbaei et Mansi XIV col. 884, tum in Gratiani decreto *can. de libellis* d. 20: nos ex Gratiani Decreto malumus verba referre integri canonis, quae ad aliud doctrinae caput infra exponendae, faciunt. « De libellis et commentariis aliorum non convenit aliquos iudicare, et Sanctorum Conciliorum canones relinquere, vel *Decretalium Regulas, idest, quae habentur apud nos* simul cum canonibus. *Quibus autem in omnibus ecclesiasticis utimur iudiciis, sunt canones Apostolorum, Nicaenorum, Ancyranorum, Neocaesariensium, Gangrensium,.... Sardiciensium, Africanensium, Carthaginensium, et cum illis Regulae Praesulum, Romanorum Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Caelestini, Leonis, Hilarii, Gelasii, Hormisdae et Gregorii iunioris. Isti omnino sunt et per quos Episcopi iudicant, et per quos Episcopi simul et Clerici iudicantur.*

« *Nam si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium quod minime possit per istos definiri; tunc illorum, quorum ministris dicta Hieronymi, Augustini, Isidori vel coeterorum similiter Sanctorum Doctorum similium, si reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda, vel ad Apostolicam Sedem referatur de talibus. § 1. Quam ob causam luculentius, et magna voce pronunciare non timeo: quia, qui illa, quae diximus, Sanctorum Patrum statuta, quae apud nos canonum nomine praetitulantur, (sive sit ille Episcopus, sive Clericus, sive Laicus) non differenter recipere convincitur; nec catholicam fidem, nec sancta quatuor Evangelia utiliter et efficaciter ad effectum suum retinere, vel credere probatur* ».

Quae verba non solum exemplum exhibent, quo modo canones Conciliorum particularium evadent leges universales, sed (etsi sumantur, uti sunt: scilicet paullo aliter penes Correctores Romanos) exhibent collectionem quamdam canonum et Decretalium *a*) authenticam, atque aliam tum *b*) a Colle-

ctione Dionysii Exigui, tum *c*) a Prisca canonum editione latina, tum *d*) a Pseudo-Isidoriana.

Patet 1^m^, siquidem ea adhibebatur in omnibus ecclesiasticis iudiciis, sive ut Episcopi iudicent, sive ut Episcopi simul et Clerici iudicentur.

Patet 2^m^: quia haec collectio non habet canones antiochenos, Laodicenses, Constantinopolitanos, Chalcedonenses, quos refert *Dionysius;* insuper in Decretalibus habet *Decretales Sylvestri et Hilarii, quae desunt in collectione Dionysiana,* et tandem quia non continet Decretales Bonifacii et Anastasii, quae tamen sunt in Collectione Dionysiana.

Patet 3^m^. legenti Priscam canonum editionem latinam in *Bibl. Iuris Canonici penes Iustelli v. 1. pag. 277. sqq.*

Patet 4^m^. inspicienti tempus, quo summum gessit Pontificatum Leo IV. scil. ab an. 847-855, et perpendenti verba *Decretalium regulae, quae habentur apud nos,* hanc scilicet a Leone IV indicatam et non alias Romanorum Pontificum Decretales agnitas esse Romae, eo ipso tempore, quo vulgari coepta est Collectio Pseudo-Isidoriana.

De iure civili comparato ad ius ecclesiasticum.

Summarium. — Ius civile I. per se est fons spurius in iure canonico, quod ab una Ecclesia procedit: at quamvis Ecclesia, non civilibus sed propriis legibus regatur; II. tamen Principes laici rem gratam Ecclesiae facient si et legibus suis bene urgeant dependenter ab Ecclesia sacrorum Canonum observantiam. Imo III. Ecclesia plures leges civiles in suum S. Codicem relatas approbavit suasque effecit, quas canonizatas dicunt. Hinc IV. cum ius civile explicite vel tacite ab Ecclesia approbatum evadat fons legitimus iuris canonici, eius studium necessarium erit canonistis. V. Et quoniam ex civilibus legibus addiscendis conflatur Ius civile, de huius natura, divisione, authenticis collectionibus quaedam breviter iam nunc indicantur.

26. Praecipuum quod hac propositione probatur, est, legibus a civili potestate latis, quae libere fuerint a Romano Pontifice vel a Concilio Generali approbatae, contineri etiam ius canonicum seu ius humanum scriptum et commune pro universa Ec-

clesia. Quamvis enim per se spurius sit, tamen propter eiusmodi approbationem evadit legitimus fons iuris canonici.

Ast ad pleniorem omnium, quae in propositione exhibentur, intelligentiam, atque ad habitudinem generatim inter ius civile et canonicum innuendam, singula prosequentes declaramus.

I. Spurius est fons ius civile sed fit legitimus.

Spurius est fons ius civile, quod politici Principis legibus conflatur. Legitimus enim fons legum est si leges ab iis edantur, qui iuxta Societatis constitutionem, potestatem legiferam in ea habent: atqui politicus Princeps, ut sic, nullam potestatem legiferam habet in Ecclesiam. Christus enim Ecclesiam suam longe super aliud fundamentum aedificavit, aliisque regendam commisit, quam potestati saeculari et politicis Principibus: idque non modo quoad internam gubernationem circa dogmata fidei sumpta etc.; sed etiam quoad externam politiam et rectum ordinem in Ecclesiasticis negotiis e. g. circa Ministeria Clericorum, numerum ac festorum observationem etc.; et generatim circa eas res, in quibus sive per se sive per accidens, ratio seu necessitas finis Ecclesiae concurrit. In his enim omnibus vidimus Ecclesiam posse exercere potestatem suam et propriis legibus regi:

a) uti iam a primis ortus sui annis experientia continuata testatur; quin *b*) et ipsi Imperatores hoc ius Ecclesiae agnoverunt; *Iustin. nov. 6. in Praef.* ait « *Sacerdotium et Imperium* (esse distinguendum), et *illud quidem divinis ministrans; hoc autem humanis praesidens et diligentiam exhibens* »; *c*) confirmatur tandem celeberrimis verbis, quae *Innoc. III.* desumpsit ex Synodo romana sub Symmacho habita an. 502: « *Nos attendentes quod laicis etiam religiosis (piis) super Ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas... a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum* », *c. 10, De constit.* (I. 2).

27. **II. « Attamen Principes laici rem gratam Ecclesiae faciunt, si legibus suis saluti fidelium invigilantes bene urgeant dependenter ab Ecclesia sacrorum canonum observantiam. »**

1. *Rem gratam Ecclesiae facient:* habere enim Imperatores

tuendae Religionis zelo praeditos, atque promovendae disciplinae ecclesiasticae cupidos, qui suo nomine etiam proponant leges circa politiam externam Ecclesiae a Potestate ecclesiastica digestas; nonnisi gratum contingere potest Ecclesiae. Efficacius enim et certius, accedente magistratuum saecularium coercitione, sacri canones in mores inducuntur populorum.

2. Dixi *nomine proprio* ut indicarem legibus suis, quamvis dependenter ab Ecclesia, debere imperatores invigilare saluti subditorum. Cum enim curare debeant legibus suis felicitatem temporalem subordinatam aeternae, nihil magis cordi habere tenentur, quam exactam SS. Canonum observationem, atque Ecclesiae disciplinam per suas leges: nam rectum et debitum Religionis exercitium... maxime exigit et ipsa temporalis felicitas. Quod *Imper. Iustin. Nov. 6. in Prael.* agnoscens « *Nihil sic erit studiosum Imperatoribus sicut sacerdotum honestas, cum utique et pro illis ipsis semper Deo supplicent. Nam si hoc sacerdotium quidem inculpabile sit undique, et apud Deum fiducia plenum; Imperium autem recte et competenter exornet traditam sibi rempublicam; erit consonantia quaedam bona, omne quidquid utile humano conferens generi* ». Porro ex dictis patet quod, licet dependenter ab Ecclesiae legibus, tamquam suis, sacrorum canonum observationem urgeant, imperatores non simpliciter praecones aut executores sacrorum canonum sunt: sicut enim Princeps sancitis poenis et potestate legislativa fieri praecipit aut prohibet, quae iure naturali aut divino praecepta aut prohibita sunt; eadem ferme ratione Principes, volentibus Praelatis, Leges ecclesiasticas propositis poenis servandas praecipiunt sic *L. 45. C. de Episc.* « *Sanciendo obtineri in illis et quae Sacris visa sunt canonibus perinde ac si civilibus inscriptum esset Legibus... Quemadmodum enim SS. Canonibus prohibita sunt talia, sic et secundum nostras Leges rem ipsam prohiberi* » ait Iustin.

3. Dixi pluries **dependenter ab Ecclesiae... volentibus Praelatis** etc. Iudicium enim earum rerum, in quibus sive per se, sive per accidens ratio finis Ecclesiae occurrit, ad Ecclesiam spectat. Ergo sequi et urgere sacros canones debent ut Iustin. ait *Nov. s. c. nov. 6. c. 1, Sancimus sacras sequentes regulas etc. et Nov. 42. in Praes.* « *Quoties sacerdotum sententia aliquid definitum fuit; toties Imperium eiusdem sententiae et ordinationis cum*

Sacerdotum auctoritate fuit. Sicque divina et humana pariter concurrentia, unam consonantiam rectis sententiis facere.

28. III. Imo Ecclesia plures leges civiles in suum sacrum Codicem relatas approbavit, suasque effecit, quas vulgo canonizatas dicunt. Legentibus enim sive Decretales, sive generatim RR. Pontificum constitutiones atque decreta in authenticis vel quasi authenticis collectionibus contenta, patebit plura ex Romanis legibus ut ex codice Theodosiano, et Iustinianaeo in ius canonicum translata esse. Quae ideo **canonizatae** dicuntur, quia inter approbatos canones insertae sunt. « Leges quasdam per *Fridericum olim Romanorum Imperatorem tunc in devotione Romanae persistentem Ecclesiae promulgatas quatenus Dei Ecclesiae suae honorem promovent et haereticorum exterminium prosequuntur et statutis canonicis non obsistunt, approbantes et observari volentes* » *C. 18. de Haer. in 6.*

Quin imo in negotiis et causis ecclesiasticis, de quibus nil in ipso iure canonico traditum est, perscrutari etiam iuris civilis regulas, easque sequi debere, α) exemplo nos praeit Gregorius Magnus, qui cum in omnibus epistolarum libris tum praesertim in epist. ad Ioan. Defensorem in Hispaniam euntem, tum ipse saepius non aliis legibus utitur, tum ceteris Episcopis non alias sequendas tradit regulas controversiarum definiendarum, quam ex iure civili depromptas. Unde β) hunc sequuti sunt alii Pontifices RR. e. g. Lucius III. *De N. O. N.* ait « *Sicut humanae leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum Constitutionibus adiuvantur* » ubi Gloss. ad verbum *adiuvantur* « *In caussa ecclesiastica leges possumus allegare, ut si canones deficiant possit iudicari secundum leges* ». *Cf. Bouix de iudiciis l. 1.*

Hinc praestat innuere de usu atque auctoritate Iuris civilis.

Sed de usu atque auctoritate *corporis iuris civilis,* in foro civili, omittimus modo, tum quia res est ad aliam scholam pertinens, tum quia in modernis imperiis atque regnis valde immutatae sunt constitutiones ipsae atque iura civitatum. Veniamus potius ad *usum atque auctoritatem,* quam in iure canonico forte habeat. Qua in re duplex vitanda extrema et sibi invicem opposita sententia. Prima est eorum, qui ad

phrenesim omnia in ius canonicum derivant ex iure civil romano. Secunda est eorum, qui nefas omnino putant ab uno in aliud ius provocare.

Iamvero *contra primos* necessario tenendum dicimus, Ecclesiam habere principia sibimet propria, super quae fundavit legislationem suam, et principia quidem multo nobiliora prae iure civili, nempe lumen revelationis etc. adeo ut multipliciter atque maxime differre debeant haec duo iura inter se; etiam in multis contrariis et contradictoriis. Ergo non potest provocari semper ad ius civile.

Doctores innumeras ferme differentias percipiunt unum inter et alterum ius. *Reiffenstuel* 50 praecipuas enumerat. Nos, potius quam his omnibus recensendis immorari, quasdam indicare causas debemus, unde tales prodeunt differentiae: ex quibus perspectis via nobis patebit tradendi regulas, quodnam ex differentibus iuribus sequi oporteat.

I. *Causa* differentiarum est, quod *Ecclesia,* quae leges canonicas circa doctrinam morum ac fidei constituit, *sit infallibilis:* civilis autem potestas ius *cum doctrina* connexum condendo, est fallibilis. Plura exempla sunt Legum per canones correctarum, quae approbare videntur concubinatum, usuras, praescriptionem cum mala fide, viri uxorem, propter iustas causas, dimittentis matrimonium cum alia, occisionem uxoris adulterae etc. *cf. Fagn. in c. Cum esses, n. 168. sq. De Testam.*

II. *Caussa est mansuetudo Ecclesiae,* semper enim se exhibet plenissimam charitatis et lenitatis in regimine animarum: quas Christus suo Sanguine redemit... Inde est quod *c. 11. de Transact.* ait « *in his vero, super quibus ius non invenitur expressum procedas aequitate servata, semper in humaniorem partem declinando secundum quod personas et causas, loca et tempora videris postulare* » et generalius adhuc *c. 1. de dol. et contum.* tradit regul. « *in Ecclesiasticis personis et negotiis rigor et districtio iuris non requiritur* ». Unde exemptio caeci a collectis: iudicium circa miserabiles personas reservatum Ecclesiae: recursus ad iudices ecclesiasticos propter recusatam iustitiam a iudice saeculari: Ius asyli in Ecclesia: appellationes extraiudiciales, etc. *Cfr. Zech. l. c. § 405.*

III. *Caussa est singularis sollicitudo,* qua Ecclesia fideles suos

ad salutem animarum perducere, et ab omni eas perdendi periculo removere satagit; e. g. ne periclitetur continentia iuniorum viduarum, et ob alia incommoda nonnunquam evitanda, Ius canonicum permittit mulieri rursus nubere statim ac libera est, absque metu infamiae, quam ius civile irrogat mulieribus intra annum luctus nubentibus.

IV. *Causa est reverentia sacramentorum* praesertim Matrimonii. Ius enim civile e. g. ius matrimonii adimit servis, nuptias sine dotalibus instrumentis irritat... quae omnia Ecclesia non admittit.

V. *Causa est religio et singularis cura cultus divini augendi.* Quanto igitur maiorem sibi sumit potestatem in personas ecclesiasticas, in bona Ecclesiarum, in ipsas Ecclesias et loca sacra, unde tot canones circa decimas, ius asyli, ecclesiasticas immunitates,.. tanto maior tribuitur Deo cultus.

Ex his causis quinque profluunt Regulae.

1ª. In materia spirituali e. g. de Sacramentis, de statu clericali aut religioso, Beneficiis ecclesiasticis, decimis... Ius canonicum in utroque foro est observandum: adeo ut quidquid hisce de rebus statuat laica potestas independenter ab Ecclesia, incassum et irritum omne erit. *c. 10. de Constit.*

2ª. Si de peccato aut materia conscientiam tangente agatur, Ius canon. est in utroque foro servandum: cum habeas *ex c. fin. de Praescript.* « *Omni Constitutioni et Consuetudini derogandum est, quae absque peccato mortali non potest observari* ».

3ª. Si qua ratio aequitatis, praesertim in processu iudiciali ordinando, fundamentum dedit discessus Iuris canonici a Iure civili, quamvis non semper in iis materiis Ius can. praevalere debeat in terris Imperii, tamen vidimus passim tribunalia profana etiam acatholica imitata esse hanc aequitatem.

4ª. In materia profana vel adiafora unum ius cum altero combinandum; et Ius civile dubium a canonico claro, et vicissim Ius canonicum dubium ex iure civili claro declarandum. Hinc etsi nil in uno iure reperiatur, reperitur autem clarum in alio, huius alterius decisio sequenda... *cf. Sup. Lucius III.*

5ª. Quod si ius utrumque, in materia profana et conscientiam non concernente, conciliari probabili quadam ratione nequeat, sed unum aperte ab altero discrepet; quodlibet in suo

foro servandum, canonicum in foro ecclesiastico, civile in foro civili.

Saepe pro explicando iure canonico provocatur ad ius civile: at *quinam usus iuris civilis in legislatione canonica?*

Regula I. Si agatur de legibus civilibus, quae ab Ecclesia correctae aut reiectae sunt, nullus usus.

Regula II. Non secus ac ab ipsis ecclesiasticis legibus possumus ab iis arguere civilibus legibus, quae ab Ecclesia probantur et recipiuntur.

Regula III. Aliis in legibus, quae nec approbatae sunt, nec reiectae, potest argui ob generalem vel praesumptionem concordiae inter unum et alterum ius, vel approbationem, quam obtinuit universum ius civile a R. P. Lucio III., qui in *Cap. 1. de novi operis nunciat.* hanc celeberrimam protulit sententiam « *sicut humanae leges non dedignantur sacros canones imitari, sic et canonum statuta principum constitutionibus adiuvantur* » : modo res profana agatur.

Ex quibus patet secundae sententiae patronos decipi: qui praeter quam quod contra ipsos Pontifices et Ecclesiam sentirent, supponerent quoddam veluti bellum existere inter ecclesiasticam et civilem auctoritatem, canonicam et civilem iurisprudentiam; cum utraque a Deo procedens in unum idemque bonum humani generis ordinatur. At si via a praecedentibus regulis patefacta servetur, pax perpetua erit sacerdotium inter et imperium. *Cf. Zech. et De Camillis.*

29. *De iure civili prout significat Scientiam Legum quas auctoritas politica constituit, agendum est, atque*

IV. in primis, De necessitate studii iuris civilis.

Haec iam ex dictis manifesta videri posset. Praemittendum putamus argum. 1 ex auctoritate ductum.

α) Card. Tarq. aiebat « Nota quod Iuris canonici consultus non potest esse Iuris civilis omnino expers : *Cf. Cap. un. de N. O. N.* Insuper Leges civiles sin minus pro legibus, accipi possunt in iure canonico pro sapientibus quibusdam regulis diuturna experientia et prudentium iudicio comprobatis ».

β) Insuper DD. idem implicite asserunt quando edocent, sicut Abbas, quod « causa Ecclesiae debet decidi per ius ci-

vile in defectum canonum; omnes enim Leges principum non contradicentes canonibus, sunt approbatae per Ecclesiam, ut patet heic », scil. *c. 1 de Novi operis nunciat. n. 3.*

γ) « Quae cum ita sint (ait *Reiff. in Prooem. § 13. n. 226*) haud mirandum quod Ludovicus Romanus *Singulari 654* et post ipsum Zoesius *in prooemio iur. can. n. 5.*, ac Fagnanus in c. *Super specula, n. 30, Ne clerici vel Monachi* etc., dicere non dubitarint, *Legista sine canonibus parum valet. Canonista sine legibus nihil* ». Quod effatum suum fecerunt et alii DD. canonistae, praesertim Card. De Luca.

δ) Hinc cum regularibus interdictum sit e claustris exire ad ius civile audiendum, DD. ad *c. super specula, Ne Clerici vel Monachi* excipiunt semper talem prohibitionem non afficere eos, qui ius civile non per se, sed propter ss. canonum intelligentiam principaliter iurisprudentiae civili operam dabunt sive domi, sive extra. *Cf. Reiff. l. supra cit.*

ε) Et re quidem vera necessarium esse *Canonistae* studium iuris civilis; ipse Textus canonicus, cum civili veluti in unum Legislationis Codicem coalescens, evidenter ostendit. Nonne ex dictis patet Corpus Iuris Canonici ex nota sua conformatione ad Corpus Iuris civilis palam se referre eoque interpretem remittere? (*C. 1. D. O. N.*). « Nempe (ut ait P. Baldi in suis « *Comm. n. 172*) Textus canonicus, secluso Textu civili, incom- « pletum ac mancum opus optimis quibusque iuris auctoribus « diu visum fuerit. Recte quidem; esset enim *referens sine re-* « *lato* ». Et *n. 173* « Itaque hi omnes verbo aut re palam « asserunt, ex utroque corpore Iuris tum Caesarei, tum Pon- « tificii, unum quoddam absolvi corpus iuris communis, quod « in curiis et gymnasiis instar maximi *Nomo-Canonis* aeque « ab omnibus tractari oporteat; *Alterius sic:*

Altera poscit opem res et coniurat amice.

« Utramque tam pari studio posteritas amplexa est et tam « eodem stylo interpretata ut inter bonas artes nullae prorsus « sint, quae tanta similitudine sese invicem contingant » ait Lancellotti *Prooem. Inst.*

Huic consonat Baldus penes Maschat *Prolegomen. n. 28.* « Iuris canonici sanctitatem (inquiens) iuris civilis sublimitate decorari, et iuris civilis maiestatem canonum auctoritate firmari ».

Hanc concordiam Alighierius *Paradiso, Cant. X. v. 103.* sic celebrat, Doctorem Angelicum se alloquentem inducens:

> « *Quell' altro fiammeggiar esce del riso*
> *Di Grazian, che l' uno e l' altro foro*
> *Aiutò si, che piacque in Paradiso* ».

Adde totum libr. II. Decretal. non posse explicari, neque generatim nomenclaturam, quam appellant iuridicam, penitus intelligi, nisi ad ius civile recurratur etc.

Ad rem Aichner *Compend. I. E.* § 5. *n.* 2. « Sicut enim Iuris Civilis peritus canonum notitia carere nequit, ita nec canonistae ius profanum negligere licet... Primo (enim) canonistarum iurisprudentia publica universali versatum esse oportet. Undenam enim modos loquendi iuridicos addiscet, nisi ex Institutionibus iuris civilis? Quomodo leges canonicas rite intelliget, recteque interpretabitur, si ingenium iuridice excultum non habet? Quomodo denique in praxi et tribunalibus suam doctrinam exercebit, nisi prima iuris civilis elementa calluerit? Secundo in specie iurisprudentia tum romana tum germanica canonistae necessaria est, quia utraque arcto nexu cum iure Ecclesiae cohaeret. Quippe cum Ecclesia per Imperium romanum primitus diffusa est: illius legislatio et Romanorum ius mutuo sese per plura saecula compenetrarunt; complures insuper leges civiles in ius ecclesiasticum transumptae sunt, utrumque demum ius in publicis Academiis explanatum est. Hinc ingens utriusque iuris commercium et frequens apud canonistas ad ius civile romanum recursus ».

V. Natura, divisio et partes iuris civilis.

1. **Natura.** *Nomine iuris* venit vel obiectum, vel liber continens leges, vel scientia eiusdem iuris.

Iamvero si obiectum spectetur, Ius civile est quod auctoritate Principis sive Magistratus saecularis ad tranquillam reipublicae gubernationem et communem civium salutem conservandam constitutum est. Re communis, concordans cum *can. Ius civile, dist. 1.* « *Ius civile est quod quisque populus vel quaeque civitas sibi proprium divina humanaque causa constituit* ». Civile quasi ius proprium ipsius *civitatis, nationis, provinciae:*

unde ius civile Atheniensium, ius civile Romanorum vel Quiritum, sic ius civile Gallorum, Germanorum. Differt autem *a iure Gentium,* quo omnes vel fere omnes utuntur Gentes.

Cum vero absolute dicitur ius civile, intelligitur *ius civile Romanum* per antonomasiam; sicut, nomine Poetae simpliciter prolato, auditur Virgilius inter Latinos, Homerus inter Graecos. Unde Baldus efformat regulam, quod stante dubio, verba simpliciter prolata in potentiori et digniori significato intelligantur.

II. **Dividitur** autem varie: 1. in *commune*, quod tale sit omnibus provinciis et incolis Romano Imperio subiectis, eosque omnes obligans, et in *particulare* seu *municipale*, quod subditos alicuius loci vel territorii, pro quo conditum est, tenet: 2. in *consuetudinarium* seu *non scriptum,* quod scilicet primitus absque expresso Principis consensu, solis utentium moribus fuit introductum, etsi postea memoriae caussa in scripto redigatur, et *scriptum,* quod expresso Principis consensu constituitur; et cum plerumque scriptum proponitur maxime in oppositione ad consuetudinarium, dicitur scriptum; 3. in *privatum,* quod ad singulorum utilitatem principaliter pertinet, et *publicum,* quod principaliter ad totum reipublicae corpus pertinet.

Quibus autem in rebus publicum et privatum consistat, habes *de iur. publ. in can. Ius publicum, dist. 1, et L. 1, § huius studii ff. de iust. et iur.* scilicet *Ius publicum* in sacris v. g. Ecclesiis Deo dicatis, in Sacerdotibus et in Magistratibus *cf. Reiff. n. 101.* Per magistratus enim atque praefectos ipsa Respublica gubernari debet. Ecclesiae Deo dicatae, sicut et aliae res sacrae, et Sacerdotum ministeria ordinantur ad debitum Deo cultum iugiter persolvendum, et ad salutem animarum comparandam; sicut *Isai.* vaticinatur c. 60 « *Gens enim et regnum, quod non servierit tibi, peribit* »; et Imperatores confessi sunt Sacerdotum orationibus et Religionis exercitio potius, quam militari auxilio consistere Rempublicam.

Ius privatum esset e. g. in Legibus contractuum, vindicationibus iniuriarum, Tutelis, Testamentis, ac huiusmodi. Unde principaliter simulque generaliter commoda privatorum spectat.

Obiic.: Omnis lex est publica, ergo etiam omne ius est publicum.

Resp. Dist. Ant. Est publica ratione auctoritatis et intentionis *Concedo;* ratione obiecti atque utilitatis, *Subd.:* principaliter, *Nego,* secundario, *Concedo.*

Partes autem, in quas tota materia iuris civilis tribuitur, tibi exhibent *Instit. Iust.* § *Constat autem*: « *Scriptum autem ius est Lex, Plebiscita, Senatus consulta, Principum placita, Magistratuum edicta, Responsa prudentum* ». *Lex* hic strictius et specialius est illud quod populus Romanus, Senatorio Magistratu interrogante, veluti Consule, constituebat.

Plebiscitum est quod plebs, plebeio magistratu interrogante, veluti Tribuno, constituit. De quo *c. 2. d. 2.* Plebiscita sunt quae Plebes tantum constituunt: et vocantur Plebiscita, quod ea Plebs sciat (seu sciscat h. e. statuat), vel quod sciscitatur et rogat ut fiant.

Senatus consultum est quod Senatus iubet *cf.* § *Senatus consultum Inst. eod, et c. 3. d. 2.*

Principum placita sive id quod Principi placuit legis habere vigorem, patet ex *l. 1. ff. de constitut. Princip.* Stricte ac proprie loquendo Lex est populi, Constitutiones sunt Principum.

Magistratuum edicta idem sunt ac *Edicta Praetorum,* quorum tanta erat potestas, ut novum ius condere ac vetera iura abrogare soli valerent.

Responsa prudentum sunt sententiae et opiniones eorum, quibus permissum fuerat interrogantibus circa ius respondere: quorum omnium iurisprudentum seu iuris consultorum sententiae tantae erant auctoritatis, ut iudici recedere ab ipsorum responsis non liceret. Dixi *omnium coniunctim et collective,* si qui enim dissensissent, licebat Iudici ab eorum discedere sententia.

31. III. De collectionibus authenticis Iuris civilis.

Agimus nunc de iure accepto pro volumine Iurium antequam progrediamur ad alia; quia studiosum iuris ante omnia scire oportet quales libros ad discendum habeat. Volumen autem istud est, quod vocatur *Corpus Iuris civilis* Iustinianei. Dico corpus iuris civilis Iustinianei, ut ab hoc distinguantur alia vetera iuris Romani volumina, sc. 1. *Papirianum* a Sexto Papirio I. C. compilatum;

2. *Leges* duodecim tabularum prisca latinitate donatae;

3. *Edictum perpetuum*, quod tandem mandato Adriani Imperatoris Salvius Iulianus I. C. ex variis Magistratuum Edictis compilavit;

4. *Codex Gregorianus et Hermogenianus,* in quem Gregorius et Hermogenes I. C. privata auctoritate transtulerunt *Constitutiones Principum* ab Adriano usque ad Constantinum Magnum;

5. *Codex Theodosianus,* in quo Theodosius minor Constitutiones Principum maxime christianorum reposuit. His omnibus Collectionibus perfectius est *volumen Iustinianeum,* quod hodie prae manibus habemus, et vocatur, ut dixi, Corpus iuris civilis, in quod Iustinianus Imperator iuris Romani dispersa et indigesta certo ordine ac forma transtulit opera Triboniani, Constantini, Derothei, Theophili et aliorum Iuris consultorum (1).

A. **Materia generatim est** circa personas, res, actiones, de quibus disponunt Plebiscitum, Senatus consultum, Constitutio Imperatoris, Responsa prudentum etc.

B. **Ad formam autem quod spectat** haec Collectio constat 4 partibus. Huius autem Corporis Iuris Civilis partes praecipuae sunt quatuor seu: *Institutiones, Pandectae, Codex repetitae praelectionis, et Authenticum Novellarum Constitutionum.* Partes secundariae sunt tredecim *Edicta Iustiniani,* quinque novellae Iustini, totidem Tiberii, *Constitutiones* centumtredecim Leonis, et nonnullae aliae Zenonis Heraclii, Leonis Iconomachi, aliorumque Imperatorum. Tandem duo libri Feudorum compilati per Robertum de Orto et Gerardum Capogistrum consules

(1) Cum in Imperio Romano novae semper leges ad veteres accessissent (*e. g. Leges 12. Tabul., Plebiscita, Senatus consulta, Edicta praetorum, Placita Principum* etc.) tantam cumularunt molem, ut duo pene millia librorum implerent. Quapropter reductio, quam meditatus iam erat Iul. Caesar, facta est 1) sub Adriano Imp., dein 2) an. 401. sub Theodosio minore, donec 3) tandem Iustinianus Imper. an. 533. universum ius rom. in unum corpus, variis distinctum libris, per iurisperitos redigendum curavit et hoc est Corpus Iuris civilis romani. Eius auctoritas saec. XII. maxime crevit cum per ferme totam Europam usurpari coepit in scholis atque foris.

mediolanenses. — His extra Corpus civile additur *Nemesis* seu ordinatio criminalis Caroli V. an. 1530 et 1532 promulgata in comitiis Augustanis et Ratisbonensibus. Item ea, quae in Imperio Rom. Germanico Ius publicum constituebant, ut Bulla aurea, Pax profana, Pax religiosa Passaviensis, Pax Osnaburgo-Monasteriensis, Capitulationes Caesareae et Recessus imperii.

Iamvero *Institutiones sunt 4 libri* continentes breve Iuris compendium seu totius legitimae scientiae prima elementa, sicut Imperator ait in prooem. Inst. § 4. Collectae sunt ex Pandectis : hinc inde eis immiscentur textus aliqui ex Codice et aliis Constitutionibus.

Pandectae a παν δεχομαι *omnia capere,* quasi omnia iuris capita capiant, sunt libri quinquaginta ex variis 37 iuris consultorum textibus collecti, continentes plenam iurisprudentiae doctrinam, aliter vocantur *Codex iuris enucleati l. 1. § 11. C. de nov. op. nunciat.* Item dicuntur *digestum,* seu *digesta,* quia doctrinam legalem olim confusam, nunc certo ordine digestam continent. Hos 50 libros comprehendit triplex volumen : I^m vocatur *digestum vetus,* quod 24 libris constat; II^m dicitur *Digestum infortiatum,* forte quia continet Leges de Testamentis et ultimis voluntatibus, quae sunt fortissimae, vel quia versatur circa fortuitas successiones (vel iuxta alios melius diceretur *Infartiatum* seu Medium, quia mediat inter vetus et novum); complectitur 14 libros; III^m nuncupatur *Digestum novum,* quod absolvitur 12 libris, et sic prodeunt universim 50 libri.

Codex secundae vel *repetitae praelectionis* est volumen constans 12 libris ex Constitutionibus Principum compilatum. Dicitur *secundae praelectionis,* quia ad legendum in scholis substitutus est in locum prioris Codicis Iustinianei, ab ipso Iustiniano cassati, ut patet ex Constit. incip. *Cordi* in prooemio Codicis.

Authenticum est volumen constans novem Collationibus et centum sexaginta octo novellis Constitutionibus, quibus anteriora iura partim supplentur, partim corriguntur. Dicitur authenticum, tum ob auctoritatem imperatoriam, tum etiam ad differentiam Epitomes, quam Iulianus Patritius ex authentico seu originali compendiarie transumpsit. Differt ab Authentica, quia

authenticum est integrum volumen Novellarum: authentica vero est una novella Constitutio vel Summarium illius, cuiusmodi summaria, minusculis litteris impressa sub nomine authenticarum, hinc inde inserta sunt Codici.

Libri Feudorum, sunt volumen, quo continentur consuetudines feudales Longobardorum et Germanicorum, insertis aliquot Constitutionibus Friderici, Conradi, Lotharii et aliorum. De ceteris partibus cum in usu non sint, nil hic speciale dicendum.

Ratio allegandi digesta in eo est, ut ponatur 1. numerus legis et si adest etiam § cui ad maiorem securitatem praemittitur verbum initiale tum legis tum paragraphi; 2. signum digesti, quod est duplex *ff.* vel simplex *D.*; 3. rubrica tituli, e. g. *L. 30. § 3. ff. De Donat.*, vel *l. Donationes 30. § eiusmodi 3. ff.* et sic legitur: *lege trigesima, paragrapho tertio, Digestis de Donationibus.* Libri non citantur, sed tantum rubricae titulorum, quarum index ordine alphabetico Digesto praemittitur.

Ratio allegandi Institutiones in eo est, ut ponatur 1. numerus paragraphi, cui interdum praemittitur verbum eius initiale; 2. indicetur opus Institutionum; 3. rubrica tituli; e. g. § *4. Instit. de Iust. et Iur.*, vel § *Servi 4. Instit. de Iustit. et Iur.* et legitur, *paragrapho quarta, Institutionum de Iustitia et Iure.*

Ratio allegandi Codicem pariter est eadem, substituendo *Cod.* vel *C.* voci Institut. e. g. *l. 21. Cod. de sacros. Eccles.* vel *l. Sancimus 21. Cod. de Sacros. Eccles.*: et legitur: *lege 21, Codice de Sacrosanctis Ecclesiis.*

Authenticae, quae innuunt, quid per ius posterius sit derogatum, vim legis non habent, utpote privatae auctoritatis; allegantur autem sic: *Auth. donationem.*

Novellae seu authenticae sunt novellae Constitutiones Iustiniani; ita allegantur: e. g. *Nov. 117. c. 1.*

Quaer. An hae 4 partes praecipuae iuris civilis auctoritatem habeant iuris communis?

Resp. Profecto: nam *institutiones* et *Pandectae* confirmationem Imp. Iustiniani acceperunt per Const. quae incip. *Dedit nobis relatum l. 3. C. de Vet. Iur. En.*, ita ut obligare incoeperint

ex 3. Kalend. Ian. an. cir. 533. Codex vero sequenti an. promulgatus obligare incoepit ex 4. Kal. Ian., ut patet ex Constit. praesertim *Cordi,* de emend. Cod. Tandem Novellae diversis postea temporibus latae pari auctoritate Principis praefulgent, ex eo dictae, quia novissime post Codicem promulgatae sunt tamquam novum quid continentes. Unde si vera contrarietas in textibus reperiatur, Institutiones et Pandectae corrigantur per Codicem, Codex per Novellas. Institutiones supplentur et explicantur ex Pandectis ceu suo fonte, iis exceptis, quae ex Codice translata sunt in Institutiones.

IV.

De decretis eorum, qui delegatam a Romano Pontifice habent auctoritatem: de Sacris Congregationibus Romanis: praesertim de Sacrae Congregationis Concilii decretis, resolutionibus....

Summarium. — Decretis eorum, qui delegatam a Romano Pontifice auctoritatem habent, ceu fonte contineri a) potest ius commune, ita tamen ut b) acta huius delegatae potestatis, ad universam Ecclesiam obligandam, speciali modo sint approbata et iussu edita Romanorum Pontificum: c) fidelium autem portionem obligent iuxta mandatum variumque officium, quod exercent praediti potestate ad illud delegata: d) quos inter specialem meretur mentionem S. Congregatio Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum.

32. Ultima ratio, qua canones prodire a suis fontibus legitime possunt, est per *delegationem:* quod fit cum quispiam non sua quidem auctoritate, sed eius mandato, qui id legitime potuit, legem ecclesiasticam edit, cuiusmodi fuisse comperiuntur nonnullae leges imperatoriae, quae RR. Pontificum impulsu ac suasu de re ecclesiastica latae sunt. De huiusmodi legibus eadem fere animadvertenda sunt, quae de legibus initio irritis ac per factam ratihabitionem deinde confirmatis, adnotari solent. Porro tria sunt animadvertenda quoad leges initio irritas

per tacitam approbationem confirmatas (*Can. 55. Ca. 2. q. 7. Reiff. Reg. 43 in 6.),* e. g. leges de re ecclesiastica a saeculari Principe latas, quae deinceps a Romano Pontifice saltem tacite ita comprobatae fuerint, ut de vero legitimoque eius consensu sufficienter constet:

1) Consensum oportere esse *legitimum,* adeoque in eas leges cadere non posse, quae iuri divino sive naturali sive positivo refragentur: 2) oportere esse *verum,* adeoque vacuum gravi metu i. e. metu graviorum malorum, si forte R. Pontifex velit eiusmodi saecularium Principum usurpationi obsistere: 3) si tacitus eiusmodi consensus et verus et legitimus dici possit, leges saecularium Principum de re ecclesiastica eius vi approbatas, vim omnem desumere non ab auctoritate Principum sed ab auctoritate Romanorum Pontificum qui eas approbarunt. Ex quo duo haec alia sequuntur:

1. In citanda harum legum auctoritate cavendum esse, ne simpliciter citentur, sed esse addendum eas idcirco citari, quia videntur tacito Romani Pontificis consensu approbatae.

2. Quemadmodum omnis eisdem vis constat ex consensu Romani Pontificis, ita a Romano Pontifice, quandocumque censuerit, posse abrogari: neque vero quispiam existimet, aliquam in hac re dari posse praescriptionem. Esset enim praescriptio contra ius divinum tum naturale tum positivum; quod est omnino absurdum.

Ex his intelligitur quodlibet in Summario assertum.

Et I. pars clara omnino est ex *reg. Iur. 72. in 6.* « Qui facit per alium, perinde est ac si faciat *per seipsum* ». Ergo decretis eorum, qui delegatam a Romano Pontifice auctoritatem habent, ceu fonte contineri potest ius commune.

Alterum vero asseritur sub conditione: scilicet quod acta delegatae potestatis, ad hoc ut obligent tamquam lex nova universam simul Ecclesiam, debent esse approbata et iussu edita Romanorum Pontificum; patet etiam, quia cum non soleat Romanus Pontifex supremam suam potestatem legiferam delegare ad universam simul Ecclesiam obligandam, quin ipse actum adprobet vel ratum habeat; sequitur assertum.

Intelligitur etiam tertium: nam ad actum reduci nequit nisi ea iurisdictio, quam quis habet, aut ex mandato aut ex officio seu magistratu, quem gerit. Ergo.

Porro huc referri possunt **Responsiones seu Resolutiones SS. Congregationum** Cardinalium S. R. E., quae omnes applicando Iuri novissimo per Tridentinum Concilium, atque per insequentium Pontificum Decretales inchoato atque absoluto incumbunt. Ac primo quidem S. Congregatio Concilii Tridentini interpres; tum etiam ceterae, quae secundum illam omnes, ut earum historia docet, erectae sunt. Ex historia enim constat, quod Congregationem Concilii a Pio IV institutam 1564, sequutae sint aliae Sixtinae S. Officii seu Inquisitionis, SS. Rituum, Episcoporum et Regularium, Congregatio Concistorialis an. 1588. Congregationi autem Propagandae Fidei, quae verum auctorem habuit Gregorium XIII, fastigium imposuit Urbanus VIII, 1627. Congregationem ad Negotia Extraordinaria Pius VII post reditum instituit. Ceterae Congregationes superioribus deserviunt ut e. g. Congregatio Indicis deservit Congregationi Inquisitionis.

33. De Sacra Congregatione Concilii. Ast cum inter has Congregationes una sit i. e. Congregatio Concilii Tridentini interpres; cuius Resolutionum, disciplinaria decreta spectantium, usus frequentissimus habeatur in iure canonico; de hac speciatim dicemus: 1) *quotuplex sit* earum Resolutionum *species*, 2) quae *forma*, 3) quae *auctoritas*.

Et 1) quidem *species* duplex est, altera rarior, quae pertinet ad eas Resolutiones, in quibus lex aliqua tridentina, de qua dubium ab aliquo praesertim ecclesiastico Magistratu propositum fuerit, iuxta legitimum sensum, quo accipienda est, generatim et theoretice declaratur: altera frequentior ac fere quotidiana, quae Resolutiones complectitur, quibus practicae controversiae in casibus concretis definiuntur.

Forma 2) autem praesertim alterius speciei, quae frequentior est, duas partes complectitur, quarum prior opus est Secretarii Congregationis, qui dubii statum una cum suis adiunctis exponit, adiectis praecipuis rationum momentis, quae ad dubii Resolutionem viam sternere videntur, subiectaque in fine brevi formula, qua dubium ipsum perspicue proponitur;

altera vero sita est in Responsione ad praedictam dubii formulam, eaque tantum ad Congregationem pertinet.

Auctoritas 3) tandem varia est pro varia earum et specie et parte, nimirum:

Prima *a*) Resolutionum species (nisi agatur de interpretatione vere extensiva inferente novam legem) vim legis obtinet, cum eiusmodi Resolutiones auctoritate ferantur a Romano Pontifice delegata per constitutionem Sixti V, quae incipit *Immensa.*

Altera *b*) Resolutionum species quoad eam partem, quae S. Congregationis responsum ad dubii formulam continet, vim habet iudicialis sententiae, quae proinde in eo casu, de quo profertur, ius facit: quoad ceteros casus, si pares aut saltem similes facti habeant circumstantias (quod diligenter quaerendum est) *normam* exhibent; ita tamen ut vim legis non exaequent, parisque iudicii absolutam necessitatem non inferant. Quod vero pertinet ad alteram, quae opus est Secretarii, ea privati scriptoris auctoritatem aliquantum vel vix excedit.

Adiunximus primae resolutionum speciei verba «*nisi agatur de interpretatione vere extensiva inferente novam legem*.», ut indicaremus nobis probari sententiam *P. Franc. Schmalzgrüeber in dissert. Prooem.* § *9.* qui, duabus plane oppositis prius recensitis sententiis affirmante et negante, tertiam proponit veluti conciliationis, quae distinguit inter Resolutiones seu declarationes (1) *comprehensivas* et *extensivas*, atque his denegat vim legis universalis, nisi speciali dentur Pontificis mandato, et rite promulgentur; illis vero vim legis universalis tribuit.

Et re quidem vera ad quaestionem: *An Declarationes S. C. C. auctoritatem semper habeant* iuris seu vim legis ecclesiasticae;

Resp. Iuxta eumdem Auctorem triplex est sententia. I^a *Negantium:* qui sic arguunt:

(1) Vocabula *declarationes, resolutiones,* seu *decisiones* vel *responsa* aut *decreta* promiscue usurpari solent; quamvis stricte loquendo Declarationes pro interpretationibus, Resolutiones vel decisiones pro responsis aut iudiciis usurpantur, quae a S. C.C. in casibus particularibus proferuntur: per *Decreta* novae potius Constitutiones denotantur.

a) Lex ferri debet et solet verbis praeceptivis vel prohibitivis, ut ex communi docet *Suarez de leg. l. 3 c. 5. n. 8.* iuxta illud « *leges instituuntur cum promulgantur* » : atqui Declarationes C. C. efferuntur per *censuit, censemus,* quae non praeceptum sed iudicium de aliqua re dicunt, nec publicantur instar legum, sed tantum petentibus reddi solent.

b) Quod vim legis universalis habet, debet innotescere *authentice* toti Communitati: *Can. Erit autem, Dist. 4. et l. Leges 9. de LL.* atqui tales non...

c) Hae Declarationes fiunt ad instantiam vel consultationem in casu particulari inter partes controverso, vel in dubio an in conciliari decreto certus casus comprehendatur : atqui hae vim legis habent pro quibus fertur sententia, non pro aliis, etsi in similibus casibus. Ergo.

d) Declaratio legis ut vim habeat legis ab his procedat oportet, in quibus potestas legifera residet iuxta *c. inter alia de sent. Excom.* « Unde ius prodiit interpretatio quoque, quae vim iuris habet, procedat » : atqui saltem non constat hanc potestatem tali Congr. concessam.

e) Invalidae sunt Constitutiones papales non continentes tempus, neque locum: atqui hisce Declarationibus regulariter non apponitur tempus, neque locus.

f) Declarationes a C. C. editae innumerae sunt, et earum non paucae aliis atque aliis expressis verbis etiam contrariae. Huic sententiae subscribunt De Ledesma, Vega, Sanchez, Diana, Bonacina, Layman, Pelizarius aliique.

II^a^ Sententia *est affirmantium* e. g. Rodriguez, Garcia, Salas, Zipaeus, Barbosa, Lezzana, Fagnani, Pignatelli, Engel, Reiffenstuel, aliique, qui et ipsi conantur sic probare.

1. Legis vim habent declarationes Tridentini factae a Papa: ergo et illae factae a Card. S. C. C. *Probatur consequens.* Nam

a) reg. 72 in 6. « *qui facit per alium est perinde ac si faciat per seipsum* » : atqui Congregationi C. concessa est ab ipso Papa interpretandi facultas.

b) Declarationes in casibus dubiis non fiunt nisi consulto Papa, istius nomine litteris expresso, iuxta Syxtum V. et Greg. XIII.: atqui declarationes factae approbante Pontifice

et eius nomine, eadem auctoritate pollent, quae redditae ab ipso Pontifice.

c) Declaratio est manifestatio sensus legis: atqui sensus legis sive ab ipso conditore, sive ipsius nomine et auctoritate manifestatus, est anima legis, vis, ac lex ipsa.

2. Istius Congregationis non minor auctoritas est, quam Prudentum seu Iurisconsultorum, quibus Iustinianus olim legum interpretandarum auctoritatem dedit: atqui istorum sententiae et responsa vim legis obtinent ita, ut ab illis recedere nefas sit iudici. « *Omnia merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impartietur authoritas* ».

3. Confirmat praxis eiusdem S. C. C., quae urget illas ut leges.

III[a] Sententia est *eorum, qui distinguunt* inter *extensivas* et *comprehensivas: comprehensivae* sunt si sensus *sic declaratus* a verborum propria et usu recepta significatione non recedat. *Extensivae* si recedant et, ultra id quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotent, concedant, prohibeant, dispensent. Haec porro III. sententia libenter concedit extensivas vim et authoritatem legis α) non habere β) nisi ex speciali mandato Papae et legitime promulgentur.

Ratio I. est quia hoc ipso quod verbis Conciliarium Decretorum non contineantur, sunt novae leges ecclesiasticae postulantes auctoritatem legiferam in declarante: atqui S. C. C. ex sua institutione id non habet. Et ratio II. evidens est, cum si ita fiant, indubitato vim legis obtinent, sicut plura sunt decreta iussu Urb. VIII. edita de alienatione temporalium ad monasteria aliosque conventus spectantia, de apostatis et eiectis, de celebratione missarum.

Comprehensivas vero declarationes vim legis habere si vere sunt tales, si consultus sit Pontifex, si fuerint a Card. Praefecto et Secret. subscriptae et sigillo Congregationis munitae, patet ex dictis. Ita *Card. De Luca in annot. ad Conc. Trid.* Confer *Gobat, Engel, Reiffenstuel;* et ita suadent rationes pro 2. sent. allatae.

Resp. ad obiecta primae sententiae negantis scil. in omni casu vim legis: *ad primum Concedo maiorem. Dist. min.* ita ut censere idem sit quod constituere, decernere, praecipere vel prohibere *concedo,* secus *nego.* Cf. Lexicon.

Ad secundum: Dist. extensiva declaratio *Concedo:* comprehensiva *Nego.* Ratio huius negationis est, quia non conditur ius novum, sed ante conditum iamque promulgatum solummodo explicatur ac demonstratur, et proinde cum a principio infuisse censeatur legi, quam explicat, ad tempus istius conditae retrotrahitur.

Ad tertium Dist. mai. ita fertur interpretatio ad particulares casus, ut pronuntient de mente Patrum Tridentinorum, ac de sensu decretorum illius, remittentes ea quae in facto consistunt ad iudices ordinarios *C.*, secus *N.* Atqui pronuntiatio principis vel deputatorum illius, quando declarant, quid iuris sit in aliquo casu, ad similes casus omnes porrigitur; quia ius non pro uno sed pro omnibus similibus casibus et eventibus proditum sit.

Ad quartum Dist. extensiva C., comprehensiva subd.: ab iis, qui saltem a pollentibus legifera potestate delegatam habent potestatem declarandi vim legis *C.*, ab iis, qui habent ipsam potestatem legiferam simpliciter *N.* et *C.* min.

Ad quintum D. Expressio temporis requiritur in novae legis editione *C.*, in iam promulgatae legis mere comprehensiva declaratione *N.*

Ad sextum. Nil mirum, cum de re disciplinari agatur, et praesto est regula in lege « *ius posterius derogare priori* ».

Argumenta vero secundae sententiae conceduntur in sensu comprehensivae non extensivae declarationis.

Ad **quaestionem** tandem « *quaenam auctoritas insit Resolutionibus ceterarum Congregationum* » Schmalzgrueber eamdem adhibet distinctionem, qua usus est pro Resolutionibus S. C. C.

Generatim huc quoque faciunt, quae *Emus. D' Annibale ad volumen primum Summulae, append. n. 182 et nota 5. ibid. tradit.* « Verum quia is, qui interpretatur nil novi dat, non eget pu-
« blicatione, et valet retrorsum ; excepta ea quae protrahit
« legem de casu ad casum, vel de persona in personam » : quibus verbis ultimis apponens notam 5 ait: « Suarez n. 1. 3.
« Reiffenst. I. II. 374. 376. adeoque haec promulgatione in-
« diget. Porro authenticae sunt omnes interpretationes, quae
« Romae prodeunt a S. Rituum Congregatione in forma De-
« creti et cum clausula ut serventur *(S. Alph. VI. 464.)* scil.

« S. Rituum Cong. est organon Papae *(ex Const. 74. Syxti V.)* « Non idem quae ab aliis SS. Congregationibus prodeunt: « adeoque non habent vim legis, nisi R. Pontificis iussu pu- « blicatae et non tantum editae solemniter fuerint (Suarez l. c.) « nec tollunt probabilitatem sententiae contrariae, nec eis pro- « inde necessario standum est *S. Alph. VI. 556 et 593* ».

Unde quarumcumque Congregationum Romanarum Resolutiones atque decisiones interpretantes ius commune, si *extensivae* sunt, praeter approbationem specialem Romani Pontificis, ut supra dictum est, requirunt solemnitates ceteras quoad promulgationem novae legis.

Ex dictis in hac propositione sequitur

De aliis Congregationibus Romanis ut fonte Iuris.

Summarium. — Hinc generatim de Congregationum Romanarum auctoritate summa haec est, ut 1. harum potestas sit delegata; 2. auctoritas ut plurimum sit oeconomica et iudicialis pro adsignatis negotiis; 3. ut potestas legislativa his non competat per se, sed si extraordinariam hanc accipiunt ad aliquem actum cognitum et approbatum a Romano Pontifice pro universa Ecclesia; 4. quae duplex auctoritas ordinaria et extraordinaria est in suo genere suprema.

34. Declar. I. Quod SS. Congr. **potestas sit delegata potius,** patet ex dictis, quatenus ipsae repraesentant Romanum Pontificem in iis negotiis expediendis, quae cuilibet adsignata sunt; etsi de facto iam ab erecta Congregatione in perpetuum sit concessa; et ceu ordinaria quoad exercitium habenda sit.

II. Quod **ut plurimum sit oeconomica et iudicialis pro adsignatis negotiis,** patet ex constitutionibus, quibus Romani Pontifices ipsas erexerunt suam cuique communicantes potestatem necessariam pro negotiis et muniis, quae singulis Congregationibus tribuit. — Ceterum sive privilegium aut dispensationem concedant, sive, iuris tramite non servato, rem componant ex aequo et bono, legem generalem non condunt, nec facultatem aliis concedunt vel obligationem ingerunt in casibus similibus eodem modo agendi. — Ex ipsa

praxi constat, quod Cardinales in huiusmodi causis dirimendis iudices non vero legislatores agant: unde sua sententia partes tantum obligant, modo expresse intentionem obligandi omnes non manifestent promulgatione propria legis universalis, et consulto Romano Pontifice « *Res inter alios iudicatae neque emolumentum afferre his, qui iudicio non interfuerunt, neque praeiudicium solent irrogare* » *l. 2. Cod. quibus res iudicata non nocet.*

III. Quod **potestas legislativa Congregationibus per se non competat**, iterum constat ex constitutione, qua singulae Congregationes erectae sunt. Propterea solent in iis Romani Pontifices auctoritatem suam interponere sive in forma gratiosa sive in forma contentiosa.

Dixi: **Sed si extraordinariam hanc accipiunt ad aliquem actum...** sc. si consulto Romano Pontifice, aliquid generaliter disponant et ad instar legum, illud specifica confirmatione probatum ipsi Pontifici, generaliter promulgent... quod profecto extraordinarium est.

Dixi si **consulto Pontifice..., specifica confirmatione...** ita ut Pontifex ipse ex certa scientia cum perfecta notitia negotii et cognitione causae procedat ad actum, quem ipsemet velit obligatorium pro universa Ecclesia. Recte Suarez *de leg. l. IV. c. 6. n. 13:* « At vero quoad absolutam legisla-
« tionem, per quam lex accipiat vim obligandi totam Eccle-
« siam, absque speciali approbatione Pontificis non videtur
« posse talis potestas delegari, imo nec ulli alteri committi;
« ratio est, quia leges canonicae obligantes totam Ecclesiam
« proficisci debent a potestate, quae in rebus ad mores per-
« tinentibus errare non possit; haec autem potestas cum pen-
« deat a speciali directione Spiritus Sancti Pontifici promissa,
« delegabilis non est, sicut nec potestas definiendi, ut ex pro-
« pria materia suppono, et ideo nec potestas legislativa pro
« tota Ecclesia est illo modo delegabilis, vel saltem certe
« non est illo modo deleganda, ne tota Ecclesia periculo
« alicuius erroris in re tam gravi exponatur ». Inde ratio patet cur decreta doctrinalia SS. Congr., etsi magnae auctoritatis sint et debita obedientia recipienda, tamen infallibilia non sint, nisi a Romano Pontifice confirmentur in forma spe-

cifica, et transmutentur in veras decisiones pontificias obligantes universam Ecclesiam. *De Angelis in l. I. Decretal. tit. 31. n. 10. Santi in eumd. tit. 70. Franzelin aliique.*

IV. Quod **duplex haec potestas sit in suo genere suprema,** patet, quando immediate repraesentant ipsam Romani Pontificis auctoritatem. Unde a sententia harum Congregationum non datur ulterior appellatio. Interim notamus quod iurisdictio his Congregationibus competens, pro casibus obviis, ordinariis, et quotidianis a Secretario singularum Congregationum una cum Cardinali Praefecto exerceatur: pro casibus vero maioris momenti, ab integro Collegio, tum consultorum cum voto consultivo, tum Cardinalium cum voto deliberativo, ita ut a maioritate votorum Cardinalium uniuscuiusque Congregationis ultima pendeat decisio.

V.

Fontes iuris ecclesiastici scripti et particularis.

Summarium. — Tandem fontes legitimi iuris ecclesiastici scripti et particularis certo sunt: Decreta et leges, 1. Romanorum Pontificum vel Conciliorum Generalium ad particularem aliquam nationem, provinciam, Collegium restrictae; 2. Conciliorum nationalium vel provincialium vel Synodi dioecesanae, vel Episcoporum et eorum, qui quasi episcopalem habent auctoritatem; 3. pariter decreta et leges Ordinum vel Collegiorum, quae gaudent potestate legifera, eorumque decreta et leges, qui a supradictis hanc acciperent potestatem delegatam.

35. Primum assertum patet quoad 1. membrum. Nam si Pontifices et Concilia generalia possunt universam Ecclesiam, poterunt et portionem eius obligare; ad ipsos autem legislatores spectat iudicare terminos legis ratione subiectorum. Unde si ad aliquam nationem... aut de materia particulari, tangente provinciam... agatur, eorum decreta erunt fons legitimus.

De facto Pontifices saepe saepius suas condunt leges pro hoc vel illo ordine Religioso, pro aliqua natione, e. g. concordata pro aliqua Provincia.

Concilium Tridentinum plura condidit decreta disciplinaria spectantia solum portionem gregis Christi Domini, e. g. decreta de Reformatione Regularium.

Patet quoad 2^m et 3^m membrum. Nam decreta et leges Conciliorum nationalium, provincialium vel Synodi dioecesanae vel Episcoporum, et eorum qui episcopalem, vel quasi episcopalem habent auctoritatem..., nec non decreta et leges Ordinum Regularium vel Collegiorum, quae potestate legifera gaudent, profecto ab iis eduntur, qui iuxta Constitutionem divinam Ecclesiae in sua respectiva communitate legiferam potestatem habent obligandi suos respectivos subditos: atqui fontes legitimi sunt, si ab iis edantur leges, in quibus ex societatis constitutione residet potestas iurisdictionis: ergo. *Ad mai.* Hi enim superiores sive singuli in suis dioecesibus, sive coalescentes in concilia nationalia, provincialia, sive in alium coetum etc. a supremo Ecclesiae Magistratu potestatem accipiunt condendi leges iuxta Ecclesiae Constitutionem: « quia, « ut ait Suarez *l. c. n. 6.*, Summi Pontifices voluerunt ad ma- « iorem unionem et conformitatem diversarum nationum vel « provinciarum, aut episcopatuum respective et ad magis sua- « vem gubernationem, ut non solum per ipsos Episcopos seu « Primates singillatim, sed etiam per legitima concilia et Syn- « odos leges ferri possent. Quae institutio constat ex tradi- « tione antiquissima et insinuatur in citatis decretis, et no- « vissime in Concilio Tridentino Sess. 24. c. 2. de Reforma- « tione, quatenus praecipit synodalia et provincialia concilia « frequenter fieri ». Quod inferiores Praelati, sive superiores sive collegia gaudeant auctoritate ferendi leges, videre est in constitutionibus erectionis collegii, concessionis privilegii etc.

Secundum assertum patet per Reg. I. 72. in 6. « *Qui facit per alium perinde est ac si faciat per seipsum* ».

De Concordatis notamus: cum nos in fontes iuris canonici seu communis praecipue inquiramus, non vero singillatim in fontes iuris particularis; Concordata, quae ordinario et regulariter derogationes speciales sunt iuris communis ac peculiaria statuta, heic ceu fontem *iuris canonici* addere non censemus. Generales quaestiones circa naturam atque indolem, obiectum, subiectum, interpretationem et abrogationem

Concordatorum; quid in his Ecclesia remittat vel indulgeat, quidve per ea acquirere possit, ad quod sibi ius praevalens non existat; Tarquini methodum secuti in tractationem iuris pubblici Eccl. amandavimus. — Quid *de facto* Ecclesia statuerit cum aliqua particulari natione per haec Concordata, quaerere ibi opportunum satis erit scribenti de iure communi, ubi exceptiones commemorandae erunt circa quampiam communem legem, pro subiectae materiae varietate.

§ 4. DE IURE HUMANO ECCLESIASTICO NON SCRIPTO.

Summarium. — Ad ius humanum ecclesiasticum non scriptum gignendum habentur tum traditiones tum consuetudines.

36. Per *traditiones,* seu ut vocant *observantiam* antiquam, intelligitur testimonium ipsis moribus et praxi expressum de iure iam antea constituto. « Origo traditionum inde deducitur « (ait Zech *in Praecog.* § *362*), quod sicut in omnibus rebus « publicis mores sunt antiquiores legibus scriptis, ita etiam « in Ecclesia, praeter SS. Scripturas, primis saeculis paucis- « sima Instituta ecclesiastica fuerint scripta, quae scil. tacita « et mystica traditione a Patribus ecclesiastico more, reveren- « tiori diligentia sunt in mysteriis observata silentio, quam « publicata scripto. *Can. 5. Dist. 11* ».

Consuetudo autem ab *hac traditione* distinguitur, quod per observantiam ad nos traducantur ea, quae olim expresse constituta sunt; consuetudine autem inducantur ea, quae legislatoris saltem legali consensu approbantur: hinc definitur consuetudo *ius, suppositis diuturnis populi moribus, aliquo legislatoris consensu introductum.* Sed de consuetudine infra.

Advertas. Ex quo principio haec omnia deducta sunt, nimirum: *auctoritatem canonum tantam esse, quanta eorum est auctoritas, a quibus prodiere;* ex eodem plane eorumdem *ordo* ac *potioritas* diiudicanda est, si quando inter se confligant.

1). Igitur, quemadmodum contra ius commune, nemini, qui in inferiori gradu est, licet ius particulare constituere, nisi forte is, cui ius commune subest, assentiatur; ita legi, quae a

Romano Pontifice vel a Concilio Generali pro tota Ecclesia facta sit, cedant necesse est leges omnes sive nationales ac provinciales, sive dioecesanae; nisi forte manifestum sit, aut iudicare liceat, auctores legis, quae pro tota Ecclesia lata est, legibus particularibus eidem adversantibus derogare noluisse.

2). Cum consuetudo contra ius commune tacito consensui Principis eiusque auctoritati innitatur, hinc legibus ab iis latis, qui in inferiori gradu sunt, eiusmodi consuetudinem tolli non posse palam est.

3). Cum is, qui leges ferendi auctoritatem habet, habeat etiam abrogandi; hinc lex posterior praevaleat antecedenti necesse est, dummodo scil. ab iis lata sit, qui saltem parem habeant auctoritatem iis, qui anteriorem ediderunt.

4). Cum privilegia seu leges speciales, sive favorabiles sive odiosae, ab ipso Principe latae pro aliquibus personis habeantur tamquam leges derogantes legi communi; consuetudo autem specialis, quae opponitur iuri communi aut consuetudini generali, haberi debeat tamquam privilegium; hinc sequitur ut et privilegium legi communi, et consuetudo specialis consuetudini generali debeat praevalere.

5). Imo cum nulla sit oppositio inter privilegium, ac proinde inter consuetudinem specialem iuri communi contrariam, ac legem communem licet posteriorem, et talem, quae contraria iubeat, quia qui exempti iam sunt ab ordine communi, tangi ea lege nequeunt, quae pro iis, qui ordine communi continentur, lata est; hinc sequitur a lege communi neque privilegia neque supradictas consuetudines speciales destrui, nisi id expresse edicatur, saltem per clausulam *nulla obstante consuetudine.*

SECTIO III.

DE IURE ANTIQUO SEU DE VETERIBUS COLLECTIONIBUS IURIS CANONICI.

37. Praenotanda. *Fontes essendi* iuris canonici potius sunt quos hucusque indicabamus: seu de potestate constituendi codicem legum ecclesiasticarum egimus: et si nunc ipsum codicem spectare velimus, seu collectiones canonum, tunc in-

vestigamus *fontes cognoscendi iuris canonici.* Iamvero collectiones canonum aliae sunt antiquae, aliae hodiernae, quae nimirum actu vigent. Et quoniam quae actu vigent connectuntur aliquatenus cum veteribus, hinc, etsi has singulas persequi directe ad iuris pertineat historiam, quae, ut alias diximus, ad nos non spectat; tamen ipsas silentio omnino premere non possumus, quin breviter, et quasi obiter de iis distincta sectione sermonem instituamus.

Illud accedit quod iugis evolutio Ss. Canonum historica magnam in universam legislationem Ecclesiae lucem adfundat: quod enim de Historia generatim affirmavit *Cic. (de Orat. l. 2. c. 9.)* eam esse « testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, nunciam vetustatis, magistram vitae »; id maxime praedicare licet de historia Ss. Canonum, quibus omnis et tota huius supernaturalis societatis, i. e. Ecclesiae vita et operatio, iugiter sese manifestat. Ad rem cl. Rautenstrauch *(Prolegom. Inst. iur. eccl. § 165)* apud Wouters *Hist. eccl. introd. § 2*:

« Iuris ecclesiastici notio, quaecumque fuerit, sine historiae « ecclesiasticae notione mutila erit. Hac qui caruerit, regimi- « nis ecclesiastici formam, applicationem et cum iure civili « relationem haud percipiet; iuris tam antiqui, quam novi « originem, indolem et fata ignorabit: ipsâque iuris ecclesia- « stici fontium, qui post S. Scripturam sunt traditio, Patrum « sententiae, Pontificum et Conciliorum decreta, notione ca- « rebit ».

Imo percallere historiam iugis ac perpetuae legislationis Ecclesiae, cum facem praebeat Corpori Legislatorum seu Pastorum, quale est Sacra Hierarchia ad veteres servandas, et ad novas prudenter ferendas, iuxta vires et cetera subditorum adiuncta; tum intellectum perspicuum dabit Ss. Legum interpretibus. Legislatoribus enim, ut diximus, iuxta Tarquini in iure publico, instar regulae esse debet: « **licet per potesta- « tem habeant exigendi, quae ad plenam finis assequu- « tionem necessaria sunt, usum tamen eiusmodi po- « testatis prudentem esse debere ita, ut praesentis « societatis statui leges contemperent, nec quidquam « praecipiant, quod habita illius ratione sit moraliter « impossibile** ». Iamvero adiuncta non sunt semper eadem,

quamvis similia, nec semper in lege lata exprimuntur talia adiuncta: ergo ex historia sciendum est, ut plenum sensum legum praesertim veterum assequamur.

Quoniam vero eiusmodi cognitio fusior supponitur ex schola historiae ecclesiasticae et singulorum praesertim canonum adiuncta historica utilius commemorantur in textus canonici explanatione, hinc breviter hac de re nobis agendum.

Historia porro fontium iuris canonici duplici sub respectu considerari potest: 1) ut historia elementorum, quae ad efformandum Codicem concurrerunt, eiusque vices; 2) ut historia operis scientifici, quo hisce elementis colligendis et disponendis adlaborarunt iurisprudentes: nos brevitatis gratia haec duo simul pertractabimus.

Quoad historiam iuris nostri solet triplex distingui stadium seu aetas: **prima aetas Patrum** ab initio Religionis Christianae ad saeculum XII., quo Gratianus seiunxit scientiam iuris a scientia Theologiae Dogmaticae; **secunda aetas** a saeculo XII. ad saeculum XVI. **scholasticorum** dicta; tertia a saeculo XVI. ad nos usque, **aetas restaurationis** appellata. Prima constituit *Ius vetus;* secunda incipiens a Gratiano et desinens ad Concilium Tridentinum constituit *Ius novum;* tertia a Tridentino ad nos usque constituit *Ius novissimum.*

Prima aetas subdistingui potest in quatuor periodos seu epochas; quarum 1.ª a saec. I. ad IV., 2.ª a saec. IV. ad VI., 3.ª a saec. VI. ad IX., 4.ª a saec. IX. ad XII. decurrit: atque his periodis aliquam maiorem mutationem subiit canonum collectio.

Epocha I. (Saec. I–IV.).

Summarium. — Quamvis 1) ius ipsum naturale, atque etiam foedus synaiticum quadantenus ad ius ecclesiasticum pertinere dici possit, si latius sumatur Ecclesia Christi; tamen hac stricte sumpta, 2) iuris nostri origo ab ipsis exordiis rei christianae repetenda est: scil. a Christo, ab Apostolis atque ab horum immediate successoribus tam consuetudine secundum legem, quam aliquali scripto legum codice, 3) praesertim canonibus Conciliorum particularium, quae usque ad Concilium Nicaenum Oecumenicum I. celebrata sunt.

38. I. Ius Synaiticum.

Ecclesia *late* sumpta est *societas fidelium colentium Deum.* Foedus Synaiticum idem omnino quod Mosaicum: Iamvero quod α) **ipsum ius naturale** pertineat ad ius canonicum, patet ex eo, quod iam ab initio creationis in ordine elevationis et postea in ordine reparationis neque fuere destructa, neque mutata quoad ius, consequentia essentialia atque necessaria naturae; β) sed etiam **ius synaiticum** ad Ecclesiam pertinere manifestum est. Ecclesia enim, qua societas colentium Deum, semper extitit et debuit semper existere: extabat enim divinum decretum ab Ada per Abraam eiusque posteritatem electam ad continuandum populum Dei, qui in Christum venturum credere tenebatur usque ad ipsius adventum. Unde ius Mosaicum seu Synaiticum spectat etiam ad hanc Ecclesiam, quatenus una eademque est sub generali acceptione, quod sit societas fidelium colentium Deum: una eademque, cum unus idemque sit finis *(salus et sanctificatio animarum),* cum unum idemque sit formale principium, atque omnes uni eidemque capiti, Christo nempe, subiecti sint. In ordine intentionis principium est id, ad quod coetera ordinantur eique serviunt et pertinent: unde cum ad Ecclesiam omnia ordinantur sicut et ipsa ordinatur ad finem sanctificationis et salutis, sub hoc sensu *Epiphanius adver. Haer. l. 1. n. 5.* recte dixit *principium omnium esse sanctam Catholicam Ecclesiam*: ideo scilicet, quia omnia in historia humani generis ad supernaturalem oeconomiam, cuius centrum Christus est, ad Ecclesiam ordinantur et

diriguntur; ergo sicut tota vetus oeconomia mosaica, uti figura, ita etiam leges eius ordinantur et pertinent ad Ecclesiam.

Ast, cum Ecclesia a nobis pressius spectetur sub ea scil. forma, quam a Christo nacta est, hinc non instituimus sermonem directe de iure, quo Ecclesia ante Christum usa est. Verum, si de tali iure, nobis sermo non sit praecise et directe, qua Synaiticum seu Synagogae ius erat, tamen sub alia ratione potest tale ius pertinere ad Ecclesiam: quatenus Pontifex aut Ecclesia suum facit per formalem legem ecclesiasticam. et tunc illud est ius ecclesiasticum vi talis legis pontificiae; vel de facto pertinet tale ius ad Ecclesiam, quatenus est ius naturale, quin alia accedat lex Pontificis. Unde cum omnia tum in lege naturae tum in lege scripta V. T. ordinata sint ad Ecclesiam seu religionem revelatam in concreto existentem; revelatio autem non destruit sed perficit naturam, *praecepta moralia* legis mosaicae e. g. Deum esse colendum, non inferendam proximo iniuriam... obligant etiam nunc ut ius ecclesiasticum, non quidem ex vi legis mosaicae, utpote quae nobis Christianis, nequaquam data. Scilicet his praeceptis obligamur tum ex lege naturae tum ex lege evangelica, quia Christus Dominus plenius perfectiusque servanda proposuit, *Matth. V.*

E contra *praecepta iudicialia et caeremonialia,* licet ab ipsis Apostolis post Christi mortem fuerint aliquo tempore servata *(Act. 3. 1. 10-3. 21. 24.),* extincta tamen republica Hebraeorum, quorum ius civile constituerant, pariter expirarunt: « *Postquam umbra legis evanuit, et illuxit veritas evangelii c. un. de Purif. post. part.,* neque nos amplius sicut nec ante Christum obligabant gentes, solis Iudaeis data » *(S. Th. 1. 2. q. 103 et 104).* Ex essentia namque sua umbra sunt, et durare debebant usque ad Christum, eiusque Religionem concretam, quae est realitas; ergo nunc nec ullum vigorem nec ullam existendi rationem habent.

Unde ea V. T. praecepta iudicialia, quae Decretalium libris inserta sunt *e. g. c. 1. De Adulteriis et Stupro – c. de furto - c. 1. de homicidio...* a nobis utique custodiri debent, quatenus Romani Pontificis constitutionibus recepta et renovata sunt. Sic etiam Christi Ecclesia varios adoptavit ritus mosaicos, suae scil. intentioni aeque convenientes, quales sunt e. g. dedicatio

templorum, conservatio altarium, vestitus sacer, aqua lustralis, incensum, lampades, cantus Psalmorum, oblationes decimarum.

Quod attinet ad dogmata in V. L. exhibita, profecto fides adhibenda est omnibus et singulis, quae ibi continentur propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem. Quoad praecepta vero agendorum aut omittendorum, moralia propter materiam obligant, caeremonialia et iudicialia nec per se nec propter materiam.

39. II. Ius a Christo Domino, ab Apostolis etc.

Unde cum in L. V. codex legum positivarum, praesertim a Legislatore Ecclesiastico proprie non extaret, *quaeritur quandonam coeptus est codex iuris ecclesiastici?* et

Resp. origo ab ipsis exordiis rei christianae repetenda est: iamvero coeptae sunt promulgari leges α) *a Christo,* β) *ab Apostolis,* γ) *ab eorum immediate successoribus:* unde triplex membrum. Et re quidem.

Assertum I. **Christus Dominus plura statuit, alia quaedam vero non statuit; atque habita ratione mutabilium in dies adiunctorum, quaedam alia non poterat statuere.**

a) **Statuit quidem** 1) in primis tamquam lege fundamentali et pragmatica *statum publicum Ecclesiae,* sanctissime suam ordinans societatem religiosam, cum eam supra firmam Petram stabiliverit, futuros eiusdem Rectores assumpserit, modum regendi praescripserit *(Reges gentium dominantur eorum.... vos autem non sic, Luc. 22, 25)* potestatem clavium contulit, poenas ecclesiasticas contra obstinatos constituit, Petro supremam gregis Dominici curam commisit. 2) Potiora item statuit quoad praecepta moralia et Sacramenta. Nam Christus *proprio suo ore praecepit ea, per quae in gratiam introducimur, vel quae ad rectum gratiae usum ex necessitate pertinent, quaedam vero prohibuit. Per Sacramenta scil. gratiam consequimur, et rectus gratiae usus fit per opera charitatis, quae profecto praecepta morum spectant.*

b) **Quid non statuit.** Quamvis Christus D. hac ratione ordinatam Ecclesiam informavit legibus sapientissimis quamdiu inter homines versabatur: tamen singula, quae ad regimen illius adhuc conducere videbantur, ipse non statuit; quia si de facto omnia et singula statuisset, nullae inter Apostolos con-

troversiae fuissent ortae de recipiendis gentibus *Act. X. 45*, de legalibus *XX. 6, 7.*

c) **Nec poterat statuere**, quia recentes in fide portare tunc cuncta non potuissent *Io. XVI. 12*, nec praeter Sacramenta et moralia praecepta, quae de se referuntur ad rationem virtutis *S. Th. 1, 2. q. 108. a. 1, 2*, poterat alia determinare; quia adiuncta et varietas negotiorum iuxta tempora, personas, loca mutationem hinc inde exigunt, quia Christus Dominus potestatem legiferam, iudiciariam, coactivam tradidit Apostolis seu Ecclesiae; ergo non potuit omnia determinare, ne foret inutilis huiusmodi potestas.

Assertum II. **Ab Apostolis** *a*) **qui huiusmodi potestatem acceperunt,** *b*) **eaque usi sunt tum congregati, tum seorsim sumpti,** *c*) **repetendae sunt plures leges, quae fuerint postea scripto consignatae.**

a) Quod **Apostoli potestatem triplicem acceperint** a Christo Domino legiferam, iudiciariam, coactivam ceu lemma sumimus ex tractatu dogmatico de Ecclesia, et ex Iure publico ecclesiastico. Discrimen tamen advertendum hic est inter eam potestatem, quae Apostolis, uti singulis et eam, quae toti Apostolico Collegio competebat. Porro singulis competunt qua Apostolis,

1) munus et potestas promulgandi Evangelium ubique terrarum;

2) potestas iurisdictionis fundandi Ecclesias, instituendi Episcopos, potestas legifera, iudiciaria, vindicativa erga omnes (praeter Apostolos) quoad quaslibet eorum causas:

3) infallibilitas magisterii:

4) immediata missio sive potestas praedicandi et potestas iurisdictionis immediate facta a Deo:

5) potestas suprema ordinis sive gradus episcopalis: quae necessaria erant ut munere Apostolatus fungerentur plene et perfecte. Primas tres notas seu munia Apostolis concedunt omnes, satisque patent ex constanti Ecclesiae consensu: quoad alias fit aliqua quaestio, quam videas solutas penes TThh. Adverte tamen quod potestas universalis et infallibilitas Magisterii, qua singuli Apostoli gaudebant, erat extraordinaria, non derivanda proinde in successores seorsim sumptos.

Omnibus autem simul sumptis et efformantibus magisterium Ecclesiae, talis universalis potestas et infallibilitas competebat uti ordinaria transmittenda in successores simul pariter sumptos. Clara sunt testimonia *Evang. e. g. Io. XX. sicut misit me Pater et ego mitto vos. Matth. XVIII. quaecumque alligaveritis super terram...*

« *Dic Ecclesiae si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus Matth. l. c.* ».

« *Praedicate evangelium omni creaturae... Marc. XVI.* ».

« *Ite docete omnes gentes... qui vero non crediderit, condemnabitur. Matth. et Marc. ll. cc.* ».

Ex quibus omnibus patet missos Apostolos omnes cum officio legislatoris et potestate ligandi.

b) **Quod usi sint Apostoli eiusmodi potestate et** 1. quidem *Congregati* seu simul sumpti, ostendit primum Concilium Hierosolymis celebratum, ubi eae iam tum leges sacrae sunt editae, quae appellari possunt huius nostri Iuris vera Incunabula, formula adhibita « *visum est Spiritui Sancto et nobis nil ultra imponere vobis oneris* ». *Act. Apost. c. XV. 28.* Quae profecto potestatem legislativam demonstrant, prohibendo esum sanguinis et suffocati, simulque insinuando non deesse sibi potestatem plura praecipiendi, quae Christus non statuit. Nec solum universi in Synodo Congregati, sed singuli Apostoli pro directione Ecclesiae usi sunt eadem potestate ferendi leges. Instar omnium sit S. Paulus, quo caeteri Apostoli non angustiorem iurisdictionem acceperunt a Christo, *1. Corr. VII. 20. 11.*, accurate distinguens inter praecepta legis divinae et legis suae *praecipio non ego sed Dominus* » varia praecepta ab eo lata, et disponenda fuisse disposita *(sicut tradidi vobis praecepta mea tenetis... caetera autem cum venero disponam l. c. XI.)* in actibus Apostolorum et eiusdem epistolis deprehendimus eadem potestate fretus loqui « *si quis autem contentiosus esse... nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiam Dei, l. c.* ».

c) **Porro quas leges tulerint Apostoli** adverte non omnes fuisse scriptas, sed alias traditas et servatas, secundum legem consuetudine. Et quales leges fuerint scriptae aut traditae, postea scripto consignatae, non habetur alius codex illius prioris temporis, quam Novum Testamantum, scripta

Patrum Apostolicorum, et tandem Constitutiones tributae Apostolis. Dixi scripta PP. Apostolicorum e. g. Ignatii M. Episcopi *(ad Smyrn. c. 8; ad Polyc. c. 6; ad Eph. c. 4. sqq.; ad Magnes. c. 6. 7. etc.)*, aliorumque, penes quos tum de Ecclesiae Constitutione, tum de praecipuis legibus ecclesiasticis tunc vigentibus sermo fit.

Etsi quod aliquali scripto legum codice continerentur eiusmodi leges: afferri solent Constitutiones tributae Apostolis, quae licet his suppositae habentur; ostendunt tamen magna ex parte traditionem Apostolicam, quae, ut declaremus, sequentia a nobis animadvertenda sunt.

1. Labente saeculo III. in orientali Ecclesia quoddam opus instar encyclicae epistolae apparuit, quae ferebatur scripta ab Apostolis, quorum nomen prima fronte exhibeat, atque a Pontifice Clemente promulgata ut titulus habet « Διαταγαι τῶν « ἁγιων Αποστολων διὰ Κλημεντος του Ρωμαίων ἐπισκόπου τε « καὶ πολίτου ἡ καθολικη διδασκαλία. Constitutiones SS. Apo- « stolorum per Clementem Episcopum et civem romanum, « seu catholica doctrina ».

Agitur hoc opere de vita et moribus christianorum; sed praesertim Clericorum: sex ab initio dumtaxat continebantur libri dicti Διδασκαλία τῶν Αποστολων; sed deinceps ineunte saeculo IV., additur septimus liber de re morali ac liturgica, et tandem octavus inseritur, unde tota collectio accepit nomen *Constitutionum,* quas sic appellatas Apostoli ipsi dedisse perhibentur. Praecipua Constitutionum doctrina versatur circa disciplinares quasdam normas, et praesertim de Episcoporum SS. Ordinibus ac functionibus. Ducentis inde annis, i. e. initio saeculi VI., huic ultimo libro Constitutionum ceu ultimum caput adiectum est continens quasdam disciplinares dispositiones titulo canonum Apostolorum, qui ignota manu usque ad 85 creverunt cum ab initio 50 tantum numerabantur: omnes magnam partem ex Constitutionibus et ex Antiocheno Conc., derivati forte ab origine Syriaca.

2. Quaeritur igitur *an tales Constitutiones sint reapse Apostolorum, quibus tribuuntur?*

Respond. Cum harum collectionum nulla sit mentio apud ecclesiasticos trium priorum saeculorum scriptores; cum in

Constitutionibus multa sint, quae nullatenus cum aetate Apostolorum componi possunt, cum etiam quaedam sint Ecclesiae doctrinae adversantia, quales sunt errores de invaliditate Baptismi ab Haereticis collati, de necessitate trinae immersionis etc.; cumque tandem viri fuerint doctrina et auctoritate graves, qui eos apocryphos iudicarunt, certum omnibus exploratumque esse debet, eos praesertim quoad totam Collectionem Apostolis non posse adscribi.

Criticorum disquisitiones ostendunt triplex canonum genus discernendum esse: 1^m genus est spectata materia quae ab Apostolorum aevo descendit; 2^m genus est aetatis, quae immediate praecedit Concilium Nicaenum; 3^m genus est quod post hoc Concilium, labente saeculo IV. et V. exarari contingit. Unde cum canones seu

3. Constitutiones apostolicae citantur non affirmantur conscriptae ab Apostolis: recensentur tamen propter subsequentem Ecclesiae iugem loquendi rationem ceu canones (saltem priores 50 semper a Romana Sede recepti) et veluti Ecclesiae traditi ab Apostolis et praesertim a Petro. Et re quidem vera tenendum leges aliquas ius divinum determinantes et disciplinares latas fuisse ab initio Ecclesiae: sine his enim recte gubernari et administrari talis societas non poterat. Porro Christus Dominus legem quidem tulit circa res credendas, legemque naturalem sanxit, et Hierarchiam atque Sacramenta instituit, ut supra vidimus; cetera vero quae opus forent ad rectum usum Sacramentorum, ad continendos inferiores debita subordinatione erga praepositos, ad unitatem inter omnes fovendam, atque ad vitam christianam explicandam, determinanda aut constituenda permisit Ministerio a se instituto. Ergo oportuit ut Apostoli aliquos pro opportunitate canones conderent, ad quorum normam regimen Ecclesiae exigeretur. Cum igitur canones sint, qui ab Ecclesia Apostolis adseruntur, cur non putandum eos ab Apostolis profectos?

Duo ergo extrema vitanda sunt; et tenenda est via media. Haec via media praecise illa est, quam nuper iuxta *Fratres Ballerinios* indicabamus *(cit. tom. III. op. S. Leon. M.)*, Apostolos scilicet quasdam regulas seu canones tradidisse nascenti Ecclesiae; hos fuisse successu temporis tum traditione serva-

tos, tum scripto traditos: sed Apostolos fortasse paucos canones edidisse, quibus, pro temporum opportunitate, eorum successores addidisse alios, retento titulo canonum Apostolorum. Et sic canones de die in diem creverunt.

4. Unde iuxta plures auctores regula: « *Licet et constitutiones et canones non omnes habeant apostolicam auctoritatem; tamen ubi non constat ignorantia vel fraude fuisse vitiatas, indicant disciplinam IV. III. II, aliquando etiam I. saeculi* ».

5. Hinc etiam patet iam a saeculo III. et IV. librum, qui *constitutiones* et *canones Apostolorum* audit, uti a nobis modo explicatum est, fuisse tamquam primas Institutiones Iuris canonici, quae forent scilicet complexio iuris ecclesiastici tempore Epiphanii, qui licet illum non tribuat integrum Apostolis, habet tamen ceu compendium disciplinae Ecclesiae.

6. Quid autem mirum si Apostoli, qua rectores erant Ecclesiae, leges voce praescripserint, quae usu prius receptae et una sylloge collectae postea sunt; quae sylloge a primis auctoribus nomen sumpsit et retinuit, quamvis haeretici eam corruperint?

Caeterum notum est traditiones praesertim Apostolorum non omnes sane scriptis fuisse mandatas, uti indicat ep. 2. Io. 12. « *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum; spero enim me futurum apud vos: et os ad os loqui* ». Et 1. Cor. XI. vers. ult. « *Cetera autem cum venero disponam* ».

Unde per manus ab iis ad nos perductae quamplurimae, nec minus tamen servandae traditiones, ut patet ex 2. Thessal. 14. « *Fratres state et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* ».

7. Demum advertatur quod tunc omnis christianorum vita spiritu evangelii, traditionibus et consuetudinibus apostolicis dirigebatur, ut iure merito adumbratio viva Evangelii aut consuetudo secundum legem dici potuerit, recteque encomium Taciti applicari posset. « Ibi boni mores plus valent, quam alibi bonae leges ». Hinc paucas leges condere opus erat.

III. Ius post Apostolos immediate.

40. *Assertum.* **Ius nostrum originem et continuationem ab Apostolorum immediate successoribus repetere debet; praesertim canonibus Conciliorum particularium hac prima epocha. Et re quidem vera successores Apostolorum habuerunt pro regimine Ecclesiae eamdem potestatem quam Apostoli: eaque utentes plures leges de facto condiderunt.**

Habuerunt eamdem potestatem: nam cum Christus Ecclesiam suam usque ad consummationem saeculi duraturam promiserit, qualem ipse instituerat, necesse erat in Apostolorum locum succedere alios Praelatos, eadem auctoritate praeditos, uti probatur in iure publico et in tractatu dogmatico de Ecclesia. Ergo successores, in ordinanda Ecclesia, morem apostolicum impigre secuti sunt, sibi compertum habentes ab ipso Spiritu *se positos esse Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. 28.

a) Unde Episcopi, praesertim immediate successores, plura saluberrima constituere debuerunt; idque praesertim tum, cum novas leges exigebat sive ratio multitudinis, fidelium numero in diem semper crescente; sive ratio locorum et temporum, quibus propagatur fides; sive ratio imminutae charitatis et pietatis in populo christiano.

b) De facto conditae sunt leges, uti testantur:

1. Opera scriptorum ecclesiasticorum, penes quos sparsim plura statuta pluresque leges recensentur:

2. Testantur concilia plura particularia habita medio saeculo primo Hierosolymis, et quamvis ob continuas persecutiones Conciliorum opportunitas ad leges solemniter condendas saeculo I. et II. deficeret, tamen, labente saeculo II., coepta sunt celebrari in Asia, in Aegypto, in Graecia, Carthagine atque Romae. Huius venerandae antiquitatis monumenta fere omnia perierunt, si excipias paucas epistolas aliquorum Pontificum velut Clementis I, Soteris, Victoris I, Cornelii, Dionysii, atque regestum duorum Conciliorum Carthaginiensium (an. 256). Tandem hac epocha recensentur Concilia quaedam Provincialia, e. g. Illyberitanum (306), Arelatense, Ancyranum et Neocaesariense (circa 314).

c) Animadvertendum tandem est circa huius temporis documenta, quod haec nil exhibent contrarium aut diversum ab ea suprema iurisdictione Romani Pontificis, quam postea praesertim in Concilio Florentino et Vaticano assertam omnes catholici profiteri ex fide cogimur. Nam quamvis ob ethnicorum insectationes, et civiles Imperii leges adversantes christiano nomini, non potuissent successores Apostolorum Episcopi convenire praesertim in Concilia Generalia et Provincialia, legesque statuere pro universa Ecclesia; ac proinde necesse fuerit Episcopos auctoritatem suam ad plura extendisse, ad quae nunc vel Romanus Pontifex vel Concilia Generalia aut Provincialia requiruntur; tamen ea aetate hisque in adiunctis non solum adversus hierarchicum ordinem et contra Primatum iurisdictionis Romani Pontificis actum est nihil; sed imo semper ille ordo ad Primatum in universam Ecclesiam agnitus distinctusque est. Sic enim saeculo IV. can. VI. Concilio Nicaeno I. de iure Patriarchico et Metropolitico servanda edicitur *antiqua consuetudo* τὰ ἀγχαῖα ἔθη κρατείτω (*Mansi Collect. Concil. t. 1. col. 670*).

Quod fuerit agnitus Primatus Romani Pontificis sufficit indicare ex celeberrimis Iraenei verbis argumentum « ad hanc Ecclesiam propter *potentiorem principalitatem* necesse est omnem convenire ecclesiam, *h. e. eos qui sunt undique, fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio,* ubi tria asseruntur de Ecclesia Romana,

a) quod *sit potior,*

b) quod *sit in eam necessitas conveniendi,*

c) quod *sit centrum,* in quo omnes fideles servavere fidem. Atqui Principalitas illa est praecise imperium Sacrum, Primatus ipse. Ergo. Seu Principalitas heic significat id, propter quod quis in societate est αρχη seu princeps, principium efficiens et origo unitatis, quia:

α) non est antiquitate potior;

β) uti dicit et appositum potior et potentior;

γ) quia necessitas, inde ab Iraeneo deducitur ut consequens, omnium Ecclesiarum se adunandi ad Romanam; Atqui haec necessitas, qua in unaquaque civitate tenentur omnes,

adunandi se ad unam Principalem, quia Principalis est, significat Sedem supremam auctoritatis omnes in unitate continentis, scilicet Sedem Primatus iurisdictionis.

Epocha II. (Saec. IV-VI.).

Summarium. — Epocha secunda a) plures conduntur leges, sive in Conciliis, sive a solis Romanis Pontificibus, quas suis etiam sanctionibus communiverunt Imperatores; et b) ad quarum collectiones quod spectat; recensentur in Orientali quidem Ecclesia Codex canonum adhibitus in Concilio Chalcedonensi ex quo alia Collectio, quae secunda dicitur: c) in Occidentali autem recensentur tum canones Nicaeni, quo nomine veniunt etiam Sardicenses, unice authentici: d) tum duplex versio Graeci Codicis Prisca et Isidoriana dicta.

41. Patet assertum primum scilicet: hac Epocha **plures conduntur leges sive a Conciliis, sive a Romanis Pontificibus, quas suis etiam sanctionibus communiverunt Imperatores.** Monemus iterum distinguendum esse inter varias leges conditas et collectiones, quae ex legibus dispersis conflatae sunt in hac parte de legibus ipsis. Et quidem plures eo tempore latae sunt:

1. *A Conciliis Generalibus,* quibus non solum ad dogmata contra obortas haereses definienda; sed etiam ad stabiliendam Ecclesiae disciplinam accesserunt per multa Concilia Provincialia, Antiochenum (332), Sardicense (344), Gangrense (365), Laodicenum (347–381); item Concilia in Italia, in Gallia, in Africa, praesertim Carthaginiensia, usque ad annum 410; in Hispania, inter quae sunt Toletana septemdecim usque ad an. 694.

2. *A Romanis Pontificibus,* qui editis literis Decretalibus potestatem legislativam iam tunc exercuerunt; idque ex eo evincitur quod Romanorum Pontificum Decretales, nimirum a tempore Iulii I. (352) usque ad Symmachum (514), cf. Constant. Epist. RR. PP. praesertim Iulii, Liberii, Damasi, Siricii, Anastasii, Innocentii, Zosimi, Leonis M. etc. extant.

3. Plures huc accensentur *sanctiones harum legum ex Imperatoribus Christianis,* qui res Ecclesiae coadiuvantes, haud

paucas leges ad sacra et ad Ecclesiam spectantes emiserunt, quae primum in Codice Theodosii II. ac deinceps Iustiniani II. collectae inveniuntur.

42. Patet et secundum assertum, scilicet: **recensetur in orientali quidem Ecclesia Codex canonum adhibitus in Concilio Chalcedonensi, ex quo alia Collectio, quae secunda dicitur.**

Nam ne supra indicatae leges incertae vagarentur, aut occulte laterent; in unum corpus colligendae erant ab omnibus doctis, uti reapse collectae sunt. Porro in hisce collectionibus conficiendis vel ratio temporis haberi poterat, ordine chronologico servato, quo canones editi et Concilia tum generalia tum particularia celebrata sunt, vel ratio obiecti seu materiae, distinguendo capita, et unicuique capiti respondentes canones subnectendo. Generatim dici potest in antiquioribus ut plurimum temporum, in recentioribus materiarum ratio servata.

1. Et quoad Collectiones Graecorum, *Prima* facta ordine chronologico constat 166 canonibus, quorum ex Conc. Nicaeno viginti, ex Ancyr. vigintiquinque; ex Neocaes. quatuordecim; ex Gangren. viginti; ex Antioch. quinque; ex reliquis Antioch. viginti; ex Laodic. quinquaginta novem; ex Constantinopolit. tres. Quod talis collectio extiterit, liquet tum ex actione IV. et XI. Conc. Chalced. tum ex Dionysio Exiguo.

Temporis progressu *secunda* fuit facta Collectio, incerto pariter auctore (1), quae ex novis adiectis efformabat cum antiquis nuper indicatis canones numero 207.

(1) Hanc collectionem Doviatus in suis praelectionibus canonicis adscribit Thoedoreto Episcopo Cyrenensi qui circa finem Saeculi V. edidit collectionem quamdam constantem ex can. 207, quibus adiecti sunt *canones Sardicenses,* nondum satis vulgati penes Graecos. Hic Theodoretus ille est, cuius doctrina a V. Generali Concilio damnata est in causa trium capitulorum *(Cfr. Doviat).* Cum Theodoretus Cyrenensis ob quaestiones, quas passus erat in Concilio Ephesino 2°., cum Dioscoro Alexandrino, a quo fuerat a sua sede eiectus, fretus canonibus sardicensibus, qui admittebant ad Romanum Pontificem appellationes, ad Leonem Pontificem appellavisset, ab eoque fuisset in communionem receptus et in sedem restitutus; ac demum imperiali decreto et Concilii Chalcedonensis irreformabili iudicio definitivoque fuerit in pristinum locum revocatus, grati animi ergo videtur voluisse vulgare penes Orientales canones, a quibus tantum acceperat beneficium.

II. Medio sexto saeculo additi sunt canones Ephesini: ac denique Ioannes cognomento Scholasticus, eo quod esset a schola sive ordine Advocatorum, Presbyter primum Antiochenus, deinde, sub Iustiniano Imperatore, Patriarcha Constantinopolitanus, novam canonum collectionem tributam in canones 50 adornavit ex variis eam deducendo Conciliis. Scilicet haec continet praeter supra recensitos Apostolorum canones 85, Sardicenses 21, Constantinopolitanos 6, Ephesinos 8, Chalcedonenses 27, denique canones eductos ex epist. S. Basilii 68. Postremos hos canones ab aliis omissos primus Ioannes in sua collectione descripsit, reliquos omnes ex antiquioribus derivavit.

Edidit autem Ioan. etiam *Nomocanonem* divisum item in titulos 50, ac per materias distinctum, iisque adiecit leges eductas ex codice et novellis Iustiniani (1).

III. Novas quoque additiones accepit Graecorum codex, cum Trullana aut quinisexta Synodus habita est.

Collectio Trullana, quae confecta et approbata est a Graecis in Conc. Trullano, fuit quoddam Concilium habitum circa annum 692 in trullo seu in secretario Palatii imperatoris (penes Latinos consideratur ut conciliabulum). Hoc Concilium habitum fuit *animo supplendi* defectus Conciliorum V. et VI. Generalium: inde *quinisextum* vocatum.

Haec collectio plus minus constat *documentis* omnibus, quibus anteriores, scilicet 85 canonibus Apostolorum, canonibus Conciliorum orientalium, quibus additae sunt quaedam

(1) *Ioannes Scholasticus* primus ordinem rerum secutus est et iuxta varios titulos iuris ecclesiastici documenta digessit an. 570. Secutus videtur hac in re industriam Triboniani iuris romani periti, qui iussu Iustiniani Imperatoris *Pandectas* elaboravit. Nam sicut Tribonianus in 50 libros distribuit Pandectas; ita et Ioan. in 50 titulos collectionem suam divisit, et in materiae distributione eamdem analogiam, quanta fieri potuit, servare curavit. Placuit hoc opus genio aetatis illius et Imperatori Iustiniano, qui tum operam dabat ut ius romanum restitueretur. Unde gratiam Imperatoris nactus Ioannes, reiecto Eutychio Antistite religiosissimo, opera Imperatoris intrusus est in sedem Constantinopolitanam. Tunc ut gratiam magis apud Imperatorem captaret, codici a se composito de iure ecclesiastico imperiales etiam leges adiecit: unde primus producit nomocanonem, comprehendens scilicet canonicas et civiles leges.

Episcoporum epistolae et acta cuiusdam particularis concilii, quae in antiquioribus collectionibus non reperiebantur. Sed notandum quod ab hac collectione expuncti sunt canones Sardicenses (contenti in aliis collectionibus), et adiecti 133 canones Africani, de latino in graecum translati (caeterae collectiones his carebant); inter ipsos africanos cum adnumerabantur et canones Cypriani, qui dissentiendo a Stephano Papa damnabant omnino baptisma ab haereticis collatum. Unde videntur Trullani Patres expunxisse canones veros, scilicet Sardicenses et adiecisse alios... ut sibi proponerent exemplum dissidendi a Sede Romana, quae dissensio saeculo V. iam imminebat inter Romanum Pontificem et Patriarcham Constantinopolitanum, et demum sub Photio facta est.

IV. Neque suus apud Graecos defuit honor collectionibus Photii, qui Graecorum Schismatis vel auctor, vel certe pars magna fuit, imo maximae auctoritatis apud Graecos esse videtur Photii *Syntagma* et *Nomocanon* cum syntagmate Matthaei Blastaris (an. 1435).

Cf. hac de re Devoti heic et Phillips, qui omnes Collectiones Graecorum exhibet tres in classes divisas tali ordine et materia ut contineat

1. Classis, septem Concilia scil. Ancyranum, Neocaesariense, Nicaenum, Gangrense, Antiochenum, Chalcedonense, Constantinopolitanum.

2. Classis, Concilium Nicaenum, Gangrense, Laodicenum Constantinopolitanum.

3. Classis est, quae seriei seu classi secundae addit Concilium Chalcedonense.

Cur autem variae hae classes seu series? Ratio probabilis est, quia hi Codices ad varias pertinebant Ecclesias vel Provincias, quarum quaelibet sollicita erat in referendis canonibus, quorum cuiusque intererat.

Et haec sufficiant quoad collectiones orientales; quarum auctoritas sic accipienda est, ut *a*) generatim, nisi aliud obstat, anteferantur quatenus vetustate praestant, atque Ecclesiae dispositionem lingua originali referunt; *b*) ut ab ipsis caveatur in iis, quae favere schismati, ad quod graecus animus est proclivis, videantur.

43. Certum est etiam quod in occidentali Ecclesia recensentur canones Nicaeni, quo nomine veniunt etiam Sardicenses, unice authentici.

Nam serius in Ecclesia Latina Collectiones canonum adhiberi coeptae sunt. Ea enim ante Nicaenam Synodum non aliis usa videtur regulis, quam Sacris Scripturis et Traditione, ita ut fere tota disciplina rigidis moribus ac sanctis consuetudinibus, magis quam iure scripto, plerisque in rebus regeretur. Sed post habitam Nicaenam Synodum eius canones latine redditi sunt, atque iis Latina Ecclesia uti coepit una cum Sardicensibus. Cuius rei fidem facit praesertim Innocentius I. (an. 402) qui, *epistol. V. ad Theophilum Episcopum Alexandriae:* « Tu igitur, ait, si iudicio confidis, siste te ad Synodum, « quae secundum Christum fuerit, et ibi expositis criminatio- « nibus sub testibus Concilii Nicaeni canonibus (*alium enim « canonem Romana non admittit Ecclesia*) securitatem habebis « contradictionis expertem » *Ep. VII ad Clerum et populum n. 3* « ait: Quod autem ad canonum observationem attinet, solis illis « parendum esse dicimus, qui Nicaeae definiti sunt; quos solos « sectari et agnoscere debet Ecclesia catholica ». Cum autem Nicaenos canones Innocentius memorat, vult intelligere etiam *Sardicenses:* quoniam hoc Concilium tamquam Nicaeni appendix habebatur. Concilium Sardicense tercentorum circiter Episcoporum habitum an. 343 oecumenicum fuit convocatione, celebratione, confirmatione. Quod si seorsim ab aliis oecumenicis non adnumeratur, id inde repetendum, quod nullum dogma fidei sanciverit, et uti appendix Nicaeni sub censu Nicaenorum Sardicenses canones semper a Romana Sede citati fuerunt. Canonum huius Synodi mentionem faciunt PP. Chalcedonenses in oratione ad Imperatorem Marcianum; et laudibus extollunt eam Synodum, eamque se recipere significant, non secus ac Constantinopolitanam et Ephesinam. Iustinianus imperator ipse eam citat in suo edicto fidei.

Temporum autem cursu evenit, ut Graecorum Codex privato studio latine redderetur: ac duae praesertim ante Dionysium sunt huiusmodi antiquae totius graeci Codicis canonum versiones; altera quae *Isidoriana,* altera quae *Prisca* appellatur. Illa forte est antiquior, fuitque vulgata ex collectione Isidori,

a quo nomen accepit, qui et falso creditus fuit Isidorus Hispalensis: exarata autem fuit sub saec. V, atque ex antiquiori hispana collectione est transcripta. Continet canones Nicaenos, Aquiritanos, Neocaesarienses, Gangrenses, Sardicenses, Antiochenos, Laodicenses, Constantinopolitanos et Chalcedonenses. *Prisca* Graecorum canonum latina interpretatio ea solet appellari, quam ex antiquo mss. codice vulgarunt *Henricus Iustellus* ac *Guillelmus Voellus* in *bibl. iur. can. t. 1. pag. 277. Parisiis 1661.* Sunt hae, Isidoriana nimirum et Prisca, celebriores Graecorum canonum latinae versiones, quae ante Dionysium in manibus omnium versabantur, et ipse Dionysius hanc Collectionem indicare videtur. Attamen ex dictis et aliis, quae fratres Ballerinii proferunt, argumentis patet Priscam et Isidorianam hanc Collectionem in Occidente non habuisse auctoritatem.

Epocha III. (saec. VI-IX.).

Summarium. — Dum in Oriente adhuc viget Nomocanon 1) in Occidente magnae auctoritatis Collectio Dionysii Exigui canonum et Decretalium in lucem prodiit; 2) quam aliae sequutae sunt, 3) praesertim quae Hispana seu Isidoriana nuncupatur.

44. Collectio Dionysii Exigui magnae auctoritatis in lucem prodiit. *Dionysius* natione Scytha et monachus Romanus, cognomento *Exigui,* qui fuit etiam cycli alicuius paschalis, praesertim *aerae vulgaris* adhuc aetate nostra usurpatae inventor, qui tot Cassiodori laudibus commendatur, sedente Symmacho Pontifice Maximo, aspernatus obscuritatem et confusionem Priscae versionis, precibus etiam motus atque adhortationibus Laurentii cuiusdam Ecclesiae Romanae presbyteri, et praesertim Stephani Episcopi Salonitani in Dalmatia, graeca latinaque lingua ipse peritissimus novam latinam canonum graecorum versionem adornandam, novamque Canonum Collectionem edendam suscepit. Hac edita, alius Romanae Ecclesiae Presbyter Iulianus tituli S. Anastasiae, suasit Dionysio ut Decretales quoque Romanorum Pontificum Epistolas in unum pariter corpus colligendas curaret: quod praestitit

Dionysius, qui primus fuit, qui Decretales a Conciliorum canonibus separavit, easque serie chronologica exhibuit.

Unde *Dionysii collectio* duas habet partes: *Prima,* quae *Codex canonum* ecclesiasticorum dicta est, complectitur 50 canones Nicaenos, Ancyranos, Neocaesarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenses, Constantinopolitanos, Chalcedonenses, Sardicenses, Africanos. *Altera* vero pars, quae *collectio Decretorum Romanorum Pontificum* appellatur, Decretales continet a S. Siricio 385 usque ad Anastasium II, 498. Tota sylloge communiter *vetus canonum Codex* vocatur.

Ast habuit ne auctoritatem iuridicam seu Codicis authentici? Diximus utique in propositione esse magnae auctoritatis: sed non eo sensu, quod esset aliquis Codex iuris ecclesiastici, ex quo unice et exclusive ius dicendum esset, quamvis caeteroquin fide omni dignissima haberetur talis collectio. Et merito: sive collectoris indoles ac ingenium sive existimatio inspiciatur, quam eius collectio penes latinos est consecuta. Nam

α) Cassiodorus Dionysii coaevus *c. 23. divin. lect.* ait hunc hominem tum in graeca, tum in latina lingua versatissimum fuisse. Ergo nullum dubium de scientia in traducendis codicibus.

Deinde vir fuit probitatis maximae, moribus omnino Romanus;

β) Apud Latinos unanimiter recepta fuit eius collectio et maximam existimationem sibi comparavit;

γ) Adrianus R. Pontifex, Carolo Magno Romam venienti dedit canonum collectionem dictam *Adrianeam,* quae non differt a *Dionysiana,* nisi quatenus praeterit canones Conciliorum Generalium, iam in Galliis notos, et producit decretales Pontificum usque ad Anastasium II.;

δ) quaeque ideo Codex canonum antonomastice appellata est, quia recepta in Galliis communi suffragio per Carolum Magnum, et quia summa gaudebat auctoritate: semper tamen privata non iuridica et publica Ecclesiae.

45. **Plures aliae sequutae sunt Collectiones hanc Dionysii Syllogen.** In primis distinguendae sunt *Collectiones ab abbreviationibus* earumdem. Unaquaeque Regio suam

habebat collectionem constantem ex Dionysiana atque additamentis ex Conciliis particularibus eiusdem Regionis. Inter Collectiones celeberrima fuit *Adrianea,* de qua nuper.... Inter Breviationes memoranda est Breviatio Fulgentii Ferrandi Carthaginiensis Ecclesiae Diaconi, qui magistro usus est S. Fulgentio Ruspensi Episcopo, et floruit Iustino atque Iustiniano Imperatoribus (an. 547).

Eâdem qua Ferrandus aetate floruit Martinus Bracarensis Episcopus, cuius est omnium in sermone celebrata canonum seu Capitulorum Collectio, cuius altera pars complectitur, quae ad Episcopos et universum Clerum; altera, quae ad laicos pertinent (an. 573).

His recentior est Cresconius (690), Episcopus Africanus, cuius duo celebrantur opera, alterum quod *Breviarium Canonum,* alterum quod *Concordia vel Liber canonum* appellatur: quod dicitur etiam Systematicum confectum ex opere chronologico Dionysii: omnes enim leges ad 300 capita seu titulos referebat, ut materiarum ordo postulare videbatur.

Praesertim quae Hispana seu Isidoriana dicebatur, ex his elementis pedetentim efformabatur in Hispania, unde in universum diffundebatur; ideo dicta etiam *Collectio canonum hispanica vel Isidoriana,* quia S. Isidoro Hispalensi adscribitur, atque id absque probabili fundamento. Haec collectio summam habet scientificam auctoritatem, atque, uti Dionysiana, duas in partes tribuitur: quarum altera Concilia, altera Decretales continet. In parte Conciliorum primum obtinent locum quatuor graeca Concilia, latine reddita, atque Sardicensia ex veteri hispana Collectione; deinde recensentur canones Antiocheni (341), Laodiceni (347–81), canones Constantinopolitani I., quod est Oecumenicum II. (381), Chalcedonenses (451), Constantinopolitani III. (681), quod est Concilium Oecumenicum VI: adduntur epistolae duae S. Cyrilli ad Concil. Ephes. Sequuntur Concilia Occidentalia, et ante caetera numerantur ex Africa, praesertim septem Carthaginiensia, quorum quartum (an. 389) suppositititium esse videtur; tum Milevitanum unum (402); Gallicana sexdecim, quorum seriem claudit Concilium Alverniae (546); ex Hispania desumpta fuere 36, usque ad

Toletanum XVIII.; quorum numerum augent Capituli Martini Bracarensis.

In 2. parte exhibentur ad numerum centum tres Decretales Dionysianae usque ad Greg. M. (604). Et haec fuit quoad suam formam, ad quam pedetentim pervenit amplissima et celeberrima Collectio, de qua sermo est, ad quam ut caetera missa faciam, concurrerunt duo Concilia Bracarensia (562), atque Toletanum III (589), ubi Visigoti ad fidem sunt conversi. Attamen paullo serius excepit Concilium Hispalense (618), nec non IV Toletanum magnum (633), atque tandem alia Provincialia, tum ex Hispania tum ex Gallia, usque ad saeculum VII medians (656), quando absoluta esse videtur.

Epocha IV.

De Pseudo-Isidori collectione.

Summarium. Indicata 1) materia et forma pseudo-Isidorianae Collectionis; 2) nec non tempore, fine Collectoris et probabili loco, 3) asserimus auctoris nomen neque probabili ratione cognosci, et 4) quamvis plurima in eo authentica esse constet, et genuina; plura tamen supposita sunt: 5) nec eliquata res est quoad omnes fontes, unde sint haec falsa desumpta. Illud autem 6) omnino falsum est, prorsus immutatam fuisse ex hisce falsis Decretalibus antiquam disciplinam et nominatim iura Primatus Romani Pontificis.

1) Pseudo-Isidori Collectionis materia et forma.

46. Haec periodus decurrit ab anno 800 ad 1151, in qua praecipua Collectio obtinuit, quae dicitur Collectio falsarum Decretalium Pseudo-Isidori. Haec autem nihil aliud est quam *Collectio legum ecclesiasticarum ab ignoto auctore adornata saeculo IX ad disciplinam ecclesiasticam tunc satis laxam instaurandam.* Nomen Collectionis pseudoisidorianae desumptum est verosimiliter a praefatione huius libri, quae ita habet: *Isidorus mercator* (vel iuxta alios peccator) *servus Christi lectori, conservo suo in Domino, fidei salutem. Compellor a multis tam Episcopis, quam servis, canonum sententias in unum volumen colligere, ex multis unum canonem conficere.*

Iamvero ex hac collectione arguunt Febroniani, praesertim contra iura Primatus Rom. Pontificis, ac si nata haec ex eiusmodi collectione fuissent.

Sed in primis quoad Decretales distinguenda duplex quaestio est, critica et iuridica: scilicet in illa generatim quaeritur *an Decretales* e. g. *ante Siricium allatae ab Isidoro*, i. e. quatuor priorum saeculorum *sint genuinae nec ne;* in secunda *an doctrina et disciplina, quam exhibent, sit genuina,* i. e. admissa ab Ecclesia eo tempore, quo collectio Isidoriana prodiit, vel conficta ab ipso Isidoro? Iamvero quoad historicam quaestionem iamdiu a criticis resolvitur *negative,* i. e. non omnia hac collectione contenta documenta esse genuina; sed plura apocrypha: secunda quaestio *affirmative* resolvitur ab omnibus catholicis, canonistis et theologis: unde, cum postea nullatenus immutatum sit ius, quod ante hanc Collectionem vigebat, quod et aliunde certum est; nil contra universalem et constantem Ecclesiae doctrinam eruitur, etsi tota Collectio esset falsa.

Non omnia, ut patet ex dictis, sunt in hac collectione suppositita, sed plurima genuina uti videbimus infra, postquam disseruimus de ipsa forma seu partibus, quibus constat.

Tres autem partes in hac Collectione distinguuntur, iuxta vetustissimum manuscriptum vaticanum.

Toti operi praemittuntur Catalogus Pontificum usque ad Nicolaum I, quaedam notiones de Conciliis generalibus, brevis conspectus Provinciarum Imperii romani. Sequitur praefatio, quoad maiorem partem, deprompta ex Collectione hispana; in qua praefatione continetur etiam ordo de celebrando Concilio ex Toletano IV desumptus.

Prima pars igitur, praeter ordinem Conciliorum et canones Apostolorum 50, continet 60 Decretales, a Clemente usque ad Melchiadem. Tales epistolae omnes apocryphae et ab Isidoro consutae sunt, exceptis duabus epistolis Clementis R. P., quae ex parte iamdudum circumferebantur, sed ab ipso Mercatore auctae sunt. Etiam epistola Aurelii Carthaginiensis ad Damasum, et responsoria Damasi, quae post praefationem ab auctore ponuntur, supposita sunt.

Secunda pars Concilia a Nicaeno usque ad Hispalense II

(619) complectitur: quae paucis exceptis, etiam in prioribus Collectionibus reperiebantur.

Tertia pars constat ex Decretalibus Romanorum Pontificum a Sylvestro ad Gregorium I, quibusdam adiectis decretis Gregorii II: in his ad 40 documenta numerantur, quae ab ipso primum prolata et supposita sunt.

Haec porro collectio coepta est propagari uti opus Isidori Hispalensis, et paullatim alias Collectiones celebritate vicit; tantam apud omnes consecuta auctoritatem, ut per plura saecula Theologi, Canonistae huius Collectionis Decretales absque ulla suspicione citaverint. Cardinalis *Cusanus* primus omnium *(de Concil. Cath. l. III)* plura supposita ibi esse animadvertit. Post ipsum plures auctores catholici e. g. saec. XVI, *Ant. Le Coimte K. et Ant. Augustinus Episcopus Tarraconensis;* saec. XVII, *De Marca Lupus Scheltrate, Ant. Pagi, Natalis Alexander,* ostendunt suppositionem; quod praestiterunt et plures heterodoxi, e. g. *Blondellus (in libro Pseudo Isidorus et Turrianus vapulantes) et Centuriatores Magdeburgenses.*

47. 2) **Confectionis tempus, finis ab pseudo-Isidoro intentus, locus probabilis indicatur.**

Quoad tempus. Communiter affirmant scriptores Collectionem factam esse saeculo IX mediante vel paulo ante; et verosimile est eam inter annos 847 et 857 fuisse concinnatam. Nam inveniuntur, ex una parte, excepta aliquot ex Isidori Decretalibus allata in Synodali epistola, quam Carolo Calvo miserunt an. 857 Episcopi Carysiaci Synodum celebrantes; ergo certe non post an. 857: ex alia vero parte, cum appareat, instituto accuratiori examine, Isidorum Mercatorem usum esse Collectionibus capitularium Benedicti Levitae, et capitularium Angilramni; dicendum prorsus est pseudo Decretales fuisse confectas non ante an. 847. Nam Benedictus Levita in praefatione indicat se Collectionem suam edidisse post mortem Ludovici Pii (840), et divisionem Imperii inter eius filios Viroduni (843); imo Documenta ex scriniis Ecclesiae Moguntinae se collegisse, praecipiente Otgario, qui tunc *Moguntinus erat Episcopus,* ostendit iam ipsum non amplius Sedi huic praeesse: atqui ex annalibus Fuldensibus Otgarius obiit 24 aprilis 847.

Finis vero pseudo-Isidori in sua adornanda Collectione ex ipso opere apparet. Nam

α) ibidem *patet ipsum velle relevare dignitatem atque praeeminentiam status ecclesiastici;* hinc urget laicorum subiectionem erga praesules, laicas usurpationes bonorum Ecclesiasticorum redarguit, vetat quominus Ecclesiastici iudicentur a saecularibus.

β) *Multis* autem *statutis dignitatem Episcoporum,* ob accusationes et deiectiones valde imminutam, *relevare conatur.* Quum enim exortis dissidiis ac bello inter Ludovicum Pium et eius filios, nec non inter tum laicorum tum Ecclesiasticorum partes faventes vel patri imperatori vel filiis, status rerum ecclesiasticarum in Gallia turbaretur, quumque religio ac mores in praeceps magis magisque ruere viderentur, remedium adhibendum ut dignitati et saluti status ecclesiastici provideretur, quam maxime optabatur: quod pseudo-Isidorus falsis Decretalibus exhibere conatus est.

γ) Praesertim *eo* tandem *opus eius tendit,* ut extollendo Sedis Apostolicae dignitatem, ad eamque recurrendi necessitatem, *Episcopos a Collegarum insectationibus liberaret.* Facillime enim influxu Principum et factionum Episcopi damnari atque deponi potuissent, uti in Gallia tunc temporis accidebat, quod nempe Metropolitae in iudicandis Episcopis, Regum potentiam timebant, favorem expetebant, partes politicas sequebantur.

δ) Igitur, ut ex toto operis contextu patet, etiam *extollere R. Pontificis dignitatem non finis, sed medium fuit,* neque Isidoro Mercatori, ut finis operis obversabatur in mente specialis intentio tuendi aliquos Episcopos, e. g. eos, qui contra Ludovicum Pium secuti fuerant Lotharium, ne severa in eos exigeretur vindicta, ut quidam opinantur.

Ad **locum** quod spectat I. *negative,* dico quod neque Romae, neque in Hispania, neque in Germania; sed II. *positive,* in Francia confecta et vulgata esse videtur.

I. *Negative:* 1. *Non Romae,* ut putat Theiner et Eichhorn, neque a Romanis Pontificibus. Huius enim Collectionis vestigia *a*) nec Romae, nec in Italia, reperiri possunt; *b*) ex epistolis Romanorum Pontificum illius aetatis *Leonis IV* et *Nicolai I* apparet ipsis pseudo-decretales vel haud notas fuisse, vel iisdem

eos non esse nisos; *c*) subsequenti tempore per duo saecula usque ad Leonem IX, Romani Pontifices in suis iuribus tuendis ad illas nusquam provocarunt. Unus Adrianus II quandoque textum ex iis citasse censetur; non tamen ad suam auctoritatem vindicandam, sed probans factum Praesulum Galliae, qui ob graves rationes ex una Sede in aliam transtulerant Episcopos; *d*) tandem quando Romani Pontifices textus Pontificum antecessorum suorum citant, eos attribuunt iis recentioribus, quorum revera sunt, e. g. Innocentio vel Leoni, non vero antiquioribus trium priorum saeculorum.

2. *Neque in Hispania; a*) quia nulla exemplaria falsae Collectionis in bibliothecis Hispaniae reperta sunt; *b*) nec ullum Concilium hispanicum, aut eius regionis scriptor ad pseudo-decretales provocat ante saeculum XIII, nec evincit ratio nominis Isidori, aut quia plura in huius Isidori Hispalensis Collectione iam reperiebantur;

3. Sed *neque in Germania;* nullum enim sat probabile affertur argumentum ad id probandum, e. g. quia suspicio auctoris cadit in Benedictum Levitam aut Otgarum *Moguntinos.*

II. *Positive* urgetur in Gallia urbs Rhemensis, vel saltem locus huius provinciae aliquis, et valde probabiliter Galliarum regio: arguunt eruditi α) ex eo, quod pseudo Decretales primum et frequenter citantur a Conciliis et Episcopis Franciae, imo vix unquam ab aliis usque ad medium saec. XI; β) apparet Isidorum Mercatorem Collectioni Hispalensi paullo ante in Gallias allatae, addidisse documenta, quae in Adrianea atque in alia vetusta gallica collectione continebantur; ubi etiam est apocrypha epistola S. Clementis ad Iacobum fratrem Domini; γ) insuper multis documentis ex Conciliis Galliarum praesertim Aquisgranensi (an. 816), epistolis S. Bonifacii, aliisque scriptis, quae omnia in Galliis erant vulgata, Isidorus Mercator usus est; δ) usus est etiam vulgata Sacrae Scripturae versione secundum Alcuini recensionem; ε) genus dicendi francicum est, ac plane convenit cum eo quod in Synodis Franciae illius aetatis adhibetur: hinc eadem nomina ad designanda officia; ζ) cognatio Decretalium Isidori Mercatoris cum Capitularibus Benedicti, et cum capitulis Angilramni, nec non convenientia cum quaestionibus, quae tunc in Francia agitabantur.

48. 3) **Auctoris nomen** probabili ratione adhuc ignotum est, et incertum manet, omnibus circumstantiis inspectis. Suspicio falsationis cadit in Benedictum Levitam Moguntinum propter similitudinem harum Decretalium cum Collectione Capitularium, ab eodem auctore post annum 847 conflata. Idem enim est loquendi modus, idem stylus, eadem coordinatio materiae atque usus falsorum documentorum, sicut habetur in tribus libris Capitulorum francorum. Alii Rhotadum Suessionensem, alii Otgarum Moguntinum imposturae traducunt auctorem. Sed cum variae a variis factae sint oppositiones, quae fuerunt etiam ab aliis explosae, incertum manet auctoris nomen.

49. 4) **Quamvis a) plurima in pseudo-Isidori Collectione sint genuina atque authentica, tamen b) plura supposita sunt.** Manifestum est I., quia desumpta sunt ex Collectione Hispana recentiori, Isidoro vulgo adscripta, atque aliis sinceris fontibus, quamvis saepe interpolata apocryphis documentis insertis. Attamen manifestum est II., scilicet plurima impostoris fraude conficta esse: atque supposita prorsus censenda, praesertim Decretales a *Clemente I* ad *Melchiadem*.

Et re quidem vera

1. *Dionysius Exiguus,* maxima cura et diligentia lustratis undique excussisque scriniis Sedis apostolicae, nullam illarum Decretalium invenire potuit.

2. *Scriptores ecclesiastici,* qui per octo priora saecula floruerunt, et Concilia, quae per eam aetatem habita sunt, harum Decretalium nullam iniiciunt mentionem, quam pluries facere debuissent.

3. *Multa in his occurrunt recentiora aetate Pontificum,* quibus illa adscribuntur, uti sacrorum bibliorum sententia secundum Vulgatam, leges ex utroque codice petitae, posteriorum canones Conciliorum....

4. Adde et illud, quod huius collectionis auctor eam tribuit S. Isidoro, quem Episcopum et Hispanum fuisse significat, qualis non alius esse poterat, nisi Isidorus Hispalensis: atqui post eius obitum habita sunt octo a V ad XIII Toletanum, et unum Bracarense, quae in ea Collectione referuntur. Similiter post obitum S. Isidori habitum fuit Concilium oecum.

VI, cuius in praefatione Collectionis mentio est. Plura ex Sanctis Patribus saeculi IV–V–VI in ea sunt, vel ex legibus et scholiis Aniani, quae extant in Codice Theodosiano post eas Decretales publicato.

5. *Stylus harum Decretalium* videtur esse omnino barbarus, et idem semper ac qui saeculo IX vigebat; atqui id omnino inverosimile est de omnibus.

6. *Plura facta historica* ibi relata non concordant cum certis monumentis aliunde notis.

Generatim *ad rei veritatem,* atque *ad falsarii Collectoris culpam imminuendam* ab eruditis animadvertitur; α) quod, etsi plura, in falsis Decretalibus praesertim, documenta falsa sint et interpolata; tamen plura apocrypha ibi contenta iampridem antea extiterunt; β) quod multae epistolae, Patribus antenicaenis adscriptae, sunt reapse Pontificum, sed post nicaenorum; γ) Decretales et interpolationes factae nil falsi continent, earumque summam non pseudo-Isidorus excogitavit, sed aliis ex fontibus hausit. δ) Hinc si talia et bona Auctoris intentio spectentur, confirmandi scilicet ius vigens et veritatem antiquo quidem documento, sed non authentico, haud multum mereri videtur impostoris nomen. Quo artificio, ut supra vidimus, ideo usus videtur collector, ut, quasi a primis RR. Pontificibus sancitae Leges, ob hanc eis conspersam antiquitatem, maiori reverentia exciperentur. ε) Unde cum plurima pseudo-Isidori Collectionis documenta supposita et conficta esse dicuntur, talia asseruntur eo sensu, quod ex pluribus sint fragmentis contexta, desumpta tamen ex Conciliis, Decretalibus, aliisque ecclesiasticis fontibus.

50. ζ) **Nec res eliquata est quoad omnes fontes, unde falsa documenta sint desumpta**; utique convenit inter scriptores, quod fontes, ex quibus falsam suam Collectionem confecerit auctor, sint libri historici Rufini, Cassiodori, Breviarium alaricanum, et africanum...., genuini canones Conciliorum, genuina scriptura Sacra, scripta SS. PP., Decretales Romanorum Pontificum, Ius civile.... Omnibus pariter videtur pseudo-Isidorus maxime prae manibus habuisse acta Concilii Aquisgrani an. 816 habiti. Convenit tandem, mediante saeculo IX, vulgatas fuisse duas alias collectiones spurias, videlicet Ca-

pitularia Benedicti Levitae et Capitula Angilramni, uti supra animadvertimus: at nondum convenit quoad omnes fontes pseudo-Isidorianae Collectionis. Ex octoginta circiter variorum auctorum operibus apparet pseudo-Isidorum hausisse ea, quae a Romanis Pontificibus scripta esse commentus est. Porro non omnia haec opera auctor habuisse ac legisse censendus, sed uti debuit excerptis, quae iam in aliis continebantur.

Nota. Constitutiones Regum et Imperatorum Francorum, tam civiles quarum ecclesiasticae, tunc temporis dicebantur speciali modo *Constitutiones.*

51. 6) « **Illud autem omnino falsum est, immutatam esse prorsus ex falsis Decretalibus antiquam disciplinam et nominatim iura Primatus Romani Pontificis** ». Qui enim fieri potuit, ut mutatio disciplinae, prout adversarii contendunt, facillime admitteretur sine ulla suspicione novitatis, sine ulla reclamatione facta neque ab iis, quorum maxime intererat; sed ab omnibus fuerit admissa et recepta? Scilicet haec explicari nequeunt, nisi cum Walter dicatur quod « Hae Decretales nonnisi indolem et doctrinas illius aevi ex- « hibent, quin ad substantiam quod spectat, aliquid novi in « medium proferant: illae vero paucae iuris immutationes, « quae ab auctore proponuntur, in praxim non sunt deductae ». Plurima enim inter se dissonant, nec proferunt quod in praxim deduci possint. « Quoad essentiam (ut verbis utar cl. « *Jungmann Hist. eccl. dissert. 16, n. 72*) et substantiam, haec di- « sciplina recentior eadem est ac antiqua: modificationes tan- « tummodo quaedam ac differentiae et regulae magis precisae « ob temporum adiuncta valde opportune ea aetate invalue- « runt. Ista vero non praecise et auctoritate et vi Decretalium « illarum introducta sunt: quamvis vulgatio Collectionis pseudo- « Isidori aliquid contulerit, ut facilius eiusmodi modificationes « invalescerent. Erant autem modificationes illae evolutio quae- « dam iuris canonici, quae in ipsa Ecclesiae Constitutione et « in iuribus Pontifici Rom. ac potestati ecclesiasticae conve- « nientibus plane legitimum habebat fundamentum ac tempo- « rum indigentiis conveniebat ».

Verum est eos, qui autumant falsas Decretales haud parum contulisse ad societatis civilis potestatem imminuendam,

ad auctoritatem Metropolitarum deprimendam, atque ad amplificanda Romani Pontificis iura, plures esse et, quod sane lugendum est, catholicos quosdam, quales sunt Gallicani. De Marca (Concord.), Balutius in praefatione ad opus Reginonis de discip. eccl., Illmus Hefele, Franciscus Xaverius Krauss, de Regnon. cfr. *Jungmann l. c. n. 91 seq.* Ast hos omnes fusius refellere rationibus theologicis, proprii erit loci, e. g. in Iure publico tradendo, quod tunc praestabimus: modo praeter supra indicatum argumentum, sequentia animadvertisse sufficiat. Novitates, quae pro amplificandis iuribus Romani Pontificis ab adversariis ceu ab pseudo-Isidoro inductae traducantur, sunt:

a) Romanum Pontificem esse Episcopum Ecclesiae Universalis:

b) Causas omnes maiores ad Sedem Apostolicam referendas:

c) Ius excipiendi appellationes a quovis iudicio Episcoporum:

d) Causas Episcoporum definitivo iudicio a solo R. Pontifice definiendas:

e) Non oportere, praeter sententiam Romanorum Pontificum, Concilia celebrari:

f) Ius ex his ortum Romano Pontifici mittendi quocumque legatos suos.

Ex quibus Ius monarchicum Romani Pontificis constitutum esse concludit *Febronius De Statu Eccl. c. 3, § 9, n. 10.* Atqui illa iura Romani Pontificis continentur natura Primatus a Christo accepti, prout evidentissime probatur

α) ex testimonio SS. Scriptur. e. g. *Mat. XVI. 16-18; Io. XXI.*

β) ex Patribus et Traditione constanti et universali,

γ) aliisque ecclesiasticis documentis certo extantibus ante pseudo-Isidorianam collectionem. Ergo.

Minor probatur in iure publico Ecclesiastico, ad quam tractationem remittenda. Nunc solvenda est sequens

Obiectio. Nicolaus I Romanus Pontifex in Decretalibus innixus est.

Resp. Etsi *forte* concedi possit ipsum falsam illam Collectionem non ignorasse, tamen falsum prorsus est iis innixum vel semel esse tum in controversia Photiana, tum in contro-

versiis disciplinaribus eo tempore in Gallia exortis. Neque ipse, neque eius praedecessor Leo IV iis innixus est. *a*) Nam Leo IV, qui Pontificatum iniit an. 847, scribens ad Episcopos Britanniae, docensque, quibus Decretalium regulis, et conciliorum canonibus Ecclesia Romana uteretur, ea depromit singillatim, quae in Collectione Adrianea duobus aucta additamentis reperiuntur, nullamque profert pseudo-Isidori Decretalem: *b*) Sed neque S. Nicolaus I uti bene probant *Card. Hergenroether, De Smedt, fratres Ballerini, Iungmann*..... quos confer. Hinschius heterodoxus, et inter Catholicos Dr. Hefele, Krauss, De Regnon putant his decretalibus aliquantisper innixum esse S. Nicolaum.

Ut cetera omittam, Nicolaus I scribens ad Episcopos Galliae an. 863, α) post depositionem Rhotadii, quem illi in conventu Sylvanectensi et Suessionensi iudicaverant, eos reprehendit, eo quod deponentes eumdem Rhotadium appellantem ad Apostolicam Sedem neglexerant constituta Sardicensis Concilii: ergo nititur verbis *can. 4,* aut *3, Sardicensis.*

β) Idem praestitit Pontifex quando restituit Rhotadium an. 865: et in variis documentis, quae eo spectant, numquam provocat ad Decretalem aliquam apocrypham, sed tantum ad varios canones et regulas antiquae disciplinae.

γ) Plenam auctoritatem Romani Pontificis deducit ex natura primatus:

δ) Quam agnoverunt et ipsi Praesules Galliae quando, restituto Rhotadio, cum cecidisset Hincmarus a favore Regis, et ut in pristinum Statum restitueretur, synodica epistola mitteretur; subscripserunt numero 30 Episcopi et Archiepiscopi, 11 Abbates. *Cf. Jungmann, Dissert. 16, n. 90, seqq.*

De tempore coaevo vel suppari Pseudo-Isidori.

Summarium. — Hac epocha editae sunt etiam Collectiones I. dictae Inghilramni Capitula et Capitularia francorum, eodem mediante saeculo, quo pseudo Decretales: II. ex quibus partim saltem efformatae Collectiones postea prodierunt, α) Reginonis Prumiensis, β) Burcardi Wormatiensis, et γ) S. Anselmi Lucensis saec. X; Cardinalis Deusdedit et S. Ivonis Carnotensis saec. XI.

Inghilramni Capitula etc.

52. Eodem mediante Saeculo, quo pseudo-Isidoriana apparuit collectio, pervulgari coepit alia sub nomine Inghilramni vel Anghilramni Metensis Episcopi, cui ab ipso Adriano R. P. tradita ferebatur, multis scil. ad 72 vel 80 constans capitulis; de accusationibus tractans atque iudiciali processu contra Episcopos: hinc dicebatur « Capitula Adriani Papae vel Anghilramni ». Attamen eiusmodi Collectio neque Adriani I neque Anghilramni opus est, sed probabiliter Benedicti Levitae aut auctoris *falsarum Decretalium,* quarum Capitula haec sunt veluti breve transumptum.

Capitularia Regum francorum leges erant, quae in ecclesiasticis atque civilibus comitiis ferebantur, quae comitia vulgo *Leudes* vocabantur, quaeque ex ministris, Praelatis ecclesiasticis atque baronibus coalescentia, de rebus ad Statum atque Ecclesiam pertinentibus, discutiebant decernebantque. Primum horum comitiorum decisiones sparsim ac seorsum vulgabantur. Deinde ab Ansegiso abbate quatuor libris collectae sunt, quorum primus ecclesiasticas leges Caroli M., alter leges civiles Ludovici Pii, atque alii duo postremi horum imperatorum leges exhibebant. Porro hisce quatuor libris tres alios libros, quos Canonum potius quam Capitularium dixeris, addidit idem Benedictus Moguntinus diaconus.

53. Ex quibus, id est falsis decretalibus, etiam efformatae plus minus sunt collectiones sequentes, prout eruditi nunc communiter demonstrant.

1ª. **est Collectio Reginonis** (saec. X), monasterii Prumiensis abbatis, qui iussu Rabodi Trevirensis Archiepiscopi,

anno, uti fertur, 906, suam Collectionem absolvit in duos tributam libros, qui dicuntur de Synodalibus causis et de ecclesiasticis disciplinis; et quorum primus de personis rebusque ecclesiasticis, alter de laicis tractat. In ea conficienda usus est collectione dionysiana, hispanica atque etiam Isidori Mercatoris, decretis Romanorum Pontificum, canonibus conciliorum et sententiis SS. Patrum, quibus etiam civiles leges adiunxit ex codice Theodosiano petitas, aliasque ex Capitularibus Regum Francorum.

2ª. **est Burchardi Wormatiensis,** cuius in manibus omnium versatur Magnum Decretorum volumen. Prodiit haec Collectio initio saeculi XI (1012-1023), atque in libros 20 divisa est, et vulgo *Decretum* appellatur. Burchardus multa ex Reginone desumpsit, quin eius faceret mentionem; Reginonis autem erroribus suos etiam addidit. Multa ex falsis Decretalibus, atque cetera plurima ex V. et N. T., nec non ex poenitentialibus libris in rem suam collegit.

3ª. **est Anselmi Lucensis** Episcopi, saeculo XI (an. 1087) cui adscribitur authentica atque abundans, quamvis compendiosa, Collectio Regularum et sententiarum SS. PP. atque authenticorum Conciliorum, 12 libris distincta, magnam partem ex Burchardi collectione conflata. Huic simillima videtur esse sequens

4ª. **et est Deusdedit Cardinalis Presbyteri** an. 1087. Alius est hic a Pontifice eiusdem nominis saec. VII. Noster Deusdedit ille est, qui dicto an. 1087 collectionem seu librum canonum Victori III Pontifici obtulit, atque insuper quatuor libros de rebus ecclesiasticis, ubi praecipue incumbit ad defendendam libertatem ecclesiasticam contra Henricum Imperatorem. Hoc opere usi sunt qui corrigendo Gratiani Decreto suam impendebant operam.

5ª. **est Ivonis Carnotensis** Episcopi, qui et excerptiones ecclesiasticarum Regularum et Pannormiam, i. e. complexionem canonum, evulgavit exeunte saeculo XI aut ineunte XIII. Excerptiones ecclesiasticarum Regularum nunc vulgus appellat Decretum, quod in libros 17 est divisum. *Pannormia* quae dirhibetur in libros octo, veluti eius compendium est, atque ita dicitur, quasi omnes comprehendat normas vitae ac disciplinae ecclesiasticae.

De iure novo et novissimo seu de Epocha V et sequentibus usque ad nos.

54. Saeculo XIII medio nova exurgit fulgida aetas pro Canonici Iuris scientia a Gratiano, et per Gratianum e Benedictina familia Monachum. Hic Clusii in Hetruria natus in spem Ecclesiae adolevit praeclarissimi ingenii laude. Iacto tyrocinio atque professione peracta, ita in silentio SS. Naboris et Felicis monasterî Bononiensis adamavit studia ecclesiasticae disciplinae, ut totam vitam canonibus Ecclesiae inquirendis illustrandisque operam navaverit eximiam. Nullam enim advertens cohaerentiam, imo magnam discrepantiam inter monumenta iuris priorum Collectionum; subtilissimi ingenii vir, adhibitis scholasticis distinctionibus, ad conciliandos canones, non instar Burchardi aut Ivonis Collectionis, sed scholastica methodo, et vero, quem vocant, *systematico tractatu* opus aggressus est an. 1127, illudque absolvit an. 1151 sub titulo edens « *Concordantia discordantium canonum* », quod postea vulgo *Decretum* appellatum est. Tanti apparuit meriti, cum vulgari coeptum est Gratiani opus, ut ab ipso monacho *Iuris novi* aera initium sumpserit. Ast cum hoc decretum in usu forensi adhuc receptum sit, et suam quadantenus retineat authentiam ad sequentem sectionem remittendum est.

Post Gratianum, usque ad Decretales Gregorii IX, quas vocant, prodierunt *quinque compilationes sic dictae,* opera praesertim Cardinalis Laborans, Bernardi Papiensis, Ioannis Gallensis, aliorum, qui haud leviter Collectionem Gregorii IX suis collectionibus praeformarunt. Anno autem 1234 evulgata est collectio, quam iussu Gregorii IX S. Raymundus de Pennafort O. P. adornavit: et cui Bonifacius VIII *Sextum Decretalium,* quem dixit, adiecit an. 1298. His accesserunt tandem Clementinae et Extravagantes Ioannis XXII et Communes. Iamvero cum Decretales Gregorii IX, usque ad extravagantes communes, sint vigentes Collectiones et partem constituant eius, quod audit *Corpus iuris canonici,* de his *sectione seq.* pariter agendum.

Neque silentio praetereundae sunt Pontificiae omnes Con-

stitutiones in Bullariis et regulis cancellariae contentae, non vero in supradictis Collectionibus.

Atque hisce a Gratiano usque ad Concilium Tridentinum exhibetur **Ius novum.**

55. *Dixi usque ad Tridentinum Concilium,* a quo incoepit **Ius novissimum**: cum iuri ecclesiastico per Tridentini decreta et canones maxima contigerit disciplinae ac morum reformatio. Post Tridentinum deinceps ad haec usque tempora praeter Constitutiones novas, atque decreta, quae magis magisque in diem nova prodeunt a Rom. Pont., recensendae sunt Responsiones et Resolutiones SS. Congregationum. Attamen cum haec modo dicta vim suo modo habeant obligandi, *de his in sequenti sect.*

SECTIO IV.

Quae sint harum legum nunc usu receptae Collectiones, unde leges ipsae cognosci possint, quae proinde legitimi fontes cognoscendi audiunt.

Praenotandum. Gradum nempe facimus ad eas iuris canonici Collectiones, quae vel integre vel magna ex parte vigent adhuc, ita ut veluti Codicem legum ecclesiasticarum constituant.

Assertum.

Ad ius ecclesiasticum seu canonicum scriptum, itemque commune quod attinet, 1) facta distinctione in authenticas et non authenticas canonum Collectiones, 2) ostenditur authenticas esse omnes et singulas Decretalium partes, quibus constat Corpus iuris canonici: 3) ad Decretum vero quod spectat, illud non simpliciter, sed quadantenus authenticum esse dicimus. 4) Porro tum decretalium, tum decreti partes allegandi ratio breviter indicatur.

56. *Declaratur 1ª pars.* Dicimus *ius commune* quia leges pro tota Ecclesia latas continet: leges enim canonicae a publica auctoritate profectae, etsi quaedam respiciant particularia individua aut quasdam singulares Communitates, cum primum

fuerint editae; tamen eo solum quod Codice authentico referantur, universales et communes sunt. Dicitur autem *ius canonicum* non solum quia Regulam credendi et *agendi* seu disciplinam *christianorum* exhibet, sed quia distinguitur a iure divino, quatenus hoc immediate et formaliter a Deo positive significante suam voluntatem procedit. Dicitur *scriptum* quatenus praescindit a consuetudine et traditione, quae est ius non scriptum. Porro scripti iuris collectiones distinguendae sunt eae, quae *gaudent authentia,* atque proin dicuntur authenticae, ab iis, quae tales non sunt.

Sed quid est authentia *in sua natura inspecta, et quaenam in genere hac authentia gaudere possunt?*

Resp. Nomen αυθεντης significat apud Graecos scriptores, *qui potestatem seu auctoritatem habet.* In iure autem nomen transfertur ad scripta et instrumenta praesertim publica, quorum authentia idem est ac auctoritas ad faciendam fidem : non unius semper modi, sed eam, ad quam faciendam proferuntur.

Iamvero si sermo fiat de authentia ipsius instrumenti originalis (cui prius et per se competit esse authenticum) ut auctoritatem tamquam originalis faciat, debet esse genuinus h. e. illius reapse opus ac foetus, cui attribuitur : unde si agatur de lege edita, ut instrumentum seu tabula legis in suo originali sit authentica, debet exhibere ipsam eandem numero legem sub formali obligatione legis a legislatore ipso immediate procedentem. Unde si supponatur quod constet de auctoritate eius, cui scriptum tribuitur, quaestio de authentia originalis instrumenti, quod supponitur rite esse confectum, coincidit cum quaestione de eiusdem genuinitate.

At supposita authentia originalis diffunditur etiam in exemplaria, quae sint sive apographa, sive versiones. Si scriptum originale habet auctoritatem, ut supponitur, sane exemplaria inde descripta et versiones, saltem intrinsecus et in se, eandem habent, quatenus conformia sunt cum ipso originali.

Brissonius, Lexicon iur. primum sensum confirmat cum Pauli Icti. *(ex lib. 22, ff. l. 2, tit. 4, De fide Instr.)* sententiam refert: « *Authenticum est quod vulgo Originale dicimus* ». Confirmat cum v. *authenticum* prosequitur: « *authenticum..... Quod inde dicitur describiturque exemplum seu Index Latinis, Barbaris*

Copia appellatur. Sic authenticae tabulae et rationes: *authenticae* tabulae sunt primariae, unde tamquam fonte exemplaria sunt. *Ulp. in fin. l. 4. ff. de fam. ercisc.* « *Haeredem,* ait, *exemplum debere dare: tabulas vero authenticas, ipsum tenere, aut in aedem deponere* ».

Authenticae rationes plerumque sunt necessariae actori ad instruenda ea, quae postea emergunt ad notitiam eius spectantia. *Ulp. l. Pomponius scribit ff. famil. ercisc.*

Applicando haec omnia Authentiae Collectionis seu Codicis legum, quaeritur *an ipsa Collectio fidem faciat legalem et iuridicam;* seu an monumenta illic contenta per se habeant voluntatem Legislatoris, eo quod ibi sint contenta, et tamquam *Codex iuris canonici* haberi possint. Dictum est monumenta esse authentica si fidem faciant, ad quam proferuntur: porro hic agitur de fide legali, ad quam faciendam monumenta legum proferuntur ex collectione, tamquam ex fonte legitimo cognoscendi: ergo erit collectio authentica, si ipsamet, qua talis, exhibet voluntatem legislatoris.

Ad maiorem rei intellectum distinguatur *duplex respectus authentiae* quoad collectiones, quas in thesi authenticas dicimus: *respectus* scilicet *historico-scientificus,* et *respectus iuridicus.* Sub 1° respectu consideratur collectio, cum quaeritur an monumenta in ea contenta sint vera, genuina et integra, et tunc authentia seu auctoritas quaeritur, quae resultat ex veritate monumentorum. Sub 2° sensu, scilicet iuridico et legali, consideratur collectio, cum quaeritur an dicta monumenta praeseferant voluntatem legislatoris, seu an Collectio tamquam Codex legum a legitima auctoritate proponatur. Patet nos loqui praesertim sub hoc 2° respectu, de authentia scilicet legali partium et totius Collectionis, quamvis aliam non negligamus.

Collectiones erunt authenticae tamquam codex *a*) si auctoritate legislatoris procedunt: atqui Legislator in Ecclesia est Romanus Pontifex solus, vel ipse cum oecumenico Concilio quoad Ecclesiam universalem, ita ut Concilium aut Ecclesia nullam Constitutionem vel decretum commune facere valeat sine eius consensu: ergo Collectiones iuris canonici ut sint authenticae debent certissimo aliquo modo procedere a Romano Pontifice.

b) Triplici autem modo certum erit ab ipso esse Collectiones quasdam legum; si scilicet *aut factae aut editae aut approbatae sint a Romano Pontifice.* Pontificiae e. g. Constitutiones continentur etiam Bullariis, quae haberi nequeunt uti Collectiones authenticae, uno excepto Bullario Benedicti XIV quoad 1^m^ tomum Constitutionum huius Pontificis, qui et continet decreta ab ipso et iussu ipsius collecta, atque Bononiensi Scholae missa, sicut Gregorius IX, Bonifacius VIII, suas Decretalium Collectiones miserunt (1).

Quaedam Collectiones, e. g. Extravagantes Ioannis XXII, et Communes approbationem saltem tacitam consequutae sunt: etsi non fuerint editae, aut pontificia auctoritate specialiter adprobatae, sicut Decretales Gregorii IX, Sextus, et Clementinae. Licet enim pro illis non extent expressae, atque formales confirmationes, sicut extant pro Decretalibus Gregorii IX, Sexti, et Clementinarum; plena tamen ecclesiasticae legis auctoritas ipsis deesse non potest, cum a Summis Pontificibus singulae Decretales sint editae, et per hoc ipsum satis promulgatae, *quod corpori iuris inserantur.* Unde si qua contrarietas in diversis hisce collectionibus exsurgat, posteriores Collectiones derogabunt prioribus: hinc Extravagantes derogabunt Clementinis, Clementinae Sexto, Sextus derogabit Decretalibus Gregorii IX, et Decretales derogabunt Decreto. Corpori iuris derogabunt Decreta Concilii Tridentini atque posteriores pontificiae Constitutiones.

Quare etsi Corpus iuris canonici nequeat haberi quoad omnes vel minimas partes tamquam vigens in omnibus et singulis; Codex tamen ipsum est semper fons cognoscendi ius commune, ceu venerabile monumentum ecclesiasticum et iuridicum, et pretiosissima origo, unde dimanare agnoscitur Christiana Religio, atque intimus eius veluti organismus, ac plurium Christianorum saeculorum vox veluti authentica.

(1) 1. *Facta et edita* a Romano Pontifice Collectio est tomus primus Bullarii Bened. XIV.

2. Editae Collectiones Sunt Decretales Greg. IX–Liber Sextus–Clementinae.

3. Approbata solum est saltem tacite, Collectio Extravagg.

57. *Declaratur et probatur 2ª pars.* **Authenticae quadantenus** (prae decreto Gratiani) dici possunt omnes illae collectiones, quae in unum coactae audiunt *corpus iuris canonici,* quaeque sex numerantur: 1. Decretum Gratiani, 2. Decretales Gregorii IX, 3. Sextus Decretalium Bonifacii VIII, 4. Clementinae, 5. Extravagantes Ioannis XXII, 6. Extravagantes communes. Dixi autem *quadantenus* quia 1ª pars, i. e. Decretum Gratiani, iuxta communiorem sententiam authentica dici proprie non potest: de quo in 3ª parte propositionis erit sermo: nunc de ceteris quinque partibus inquiritur, a) *ordo in genere et materia,* tum singillatim b) *origo historica,* c) *et authentia.*

De ordine in genere ac materia animadvertatur, quod ordo, quo illae digestae sunt, unus omnium est. Tota nimirum iuris canonici materia, quae in singulis exponitur, quinque in libros est distributa: quorum primus agit de personis, quae munus aut officium aliquod in Ecclesiae regimine habent; secundus de iudiciis, deque ordine in iisdem servando; tertius de rebus sive spiritualibus sive temporalibus, quae ad Ecclesiam pertinent; quartus matrimoniis in specie reservatur; quintus ea, quae ad delicta eorumque poenas spectant, exponit.

Singuli autem libri dividuntur in titulos, quibus proposita in toto libro materia per partes distribuitur: tituli vero singulis certis canonibus numero distinctis constant, qui ut plurimum responsa sunt Romanorum Pontificum circa particulares casus, de quibus fuerunt interrogati.

Quae quidem *distributio,* licet praedictis omnibus collectionibus, quas vere authenticas esse dicimus, communis sit; nihilominus in ea re differunt a ceteris Extravagantes, quod materiae defectu, carent libro quarto; imo quae Ioanni XXII inscribuntur ne divisionem quidem librorum praeseferunt, licet eorumdem ordinem sequantur. Haec materia et ordo exprimi solet versu:

Iudex, Iudicium, Clerus, Sponsalia, Crimen (1).

Speciatim vero **quoad singulas partes de origine et authentia** dicendum est.

(1) Quod vetus glossa fideli traditione *hoc versu* indicavit, Baldi Petrus S. I. in Corpus Iur. can. comment. n. 137 et seqq. (lith.) sic paulo

Collectio Decretalium Gregorii IX.

58. Origo huius Collectionis haec est: Gregorius IX, successor Honorii III immediatus, advertens per supradictas collectiones seu quinque Compilationes haud plene satisfactum esse sacrae iurisprudentiae studiis, uti Iustinianus imperator Triboniano mandavit, ut ex antiquo codice Hermogeniano et Theodosiano, atque ex novellis Constitutionibus a se editis novus iuris civilis codex conderetur; sic et ipse iussit B. Raymundum de Pennafort ex omnibus anterioribus collectionibus Decretalium, nec non ex recentibus Constitutionibus a se editis, novum decretalium Codicem elaborare. Paruit ille: et quamvis post tres annos a se confecta collectio non constaret ex solis Decretalibus, sed ex aliis etiam statutis e. g. decretis Conciliorum; tamen, cum Romanorum Pontificum Decretales constituerent potiorem partem, sub nomine *Decretalium Gregorii IX,* hanc compilationem appellare atque edere maluit.

Haec porro collectio circa an. 1230, auctoritate Gregorii IX. Universitati Bononiensi, vel ut alii volunt Parisiensi, aut po-

uberiori formula exponit ut sit: Magistratus ecclesiasticus, *negotiis* beneficialibus et matrimonialibus praepositus, *cum iurisdictione* contentiosa, voluntaria et criminali. Unde obvia quaedam partitio erit, quae sequitur:

Liber I. Magistratus ecclesiasticus
» II. Iurisdictio contentiosa
» III. Iurisdictio voluntaria in beneficialibus
» IV. Iurisdictio voluntaria in matrimonialibus
» V. Iurisdictio criminalis

ibique epilogus Decretalium.

Liber I. Magistratus ecclesiasticus (tt. 43), ubi habita collatione cum I. serie Iustinianea (75 - 81) quatuor huius libri sectiones deprehendis inscribens primam de iure decretalium t. 1–4, alteram de potestate Sacri Magistratus t. 5–22; tertiam de officio eiusdem magistratus t. 23–32; quartam de maioritate et obedientia omnibus magistratibus *debita,* cum in aliis partibus, tum maxime in praeliminaribus iudicii t. 33–43.

Liber II. Iurisdictio contentiosa (tt. 30) sub n. 143. Ex parallela serie Iustinianea, quisque agnoscit quatuor huius libri sectiones. Prima est *de lite instituenda,* quod quidem fit per *rei conventionem* ipsiusque litis *contestationem* t. 1–11; altera est de proprietate et possessione in variis *causis beneficialibus et matrimonialibus* t. 12; tertia de lite prosequenda, quod item fit per iudicis *interlocutiones,* actoris allegationes, et rei defen-

tius, quod est et melius, utrique proposita est, ut ea tantum sive magistratus in iudiciis, sive auditores in scholis uterentur.

Ad **authentiam** quod attinet, quaeritur 1) authentia totius Collectionis et textus ipsius; 2) rubricarum seu titulorum; 3) quid dicendum de summariis; 4) quid de glossis; 5) quid de notis; 6) quid de superscriptionibus.

An *tota Collectio Greg. IX est authentica?*

Resp. Facto constat quod a Gregorii IX aetate usque ad finem saeculi XIII hic tamquam unicus codex canonicae iurisprudentiae fuit. Et primo quidem quaeritur an adsit authentia historico-scientifica ita ut vera, genuina et integra sint monumenta historica in hac collectione comprehensa? Et respondetur negative; quia cum Raymundus ex iis praesertim, quae quinque Collectiones dicebantur, multa capita desumpserit pro sua collectione; cum non omnes illae, ex quibus suam confecit, continerent monumenta historica authentica; sequitur hanc nostram Gregorianam non quoad omnia et singula pro se habere authentiam historico-scientificam: quamvis vi

siones t. 13-26; quarta demum est de *lite finienda* per sententiam et confirmationem t. 27-30. . . .

Liber III. Iurisdictio voluntaria in beneficialibus (tt. 50) ubi n. 148 asserit: Quatuor sectionum, quibus libri series constat, prima quidem agit de canonica beneficii consecutione t. 1-12; altera de *temporali eiusdem beneficii administratione* t. 13-20; tertia de statu Regularium t. 21-37; quarta demum de *spirituali* Ecclesiae seu beneficii *administratione* t. 38-50.

Liber IV. Iurisdictio voluntaria in matrimonialibus (tt. 21) ubi sub n. 153 hunc ordinem agnoscit: De nuptiis hoc ordine agitur in Digestis et Codice: 1. de contractu; 2. de divortio; 3. de prole; 4. de tutela, qua, soluto matrimonio, proles non raro eget. Cum vero Ecclesia rem tutelarem civili iudicio ultro permiserit, ipsa negotii indoles suasit, ut tres sectiones hoc ordine proponerentur: I. de coniugii qualitatibus et impedimentis t. 1-16; II. de prole eiusque natalibus; t. 17; III. de divortio et secundis nuptiis t. 18-21.

Liber V. Iurisdictio criminalis (tt. 41 ubi n. 157 distinguit: si conferatur hic liber cum tertia serie Pandectarum et Codicis (128-131) quasi sponte sua dividitur in totidem sectiones.

Prima quidem crimen seu *querelam instituit* t. 1. seq.; altera *varias delictorum classes* recenset t. 3-33; tertia ad *querelam prosequendam* pertinet t. 34 sq.; ultima eam *finiendam* t. 36-39. Querelam vero seu crimen dicimus delictum ea ratione delatum, ut *damnum* Ecclesiae aut reipublicae *datum* vindicta publica reparetur.

legali non detrahat, quisquis horum monumentorum auctor extiterit. Gregorius enim IX cum hanc Collectionem sua auctoritate confectam proposuerit fidelibus, singulis capitibus quae illa continentur, vim legis tribuit: atque hinc omnia suscipienda ac si ab ipso Gregorio IX essent constituta. Unde parum refert an hoc vel illud caput sit Concilii generalis vel particularis, an Pontificis Romani, an ab aliquo ex SS. Patribus, vel alio quopiam scriptore prodierit, cum illa omnia proposita esse a Greg. IX nosse sufficiat. Ipse enim, qui leges scisere potuit, legum vim tribuit illis scitis, quae ex se nullam haberent. Idem namque Gregorius edixisse putandus est, quod Iustinianus Imperator de Iurisconsultorum scriptis auctoritate sua collectis edixit *in l. 1. C. de Vet. Iur. enucl.* « *omnia merito nostra facimus quia ex nobis omnis eis impertitur auctoritas* ». Exhinc

α) Quod legali authentia sit authentica, β) et ipsa sola sit ita authentica usque ad finem saec. XIII, quo Sextus Decretalium additus est, patet ex Const. *Greg. IX.* quae incipit, *Rex Pacificus (5 Sept. 1338)*, qua ipsam Collectionem suo iussu factam dicit, itemque iubet « *ut hac tantum compilatione universi utantur in iudiciis et in scholis* », et districtius prohibet « *ne quis praesumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali* ». Ex quibus verbis antiquasse dicendus est legislator eas omnes Decretales praecedentes, atque Constitutiones, quae in hac collectione non continentur.

Ast *an omnes omnino sunt antiquatae anteriores collectiones, etiam Gratiani Decretum?*

Resp. Non una est Doctorum sententia. Apodicticum argumentum non est pro authentia Decreti tunc temporis, quod saepissime allegantur canones ibidem contenti. Nam allegari potuissent, non quia putaretur ipsa Collectio authentica simpliciter; sed *a*) quia canones ibi relati eam retinent auctoritatem, quam ex sese habent ratione fontis, a quo dimanant; idque *b*) fieri etiam potest, quia ad illustrationem et confirmationem fit allegatio illorum documentorum, eodem prorsus modo, quo allegantur collectiones Gregoriana anteriores, quae hanc praeformarunt, ut intelligatur recte pars illa decretalis, quae dumtaxat a Raymundo fuit allata. Constat enim Ray-

mundum ex nimio brevitatis studio, omissa casuum enarratione, nonnisi authenticas eorum solutiones exhibuisse, ac proinde Decretales non integras, sed detruncatas et contractas, operi suo inseruisse, quas ad rem arbitrabatur; et partes omissas, quae dicuntur *partes decisae,* indicasse verbis *Et infra:* adeo, ut qui nolit ad fontes vel collectiones priores accedere, earum sententiam assequi vix possit. Ad rem *Vecchiotti Inst. can. l. 1. § 66.* « Alterum (monendum) est antiquis Decretalibus, quas « Gregorius IX. missas fecit, vim legum ecclesiasticarum de- « tractam esse, cum Pontifex ipse eas solas decretales in po- « sterum vigere voluit, quae in suam Collectionem translatae « fuerunt, ceteras omnes ex industria praeteriens, quae tem- « poribus minus accommodatae visae sunt. Antiquae tamen « Decretalium Collectiones valde utiles et prope necessariae « sunt ad eas Decretales intelligendas, quae in Gregoriana « Collectione receptae sunt: propterea quod S. Raymundus, « ex potestate sibi facta, inutilia et superflua resecandi, non- « nulla capita adeo praecidit et mutila nobis exhibuit; ut ea « percipi nequeant, nisi in antiquis Collectionibus integram « Decretalem perlegamus ».

Porro eo ipso, quod tota Collectio est authentica, atque adeo quidquid in ea posuit Collector, et Pontifex probavit authenticum pariter est; quaeritur *de rubricis, glossis, summariis, notis, superscriptionibus* ibi contentis.

De Rubricis.

Rubricae breves scilicet inscriptiones titulorum, quibus totius tituli materia denotatur, parem cum textus Capitulorum auctoritatem habent, utpote ab ipso legislatore provenientes,

α) modo iis verbis sint conceptae, quae *integrum sensum* reddant e. g. *Ne sede vacante aliquid innovetur; – Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant; – Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*

β) Sunt quaedam rubricae, quae quamvis plenum non reddant sensum, tamen in acceptione iuris aequivalent integrae constructioni e. g. *de sacramentis non iterandis* h. e. ut non iterentur: *de bigamis non ordinandis* h. e. ut non ordinentur etc.

γ) Aliae sunt etiam nullo modo perfectam orationem continentes e. g. *de Summa Trinitate, et fide Catholica – De Constitutionibus – De rescriptis.*

Iamvero si rubricae contineant perfectam orationem seu integram sententiam exhibeant, dicuntur *praeceptivae* seu *dispositivae*, et uti leges habentur, quia sunt adprobatae et ipsae a Legislatore. Authenticae proinde sunt, vim iuris habentes, atque allegari possunt tamquam ius certum, prout docet quotidiana experientia. Ceterae rubricae dicuntur *directivae* tantum, quia cum ob imperfectionem sensus seu orationis, quam habent, de nullo disponant, allegari ceu dispositivae nequeunt: inserviunt tamen dirigendo ad sensum declarandum: nam quotiescumque verba canonis vel legis, vel statuti, adeoque *Nigri,* obscura vel ambigua sunt, possunt ac debent declarari per rubricam iis praefixam. Exemplum praebet *Glossa* quae in *cap. Cum monasterium 13 de elect.* ad verb. *postulationi eorum praebuisti assensum* infert, Pontificem (Caelestinum III) non de mera postulatione loqui, sed de vera electione (quae duo valde inter se differunt); ideo quia canon non sub rubrica de *Postulatione,* sed sub rubrica *de Electione* positus sit. Ex his autem intelligitur Canonistarum effatum: *a rubro ad nigrum valet argumentum,* quando rubrum praesertim declarat et extendit nigrum, quod est magis speciale. Excipitur tamen

1. Si contradictio est inter rubricam et nigrum: tunc enim nigrum magis posterius et speciale magisque deliberatum restringit rubricam. Et merito quia tunc demum rubrica generaliter declarat nigrum illudque ampliat, quando nigrum est dubium: ergo quando est clarum praevalet rubricae, neque ab ista interpretationem aut ampliationem recipit, et quia « *generi per speciem derogatur* ».

2. Si consuetudo practica seu stylus est contrarius: nam consuetudo est optima legum interpres.

3. Si, nigro generaliter intellecto, sequeretur aliquid durum, absurdum vel iniquum contra vel praeter significationem verborum et mentem statuentium: nam in materia odiosa locutio indefinita non aequipollet universali, imo strictissime debet intelligi.

De Summariis.

Summaria sunt, quae paucis verbis argumentum Capitulorum comprehendunt et pro commoditate legentium addita fuerunt ex scriptis diversorum DD., praesertim Abbatis Panormitani, Ioannis Andreae, Dominici, et aliorum, qui in ipsis Summariis non raro allegantur. Cum non sint authentica, ac praesidia tantum sint doctrinalia, vim decisivam in iudiciis nullam habent. Magni facienda tamen; quia constituuntur ex his, quae canonum vel legum sonant expresse verba.

Glossae.

Glossae sunt commentaria ad textus explicationem, quaeque margini adscriptae reperiuntur. Vim tamen et *a*) auctoritatem legis non habent: quia nuspiam auctoritas legis condendae tribuitur glossae; quin imo a privatis DD. scil. Bernardo, Tancredo, Ioan. Andreae et aliis, quorum nomina ad finem glossarum plerumque apponuntur, textui canonum apposita est: atqui tales Doctores potestatem legiferam non habuerunt. Ergo.

b) Magnum pondus habent adeo, ut eas cuiusvis eximii scriptoris, imo communi DD. sententiae praevalere ac in decisionibus causarum dubiae solutionis amplectendas esse vellent Bartolus, Iason, Baldus, Butrius, Felinus, Mascardus, aliique (1). Quod maxime obtinet relate ad Glossam ordinariam. Glossa ordinaria Decreti a Ioanne Teutonico (an. Christi 1240) et Bartholomaeo Brixiensi, Decretalium Gregorii IX a Bernardo de Botone (1266), Sexti vero et Clementinarum a Ioanne Andreae (1348) conscripta est.

c) Semper inspiciendus valor rationum, quae interpretationem suadent, ut per se patet; et etiam prae oculis habendum, 1) si alias glossas contrarias habeat: 2) si iuris textum

(1) Cf. Bened. XIV Constit. *Redditae* 5 Dec. 1744 ubi habes qui aestimandi sint canonistae interpretes, et de usu legitimo partium decisarum.

aliter *alias* intelligendum doceat consuetudo: 3) si sententia contraria sit iuri conformior, vel meliori ac subtiliori ratione nitatur.

Notae.

Notae et adnotationes, genericum nomen est. Cum *additiones* a notis distinguuntur dicuntur eae, quae factae sunt Decretalibus Gregorii IX studio Ant. Contii Galli, et Francisci Venia Hispani; qui ex antiquioribus Decretalium Collectionibus extrahere curarunt integra rescripta, quae tantum mutilata habentur in Decretalibus Gregorii IX, ut quis melius contexturam capitum animadvertere posset. Sed eiusmodi additiones ad illustranda monumenta omnes quidem utiles sunt, nullam vero legalem habent auctoritatem. Sic et monumentis, quae in Gratiani Decreto referuntur, opera Romanorum Correctorum factae additiones per se nullam legis auctoritatem praeseferunt.

Notae dicuntur quaedam breves adnotationes, quae ad calcem uniuscuiusque paginae solent adponi, ut nempe variantes lectiones recenseantur, vel ad parallela loca lectores remittantur, vel ad alia: unde singuli canones possint illustrari, atque interpretationem habere. Quandoque promiscue sumuntur notae et adponuntur textui Decretalium, vel ceu supplementum constituuntur ex iis, quae tacite intelliguntur, vel exhibent lectionem magis correctam, vel restituunt partes decisas; sed non habent vim legalem.

Superscriptiones.

Superscriptiones e. g. *Gelasius Papa Ezechiae comiti* an. 494, denotantes scilicet a quo, vel cui data sit epistola, ex qua capitulum est depromptum, praescindendo ab authentia historico-scientifica, quae in pluribus desideratur; si iuridica spectetur, communiter a DD. habentur tamquam authenticae, atque ex his in iure validum videretur desumi posse argumentum *cf. Reiffenst. l. c. n. 8.... et Schmaltzgrüeber l. c. n. 303.* Ratio est, quia totum volumen Decretalium a Papa est approbatum, et

in ipso omnia superflua sunt resecata: ergo cum relictae sint superscriptiones Capitulorum; etiam ipse censendae sunt authenticae: proinde valet inde argumentum desumptum. E. g. *c. 1. de Decimis in 6.* praefigitur inscriptio haec: *Greg. IX fratribus Praedicatoribus et Minoribus.* Unde inferunt fratribus Praedicatoribus deberi praecedentiam ante Minores. Ast Patri Zechio et quibusdam aliis argumentum hoc non videtur satis firmum, cum eiusmodi circumstantiae, de quibus scriptum principaliter non disponit, non videantur definitae auctoritate scribentis, nec deprehendimus adeo castigatam vocum dispositionem semper observatam. Sic inscribitur titulus *de statu Monachorum et Canonicorum Regularium:* hi tamen propterea de praerogativa monachis concedenda non credunt sibi praeiudicari.

Sextus Decretalium.

59. α) *Historica origo.* Circa finem saeculi XIII, cum post Gregorii collectionem multae in dies prodiissent a Romanis Pontificibus Decretales (quas tamen ob Gregorii IX vetitum privatus nemo in unum coegit); cumque plura condita decreta fuissent a duobus oecumenicis Conciliis Lugdunensibus, quorum alterum an. 1243, sub Innoc. IV, alterum an. 1274, sub Gregor. X habitum fuerat; Bonifacius VIII, Guillelmo Archiepiscopo Ebrudunensi, Berengario Episcopo Biterrensi et Richardo de Senis S. R. E. Vicecancellario, utriusque iuris Doctori, novam Collectionem perficiendam commisit. Hanc itaque novam Collectionem, constantem etiam ex decretis praedictorum Conciliorum atque Decretalibus tum Gregorii IX in huius sylloge nondum recensitis, tum suis, Bonifacius VIII an. 1298 proposuit sub appellatione *Sexti Decretalium* tamquam appendicem compilationi Gregorianae, eamque ad aliquot Universitates scilicet Bononiensem, Parisiensem, Aurelianensem atque ad Patavinam, ut ea tum in iudiciis tum in scholis uterentur, misit; prohibens omnibus, quominus alias, a se reiectas aut immutatas Decretales, adhiberent, vel alias Decessorum suorum reciperent Decretales, quam quae *Sexto* hoc libro continentur.

β) *Ordo* servatus in hac Collectione est analogus ordini compilationis Gregorianae, sc. in quinque libros: libri in titulos, et tituli in capita distribuuntur, non ita tamen, ut singulis Gregorii Decretalium titulis tot in Sexto respondeant.

γ) *Quoad authentiam* seu *auctoritatem iuridicam* circa singulas Sexti Decretalium partes idem dicendum, quod de quinque libris Decretalium dictum est, haberi scilicet plenissimam: etsi non quoad omnia et singula *authentia historica* habeatur. Ipse enim Bonifacius VIII in constit. *Sacrosanctae Ecclesiae,* mense Februario 1298 edita, probans integrum *Sextum* aperte fatetur plures factas fuisse detractiones vel additiones monumentis in illa comprehensis, quo melius iuri vigenti aptaretur: quia Bonifacii mens non fuit praebere vetera monumenta genuina, sed potius ad id, quod vigebat aetate sua, monumenta iuris auctoritate sua modificare et conformare.

Clementinae Decretales.

60. 1) *Origo historica.* Clemens V, qui Bonifacio VIII post Benedictum XI successit, et primus Avenione sedit, multas tam in Concilio Generali Viennensi habito 1312, quam extra illud praescriptas Constitutiones simul collegerat ea mente, ut sub septimi Decretalium titulo proponerentur. Sed cum eum mors ante occupasset, quam illas promulgaret; Ioannes XXII eius successor an. 1317, decessoris sui voluntati consilioque obsecundans, collectionem illam promulgavit, eamque sub Clementinarum nomine misit ad Bononiensem, aliasque de more Universitates.

2) Quoad *texturam,* idem ordo est titulorum ac in Decretalibus Gregorii IX, non ita tamen, ut singulis Decretalium titulis tot in Clementinis respondeant.

3) *De authentia legali* idem dicendum quod de quinque libris Decretalium Gregorii IX; cum illarum nobis Pontifex Summus Ioan. XXII. *Constit. Quoniam nulla, 25 Octob. 1317* Collectionem exhibuerit. Relate vero ad authentiam historico-scientificam, auctoritas haec perfecta in Clementinis reperiri nequit. Nam praeter quam quod Clemens V in ea Collectione conficienda et Ioannes XXII in ea promulganda exemplum

Bonifacii VIII sibi proposuerint; Ioannes Andreae historicus illius aetatis, monumenta in Clementinis sub nomine Concilii Viennensi recensita, talia proprie et vere non fuisse refert, qualia in illo Concilio statuta fuerunt, sed in pluribus Clementis V prudentia modificata esse.

Extravagantes.

61. 1) *Origo historica.* Ioannes XXII plures et ipse Constitutiones edidit; gessit enim Pontificatum ab anno 1316-1334. Unde auctor quidam ignotus an. 1325 novam edidit Collectionem Ioannis XXII, constitutiones ab initio eius Pontificatus usque ad an. 1325 continentem. Dicuntur autem *Extravagantes Ioannis XXII,* tum ut distinguantur ab aliis, quae *Communes* appellantur, tum ab ipsis Decretalium quinque libris, quae relate ad Decretum Gratiani dicuntur omnes extravagantes, et penes veteres notari solebant littera X.

Altera vero est collectio extravagantium, quae plurium Romanorum Pontificum Decretales comprehendit usque ad Xystum IV, qui anno 1471 in Romana Cathedra sedere coepit.

2) Quoad *texturam* Extravagantium Ioannis XXII collectio longe brevior est, et constat tantum 14 titulis, Ioannis eiusdem Decretales solummodo continens. *Extravagantes communes* ideo tales nominantur, quia non unius Pontificis Summi propriae sunt, sed a pluribus praescriptae fuerunt.

3) *Quoad earum Extravagantium auctoritatem,*

a) perfecta quidem est *authentia historica,* quia genuinas omnino illorum Pontificum Decretales continent, quibus attribuuntur.

b) *Iuridica* vero per se non haberetur, cum eiusmodi collectio privato studio confecta sit, atque evulgata; neque habita fuit approbatio et confirmatio eiusdem Collectionis legum, qua talis, sicut in antecedentibus Collectionibus, a Romanis Pontificibus. Sed etsi non fuerint editae omnes in unam collectionem confluentes, tamen singulae Decretales, cum opus genuinum sint Romanorum Pontificum, et satis promulgatae, eo quod corpori Iuris Can. insertae sunt, et tamquam au-

thenticae adhibitae in foro, Romanis Pontificibus scientibus et non contradicentibus, aequivalentem auctoritatem iuridicam acceperunt.

c) Unde minus exacte loqui videtur modernus scriptor, qui ad quaestionem, *an Extravagantes vim legis obtineant,* respondet *inter eruditos controverti,* et quamdam auctoritatem eis accessisse ex eo quod a Gregorio XIII Corpori Iuris Canonici inseri iussae fuerint.

Extravagantes igitur sive Ioannis XXII, sive communes, quae privatorum hominum studio collectae fuisse videntur, vetustissima saltem consuetudine a Romanis Pontificibus approbatae pari habentur auctoritate. Ita communiter loquuntur recentiores e. g. *Iosephus Ferrari Instit. can. v. 1. n. 14.* « Duae « huiusmodi Collectiones non reperiuntur expresse approba- « tae: at nihilominus vi et auctoritate legis universalis pol- « lent, quia Bullae sunt Pontificum omnes obligantes, quae « ideo Extravagantes dicuntur, quia primum extra Corpus « Iuris, in quo nunc sunt comprehensae, vagabantur ».

Hinc sit huius partis secundae *generalis asserti* conclusio. Haec igitur unica est canonum Collectio, quae authentica sit: si quidem Decretales Gregorii IX, Sextus Decretalium et Clementinae ab ipsis Romanis Pontificibus editae sunt. Unde fit ut etiam verba, quibus tituli efferuntur (nam ea, quibus canones seu capita summantur, addita sunt a privatis DD. adeoque vim legis non habent), instar legis citari solent. Nihilominus cum Bonifacius VIII tantum canones a se omissos antiquarit, qui editi essent inter suam et Gregorii IX collectionem i. e. inter annos 1230 et 1297, iis exceptis, qui scripti fuerant contra haereticos: ceteri autem Pontifices, quos ipsi canones in suis collectionibus omisissent, minime irritos esse voluerint, cumque in ipsis Decretalibus nonnulla reperiantur, quae sequentibus aetatibus variari necesse fuerit; hinc 1. praeter Decretales, alii etiam antiqui canones, nisi sint ex iis, quos Bonifacius VIII abrogavit, citari possunt et solent; 2. ubi ius Decretalium mutatum aut ampliatum est; recentiores Constitutiones, quae illis aut derogarunt, aut aliquid addiderunt, sunt omnino adeundae.

62. In mentem venit *Matthaeo Lugdunensi I. C. 1599* novam

edere Decretalium Collectionem, quam *librum septimum* Decretalium appellare maluit, cum suam ipse Collectionem immediate adnectens libro Sexto Decretalium Bonifacii VIII, nullam videtur habuisse rationem neque Clementinarum, neque Extravagantium, ac si inter VI et hunc VII nulla intercesserit collectio. Insuper Matthaeus in sua Collectione multa peccavit, cum plus 30 titulos novos ipse commentus sit; in describendis Decretalibus temporum ordinem perturbaverit, utilia pleraque praetermiserit, et quae minus necessaria sunt, inseruerit. Hinc nihil mirum videri debet, si Collectionem hanc privato hominis arbitrio conscriptam, Canonistae flocci fecerint, et S. Congregatio Indicis proscripserit *Dec. 3. Iul. 1623.* A Petri Matthaei septimo Decretalium distinguas alium VII Decretalium, quem efformandum curarunt Gregorius XIII, Sixtus V et Clemens VIII, quique tamen editus non est, ne ob glossas, quae fieri solebant, derogaretur Concilio Tridentino.

De Decreto Gratiani.

63. *Decl. et prob. 3^i. pars generalis asserti* **" ad decretum vero quod spectat, illud non simpliciter sed quadantenus authenticum esse dicimus „.** Porro de hac Collectione innuenda historia, ordo seu textura, materia, et tandem exponenda, quae indicata est authentia.

α) *Historia.* Sancto Ivoni canonum Collectori Gratianus successit, qui, ut superius dictum est, natione Tuscus, S. Benedicti Regulam professus in Bononiensi coenobio S. Felicis, colligendis per 24 annos canonibus operatus, tandem canonum collectionem an. 1151 absolvit atque edidit. *Concordiam discordantium canonum illam inscripsisse* videtur, prout 1) referunt antiquissimi Codices, 2) Innocentius III in *cap. 5 de Electione* significasse videtur dicens: « *Quidam vero ad Concordiam discordantia revocantes, repugnantiam canonum praedictorum quodammodo sopire videbantur, dicentes quod* » etc. Et 3) merito hoc nomen fecit; nam uti ex ipsa collectione apparet, Gratiano non colligere solum canones, sed eos etiam, qui discordes inter se quodammodo esse viderentur, in concordiam reducere

propositum fuit. Pluribus deinde scriptoribus Gratiani opus *Decretorum Collectionem* nominare placuit, quidam autem *Decretorum Codicem*, alii *Decretorum corpus*, vel *Decretum*, Gratiani nomine suppresso, illud nuncuparunt, uti nunc communiter fit.

β) *Ordo* autem eiusmodi est, ut tres in partes totum Decretum distribuatur: quarum prima constat distinctionibus 101; altera continet 36 causas; tertia quinque distinctiones.

a) Insuper prima agit de Iuris Canonici generalibus principiis, ex quibus et de Personis ecclesiasticis earumque officiis: dividitur autem in *Distinctiones*, quarum singulae certos *canones* numero distinctos habent.

b) Secunda agit de iudiciis ecclesiasticis sive criminalibus, sive civilibus, sive matrimonialibus negotiis ad eadem iudicia pertinentibus, inserto etiam tractatu de iudicio interioris fori, i. e. Poenitentia. Dividitur autem in causas, quae subdividuntur in *quaestiones*, quibus certi *Canones* numero distincti continentur. *Quaestio* vero *III Causae XXXIII* tractatum continet de Poenitentia, adeoque dividitur in *Distinctiones*, quarum singulae canones certo numero distinctos habent.

c) Tertia inscribitur *de Consecratione*, atque agit de rebus ad divinum cultum spectantibus, ac praecipue de Sacramentis, excepta Poenitentia ac Matrimonio, de quibus actum est in II parte: dividitur autem in *Distinctiones*, eaeque in *certum canonum numerum* (1).

(1) Divisio operis Gratiani enuntiari posset:

I. pars – Minister canonum seu de Episcopo et Clero;

II. pars – Negotia iudicialia seu de causis dioecesanis et matrimonialibus;

III. pars – Negotia extraiudicialia seu de spirituali Ecclesiae ordinatione, quae supersunt.

Prima in quatuor sectiones recte dispescitur: 1. sectio est de SS. canonum auctoritate dist. 1–20 inclus.; 2. sect. de Regula ordinandorum seu de officio Episcopi et Cleri dist. 21–59; 3. sect. de ipsis ordinationibus seu de potestate Episcopi et Cleri dist. 60–80; 4. sect. anacephalaeosis quaedam est, singulorum officiorum et potestatum ordinem exhibens distin. 81–101.

Secunda pars duas causarum classes exhibet, quarum altera continet causas dioecesanas 1–26: altera matrimoniales 27–36, illae titulum clericorum

γ) *Materia* generatim patet ex dictis. Animadvertendum vero est, quod, cum Gratiani mens fuerit non meram canonum collectionem facere, sed in eos, ad tollendas *antinomias*, scientificam inquisitionem instituere; veluti duplex disserendi pars in Gratiani opere distinguatur oportet, scilicet Doctrina ipsa a Gratiano proposita (dicta Gratiani), et canones ex multiplici fonte ad suae doctrinae confirmationem adducti. Patet legenti unde conflata sit haec Collectio: scilicet ex locis Ss. Scripturarum, ex Conciliis Oecumenicis atque particularibus, ex Patribus atque ecclesiasticis scriptoribus, ex libris iuris civilis romani, ex Capitularibus Regum Francorum, ex Rescriptis aliquot Imperatorum, ex historia ecclesiastica, gestisque Romanorum Pontificum plerumque desumptis ex libro diurno, atque ex ordine romano.

δ) *Ad auctoritatem* quod attinet resp. I. Prius *generatim* in memoriam revocandum est, vix edita hac collectione, visum esse

respiciunt, hae vinculum laicorum. Illa distingui potest quatuor sectionibus: sectio 1. habet de legitima Ecclesiae consecutione, possessione, dimissione Cap. I-X, 2. de propria Ecclesiae ordinatione in temporalibus Cap. XI-XV, 3. de statu Monachorum Cap. XVI-XX; 4. de propria Ecclesiae ordinatione in spiritualibus Cap. XXI–XXVI; Classis autem matrimonial. causarum dividi in tres sectiones potest: 1. est de coniugio ineundo Cap. XXVII-XXIX; 2. de prole suscipienda Cap. XXX-XXXII; 3. de separatione et redintegratione coniugii Cap. XXXIII-XXXVI.

Tertia pars tractat negotia extraiudicialia seu de spirituali Ecclesiae ordinatione, quae supersunt; et tres in articulos dividi potest, in quorum 1. de convenienti Ecclesiae praeparatione, dist. 1, ubi exhibetur quo pacto minister Ecclesiam sibi creditam benedictione, consecratione omnique apparatu ac supellectili necessaria idoneam reddere valeat dispensationi mysteriorum Dei, praesertim celebrationi missarum; distinc. 2. in 2. de Missarum solemniis praeter missae sacrif., nominatim traditur offerendum esse panem et vinum aqua permixtum; nunquam vero omittendam promulgationem festorum, quibus fideles rei sacrae adesse teneantur; dist. 3. in 3. de ceteris mysteriis dist. 4–5. c. 38. ubi sermo est de baptismo, et de confirmatione dist. 4, quae olim baptismum consequi solebat quasi illius complementum: – plura adiiciuntur de ieiuniorum observatione, quae scil. nedum eucharistiae sed et baptismo et confirmationi suscipiendae, ex veteri disciplina, debitam dispositionem constituit dist. 5. Tandem dist. 5. c. 39 seqq. epilogus Decreti totum opus absolvit praedicatione SSmae Trinitatis. Cf. *Baldi Pet. e S. I. Commentar. in Corpus Iuris Quaest. II.*

Gratianum priorum Collectorum lumina obscurasse: nam aliis collectionibus prorsus neglectis, Gratiani Decreto ita omnes uti coeperunt, ut non aliunde Romanorum Pontificum decreta, Sacrorum Conciliorum canones, Sanctorum Patrum sententias, quam ex Gratiani Decreto quisque peteret: uti videre licet penes veteres Theologos et Canonistas, praesertim in Hugucione Ferrariensi Episcopo commentariis suis Decretum illustrante, atque in Glossistis. Eo res itaque venit, ut Gratiani Decretum tamquam canonum Codicem suspexerint omnes: ita ut etiam Romani Pontifices, cum ex Gratiani Decreto aliquid sumerent, *in sacris Canonibus,* sive *in Decretis* illud contineri dicere consueverint: e. g. Alex. III *c. 6. de despons. impub.* et Clem. III *in c. 25. De iure patron.* Innoc. III *epist. ad Petrum Compostellanum archiepiscopum.* Causa huius universalis plausus illa fuisse videtur, quod Decretum et Collectiones ceteras monumentorum copia longe superaret, et quamdam ad scholasticorum, atque forensium usum maxime accommodatam methodum exhiberet.

In specie, quae nunc ei *auctoritas?* Resp. II. Distinguendum prorsus est, ut supra indicavi, in Decreto opus scientificum ipsius Gratiani circa ius elaboratum, sive eius conclusiones; et doctrina ac monumenta auctoritatis seu canones ad suam probandam doctrinam allati. Quaestio de eius decreti auctoritate spectat collectionem canonum et monumentorum, quatenus ab ipso confecta est. Nam quoad doctrinam eius habetur utique *ceu Magister,* a quo primitus discedere nefas erat, sed postea in pluribus ab ipso discessum est. Iamvero *Collectio monumentorum,* quae in Decreto continentur, non pro singulis Decreti partibus authentiam scientifico-historicam habet: opus namque Gratiani utut eximium, pro ea maxime temporum conditione, mendis pluribus scatebat, tum ex apocryphis, tum ex corruptis sive Gratiani sive multo magis librariorum errore monumentis. Vir enim quamvis ingenii sedulitate atque subtilitate clarissimus; tamen cum ea viveret aetate, quae arte critica, quae modo obtinet, carebat ad distinguenda certa ab incertis, genuina ab apochryphis, integra ab interpolatis monumentis, factum est, ut in opus suum plura ex mendosis Burchardi, Ivonis, caeterorumque derivans, saepe falsa pro

veris usurpet, fidem adiungat Decretalibus Pontificum antiquiorum Siricio; confundat canones quinisextae seu Trullanae Synodi cum canonibus Sextae Synodi oecumenicae; sententias Patrum cum decretis Pontificum Romanorum aut Conciliorum, et Patrem unum, aut Pontificem unum cum alio Patre, Pontifice, Concilio; corrumpat auctorum nomina et loca, atque iis sententiam adscribat, quam numquam animo conceperunt.

Ita sensit iuxta Devoti *Antonius Augustinus in Dialog. 1. lib. 1,* qui etiam heic « saepe erratum esse, ait, video (a Gra- « tiano) in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Con- « ciliorum: saepe falsae sunt inscriptiones, et quae Concilio- « rum sunt, Pontificum maximorum esse dicuntur, et quae « sunt unius Episcopi inferioris, Romano Pontifici aut Con- « cilio generali vel provinciali tribuuntur. Multa Gregorii, « Ambrosii, Augustini vel Hieronymi verba esse dicuntur, « quae aut nusquam existant, aut aliena sunt. Illa quoque, « quae inscriptiones habent veras, non recte referuntur. Saepe « enim contrarias sententias referri scimus, saepe valde prae- « cisas. Iamvero, quae ex graecis fontibus manant, ex variis « interpretationibus afferuntur quasi sint aliorum scriptorum « ac saepe aliud graece quam latine significant ».

Hinc est *Correctum Decretum.* Nam hisce animadversis, Antonius Contius et Antonius Democharcs emendationem tanti operis iniverunt, distinguentes 1. omnes canones numero, quo facilius inveniri atque citari possent: 2. plures notas addentes atque correctiones. Sed cum multa adhuc emendanda superessent, Pius IV et Pius V, selectis quibusdam viris, quos *Romanos Correctores* vocamus, Decreti emendationem commiserunt, absolutam sub Gregorio XIII, qui cum in minoribus esset, horum correctorum numero censebatur, quique *Constitutione: Cum pro munere pastoralis sollicitudinis, die 1 Iun. 1582* emissa, Gratiani opus sic emendatum promulgavit, atque confirmavit, simul indicens, ne haec ipsa Decreti emendatio privatorum arbitrio fieret, neve sic feliciter peracta annotationibus vel aliis huiusmodi additionibus vel detractionibus inutilis redderetur. *Nihil addatur, mutetur, aut minuatur.*

Porro eruditissimi Correctores Pontificis Romani consilium

in admonitione ad lectorem aperuerunt his verbis: « Ne huiusce « utilissimi et gravissimi Codicis vacillaret auctoritas placuit « primo Pio IV ac subinde Pio V et Gregorio XIII (apud « quem etiam huius perfecti operis, quemadmodum et aliarum « maximarum rerum laus fuit) ut illi corrigendo summa opera « daretur, menda librariorum tollerentur, si qua etiam in re « Gratianus ut homo minus vidisset, modeste notaretur, ipsa- « que omnino capita suis auctoribus, quam diligentissime re- « stituerentur ». Sed cum, prout illius aetatis studia ferebant non hominum sed temporum vitio contigisse fatendum sit, ut quaedam leviter attigerint, integra nonnulla reliquerint, et non pauca denique eorum animadversionem effugerint; Gratiani opus adhuc correctione indigum visum est. Ex his patet deesse authentiam historicam quoad plurima.

Quoad legalem auctoritatem triplex sententia est. *Prima* tribuit tantam auctoritatem, ut Decretum authenticum simpliciter esse dicant; tum quia supponunt approbatum ab Eugenio III et Gregorio XIII; tum quia universaliter ita receptum fuerit, ut publice in scholis legeretur et haberetur in foro tamquam pars iuris communis: unde a Doctoribus adhibetur et allegatur in iudiciis velut ius constitutum; et concludunt hoc Decretum, quod originem ab homine privato ducit, ex usu et consuetudine per plura saecula non interrupta, vim obtinuisse Codicis legum publica auctoritate muniti.

Altera sententia est omnino primae contraria. *a*) Porro, qui hanc tuentur, auctoritatem afferunt *Benedict. XIV,* qui *de Synod. Dioec. l. VII. c. 15,* sic communem exhibens opinionem dicit: « Gratiani Decretum quantumvis pluries Romanorum « Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac « pondus legis non habet, quin imo inter omnes receptum est « quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, « quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani Colle- « ctione insertum foret, ut videre est in nostro opere de Ca- « nonizatione SS. (l. 4, p. 2, c. 27, n. 10)». Respondent *b*) autem adversariorum suorum rationibus sic: 1°. non constat de approbatione Eugenii III, quae si vera fuisset, certo certius, eius decreto fuisset inserta, cum in nulla editione apparuerit: 2°. Gregorius XIII in cit. Bulla decretum exhibet correctum

et vetat « *ne cuiquam liceat eidem operi quidquam addere vel immutare, aut intervertere, nullave interpretamenta adiungere* »; sed expresse ipsum opus non adprobat, nec authenticum declarat: 3°. usus scholarum et fori praestantiam commendat propter summam verorum documentorum, quae continet, et propter utilitatem, quae ex documentis etiam falsis, pro talibus tamen non agnitis, oriri potest: 4°. usu et consuetudine fieri quidem potest, ut aliquod caput Decreti etiam mendosum firmitatem legis acquirat, sed haec inductio ad alia capita extendi nequit; quia consuetudo cadit in facta legitimis conditionibus vallata, non vero in errores in locum veritatis sufficiendos. Unde iuridice, aiunt, tantum valent singula monumenta, quae habentur in Decreto, quantum recepta vel approbata fuisse perhibentur.

At reponunt primi, videntur approbata etiam omnia, quatenus sunt in hac collectione Gratiani contenta: 1) quia tota Collectio fuit in usu, Romanis Pontificibus videntibus et non contradicentibus, cum potuissent et debuissent contradicere: nam obstare videbatur Bulla Gregorii IX « *Rex Pacificus ut hac tantum compilatione* (sc. Decretalium) *universi utantur in iudiciis et scholis* »: atqui Decretum Gratiani adhuc in scholis et iudiciis adhibebatur, ut Digesta seu Responsa Prudentum in Pandectis usui erant authentice in iure civili: hinc si usus historia inspiciatur, tota favet pro iuridica authentia Decreti: 2) haberi debet tamquam quid officiosum, sicut Decretales tamquam officiale: 3) ratio, quia sunt quaedam spuria, non suffragatur: 4) Benedictus XIV non uti Pontifex, sed uti doctor privatus sic locutus est, cui opponitur usus posterior ipse: 5) Romani Pontifices inter alia gravissima christianae Reipublicae negotia viderentur frustra manum apposuisse pro emendatione tam accurata Decreti, nisi hoc pro authentico habuissent. Numquam tanta cura adhibita est in perficiendis operibus alicuius Doctoris S. R. E. Cum iussu Gregorii XIII a variis erroribus purgatum et vulgatum sit Decretum, praefixa est epistola nobis favens; quia ibi simul cum reliquis libris **Decretum** appellatur **ius canonicum** « *Nos opportune providere volentes ut hoc* **ius canonicum** *sic expurgatum ad omnes Christi fideles sartum tectum perveniat.....* »

Ast *tertia sententia* est, « practice dicendum esse quadantenus authenticum, iuxta plures Doctores, (quos inter Cardinalis Tarquini) asserentes auctoritatem quidem Decreti authenticae collectionis vim non attingere, quae communis sententia est; nihilominus eidem proxime accedere, quod duo maxime persuadent: idest *a*) *auctoritas Gregorii XIII,* qui licet expresse non decreverit, vim legis Gratiani Decreto in foro dandam esse; tamen 1°. declaravit sua auctoritate fuisse recognitum; 2°. vetuit ne eidem operi quidquam *adderetur* vel *immutaretur,* vel *inverteretur*, quae solent de authenticis scripturis edici. Cf. *Constitut. Cum pro munere,* quae Decreto ipsi Gratiani praefixa est; *b*) *usus fori,* quo huius collectionis canones ita citari solent, ac si collectio ipsa esset authentica ».

Ceterum, si quis in eiusmodi canonem ibidem scriptum incidat, qui ita sit spurius ut non modo ad eum non pertineat, cuius nomini inscribitur; sed ne ad alium quidem, cui legitima auctoritas esse possit, abstinere eodem praestabit, nisi forte consuetudine, atque usu fori vim legis obtinuerit. Ut autem genuini canones a spuriis secernantur, consulendae sunt notae Correctorum Romanorum singulis canonibus adscriptae, ex quibus maxime conflatum est opus Berardi de *Gratiani canonibus*, qui alias etiam animadversiones adiecit, quas ibidem videre praestat, sed non sine cautela.

Si independenter ab auctoritate Pontificis, qua edita est, et ab usu Decreti in scholis, Collectionis monumenta in collectione spectentur, haec sunt animadvertenda.

I. Cum fontes unde Gratiani canones dimanant, sint 1°. Constitutiones Romanorum Pontificum, 2°. Canones Conciliorum Generalium, 3°. Canones Conciliorum Provincialium, 4°. Sententia Sanctorum Patrum, 5°. Leges imperiales seu civiles, 6°. Responsa et resolutiones ipsius Gratiani; hinc iuxta doctrinam in iure publico ecclesiastico traditam, ita de singulis est iudicandum.

a) Qui canones dimanant a Constitutionibus Romanorum Pontificum aut Conciliorum generalium, communis et universalis legis auctoritatem iure habent.

b) Qui excerpti sunt a Conciliorum Provincialium decretis, nonnisi in provincia, in qua illa habita sunt, (dummodo

et eadem provincia extet et ius mutatum in ea non fuerit) ius facere possunt, iis tamen exceptis, qui editi sunt in sequentibus utut provincialibus Conciliis i. e. in Ancyrano, in Neocaesariensi, in Gangrensi, in Antiocheno, in Laodiceno, in Africanis, in Carthaginiensibus; quos in universam Ecclesiam auctoritatem habere voluit Leo IV in epist. ad Episcopos Britanniae *c. 6.* cuius verba relata sunt etiam in *canone 1. D. 20.*

c) Qui ex dictis Sanctorum Patrum delecti sunt, vel responsa sunt ac resolutiones ipsius Gratiani, ii quidem pro auctoritate proferentis aliquam auctoritatem habent, legis tamen vim habere nullatenus possunt.

d) Qui ex imperialibus seu civilibus legibus sunt relati per se nullum ius faciunt: eatenus autem vim legis obtinere possunt, quatenus possit demonstrari, eos a Romanis Pontificibus fuisse approbatos.

II. Cum inscriptiones canonum, quae indicant fontes, unde ii derivati sunt, etiam post emendationem Romanorum Correctorum, quae iubente Gregorio XIII facta est, non raro vitiatae sint, cuiusmodi sane habentur quaecumque Romanis Pontificibus tribuuntur Siricio antiquioribus; hinc si controversia aliqua ea de re excitetur, aut inscriptionis veritas est probanda, aut saltem demonstrandum est, errores non esse eiusmodi, qui suam canoni auctoritatem detrahant: si nempe demonstres cum licet e diverso, ex tali tamen fonte derivatum esse, unde iusta auctoritas in Ecclesia dimanat, e. g. ex decreto alio licet posterioris Romani Pontificis. Haec autem ut facile dignoscas praesto est opus Caroli Berardi inscriptum *Gratiani canones,* in quo singuli diligenter ut plurimum expenduntur. Aliquando tamen Berardius hic aut intemperantior, aut negligentior est, si scilicet id conferat ad aliquid detrahendum Apostolicae Sedi, cui sane non est amicissimus.

Quoad Decretum, superest tandem animadvertendum, in eo quosdam reperiri canones, qui inscribuntur *Palea.* Omissis veterum interpretationibus (nam veteres alii a μαλιν, depravate pro παλιν *rursus,* seu additiones: alii ex eo, quod in his levia ac nullius momenti, ut Paleae contineantur: sicut fertur ipsum Gratianum respondisse Pontifici interroganti quid de interiectis illis particulis? « Palea est, nec de grano meo » inquit,

ideoque alii putant *paleas* additiones esse factas ab alio cum inscriptione *post alia,* vel *P. alia,* ex quo librariorum oscitantia exortum sit vocabulum Palea); melius iuxta recentiores censemus hoc nomen esse Gratiani discipuli cui nomen *Paucapalea.* Huiusmodi Paleae sunt 116: nempe 52 in distinctionibus, et 64 in causis (1).

64. *Decl. 4ª pars.* **Ratio allegandi partes Decretalium et Decreti.** Cum Decretales constent quinque libris, libri titulis, tituli capitulis, capitula paragraphis, quaeritur quid exprimatur in citationibus: agitur enim de instrumentis authenticis, et sufficit ut eorum singula in Codice reperiantur ad vim probandi, nisi quid aliud posterius fuerit dispositum.

In primis numquam libri notantur, utpote qui intelligi debeant ex citato titulo et capitibus. Citatur semper titulus sine numero plerumque post capitulum: capitulum seu caput citatur vel indicando numero e. g. *Cap. 1. de Electione;* Capit. 1. de Electione; aut sine numero initialem tantum vocem capitis cum titulo e. g. *Cap. Odoardus de Solutionibus,* vel indicando utramque notam e. g. *Cap. Odoardus 3. de Solutionibus;* et est titulus 23 libri III; *Sicut Romana 1. de Rescriptis;* et est tit. III libri 1. Decretalium; *cap. Nullus 1. De Elect. et Elect. potestate;* et est caput 1^m. quod incipit *Nullus* tituli sexti, libri primi.

Penes antiquiores Canonistas signum characteristicum X, aut vocabulum *extra,* significans textum extra Decretum esse adhibendum, etiam nunc quandoque usurpatur e. g. *C. 1, X,*

(1) Cf. Bouix Princip. Iur. can. p. 3. c. 13.

Cum totum ius can. partesque eius ad ius civile partiumque eius imitationem fere sit digestum; ad illud plenius cognoscendum iuvat ipsum conferre cum corpore iuris civilis: qua in re perutile erit legere Baldi Petri S. I. in *Corpus Iur. can. Commentarium,* opus plane egregium, lithographice impressum.

Interea haec consonantia advertatur. Decretum Gratiani respondet Digestis, quibus ut continentur Responsa prudentum et Senatus consulta; ita illo Apostolorum canones, et Conciliorum Statuta, quae Senatus consultorum loco esse possunt: Sententiae Sanctorum Patrum quasi Prudentum Responsa sunt. Codici vero Pontificum quorumdam Constitutiones respondent, et epistolae Decretales usque ad sextum. Sextus usque ad Clementinas et Extravagantes inclusive, uti novellae ad Codicem se habent.

De Cler. coniug. et est tit. 3. libri 3 Decretalium: scil. antiquiores spectabant Decretales veluti extra Decretum Gratiani. Aliae sunt compendiariae allegationes praesertim in veteribus editionibus, quae usu ipso addiscuntur e. g. *De Sponsal. Ex parte h. e.* Capite *Ex parte* de sponsalibus: si caput est unicum, tunc additur *Cap. unic.;* si ultimum tunc exprimitur *Cap. ult. vel fin.* i. e. ultimum vel finale.

Quoniam *Sextus* Decretalium dividitur eodem modo ac Decretales Gregorii IX, pariter eodem modo citatur addendo *in 6°.* E. g. *c. 23 De Elect. in 6°,* capite 23 de Electione in 6°.; *cap. Licet de Constit. in 6°.;* vel *cap. 1. de Constit. in 6°.* vel *c. Licet 1. Constit. in 6°:* Capite 1°. de Constitutionibus in Sexto.

Textus *ex Clementinis* possent allegari eodem modo ac supradictae Decretales, addito solum in Clementinis e. g. *Cap. Eos qui de Consang. et affin. in Clem.* Sed communiter allegatur *Clem. Eos qui de Consang. et aff.*

Extravagantium autem textus compendii gratia allegantur ita *Extravag. Ioan. XXII de Praeb.* Quandoque etiam sine *addito Ioan. XXII:* nam communes Extravag. citantur semper adponendo *comm. Extrav. Unam Sanctam de Maiorit. et Obed. inter Comm.*

Tandem Gratiani Decretum cum tribus constet partibus, hae sic allegantur.

In I p. c. 3. d. 23. et..... valet canone tertio, distinctione vigesima tertia; *Can. Miramur dist. 61;* vel *can. 5 dist. 61* vel *can. Miramur 5. dist 61.*

In II p. c. 9. c. 8. q. 1. canone nono, causa octava, quaestione 1ª. *Can. quia iuxta 61. can. 16, q. 1.*

In III p. c. 1. d. 4. de Consecr. Canone 1°. distinctione 4. de Consecratione, *Can. 11. Missarum dist. 1. de Consecr.* et brevius *dist. 1. Missarum de Consecr.....* (1)

Ad partem secundam Decreti indicandam, si occurrat causa 33 in qua tractatus habetur de Poenitentia, haec tunc ita allegatur *Can. Lacrymae 2. de Poenit.*

(1) Ab initio editionum *Corporis Iuris Can.* solent apponi indices apti non modo titulorum sed et canonum omnium per initialia verba. Editio, quae melior existimari solet, ea est, quam curarunt Fratres Pithou a. 1687. Optima censetur ab aliquibus editio Boehmez.

Unde patet signum characteristicum, indicans quomodo pars 1ª citari debeat, esse quod duo tantum numeri occurrunt C. D.; in citatione vero secundae partis tres c. C. q.: tertiam partem indicat appositio *de Consecrat.*

Etsi omnia, quae hisce Collectionibus praesertim extra controversiam authenticis, vim legis communis habeant; quamvis ex spuriis fontibus hausta, vel pro particulari Ecclesia sancita sint, ab origine; tamen non omnia omnino, quae Decretalibus continentur, hodiedum adhuc obtinent et vigent: quoad enim plura disciplinae capita deinceps mutatio, puta per Concilium Tridentinum, facta est; atque Decretalibus quibusdam per leges recentiores, per consuetudines contrarias, per ius particulare, vi e. g. Concordatorum respectu quarumdam Provinciarum, derogatum est. Hinc

Iurisperito prae oculis esse debent variationes, quae pedetentim factae sunt per Romanos Pontifices et oecumenica Concilia. Hinc aliae Collectiones investigandae sunt ubi talia contineantur. Ad has inquirendas variationes, mutationes, legesque ex integro novas, si forte excipiatur *Bullarium tom. 1. Benedict. XIV;* quamvis authenticae, vel quasi authenticae, quales supra enumeravi, partes Corporis Iuris non adsint; tamen sunt in quibus talia reperiuntur collectiones, quae absque ulla formidine citari aut admitti solent: de quibus in seqq.

De aliis Collectionibus post Corpus iuris canonici.

Summarium. — Post authenticas, vel quasi authenticas collectiones, aliae sunt non authenticae: quae tamen absque ulla formidine citari aut admitti solent. Sunt autem 1. Regulae Cancellariae Apostolicae: 2. Bullarium Romanum: 3. Collectio Conciliorum, ex quibus peculiari mentione dignum est Concilium Tridentinum.

1. De Regulis Cancellariae.

65. *Cancellaria Romana* α) erat, ut de *historia eius* aliquid dicamus, officium quoddam quo expediri solebant omnia pontificia rescripta tum gratiae, tum iustitiae; antiquissimam institutionem habet et quibusdam regulis traditionalibus, in ex-

pediendis negotiis usa est: sed harum regularum nulla extitit ab antiquitate scripta collectio, et multo minus legali auctoritate firmata. Primus fuit Ioannes XXII, qui has regulas scripto digessit et pontificia auctoritate firmavit. Sequentes Pontifices varie illas modificarunt, praesertim saec. XV sub Nicolao V, donec hodie earum collectio ad LXXII regulas pervenit.

β) Si harum *ordo* et *materia* spectetur, triplex classis distinguitur Regularum: ad primam pertinent, quae Directivae, ad secundam quae Reservatoriae, ad tertiam quae Iudiciales audiunt. Dicuntur autem *Directivae, Reservatoriae* aut *Iudiciales* prout normas continent ad dirigendos Officiales Cancellariae de litteris expediendis, vel pro beneficiis, vel pro faciendis appellationibus, in processu ecclesiastico. Materia igitur huius collectionis respicit officia eorum qui in Curia addicti sunt in ordine Iudiciorum, quae in Cancellaria absolvuntur, nec non innuunt Reservationes pontificias in causa beneficiorum.

γ) *Ad valorem* quod attinet, cum haec materia scil. beneficialis afficiat universam disciplinam ecclesiasticam in conferendis beneficiis, ideo publicatae fuerunt tales Reservationes ut apud omnes innotescant, et vim iuris communis faciant. Et re quidem vera Constitutiones Romanorum Pontificum etiam Romae dumtaxat promulgatae vim legis habent: atqui Regulae Cancellariae nihil aliud sunt, quam quaedam decreta Romani Pontificis Romae promulgata et circa universalem disciplinam disponentia. Ergo.

Huius tandem Collectionis ea singularis est natura, quod scil. non faciat ius omnino perpetuum, sed tantum duraturum quousque vivit Pontifex Maximus; Sede autem vacante expirat Regularum vis et auctoritas. Ast novus Pontifex ipso assumptionis die eas solet innovare et confirmare. Hinc aequiparatur edicto Praetoris in Iure Romano, cuius vis ultra annum non perdurabat: sed unusquisque Praetor a die suae praeturae innovare solebat edictum. Unde ait Riganti (qui plura volumina ad explicandas has Regulas impendit): « Huiusmodi con-« stitutiones et Regulas, vim legis habere, esse ad instar Con-« stitutionum, atque hodie ad stabilem legem edictumque « perpetuum pervenisse ».

2. De Bullariis.

66. De *Bullario* animadvertenda haec sunt: 1°. materia, 2°. ordo, 3°. editiones, 4°. ratio allegandi Constitutiones, quae ibidem continentur.

a) *Materia* sunt constitutiones Romanorum Pontificum sive Bullae dici debeant sive Brevia, quae distinctio exteriorem magis formam afficit, quam intrinsecam *(Cf. Greg. XIII. Constit. ad Romani Pontificis 10 Iul. 1574).*

b) *Ordo* quo eiusmodi Constitutiones dispositae sunt est chronologicus.

c) *Editio* duplex est distinguenda, *Laertii Cherubini*, quae citari solet a scriptoribus, qui usque ad dimidium saec. XVIII scripserunt, et *Hieronymi Mainardi*, quae deinceps ab aliis continuata est, atque adhuc continuatur, eaque modo utimur

Notanda heic est Bullarii continuatio D. Barberi a Clemen. XIII ad Gregor. XVI, Romae 1835–1857. Item Bullarium per D. Tomasetti a Leone M. ad an. 1840, Augustae Taurinorum 1857.

d) *Ratio allegandi* Constitutiones, quae in Bullario continentur, diversa esse solet pro diversa eiusdem editione. Nam Constitutiones *Cherubinianae editionis* citari, ut plurimum, solent per numerum, quem ibidem obtinent, praemisso nomine Summi Pontificis, ad quem pertinent. E. g. *Pius V Constitutione 15.*

Recentioris autem editionis Constitutiones citantur per initialia verba, praemisso nomine Pontificis ad quem pertinent, atque in fine chronologicis notis adiectis. E. g. *Greg. XI Constit. Salvator humani 8 Apr. 1374.* Scilicet 1°. ponitur nomen Romani Pontificis, qui eiusdem est auctor, 2°. appellativum Constitutio, 3°. verba eiusdem initialia, 4°. dies, mensis et annus, quo edita e. g. *Benedict. XIV Constit. Dei miseratione 3 Novembris 1744.*

Denique notandum est: Quamplurium legum universalium et particularium a posterioribus Pontificibus latarum, nominatim a Pio IX et Leone XIII latarum, neque in dictis Bullariis adhuc recensio facta est neque authentica collectio. At-

tamen a Pio IX publicatae sunt quaedam collectiones, e. g. Encyclica *Quanta cura* una cum *Syllabo 8 Dec. 1864* — magnus quidam numerus conventionum cum guberniis initarum apud *Nussi, Conventiones* — limitatio et collectio censurarum latae sententiae in const. *Apostolicae Sedis* — leges quoque ab ipso latae de Regularibus *Cf. Sentis Decretal. Clemen. P. VIII p. 82.* seqq. Haec et alia a Pio IX condita inveniuntur in Collectione *Acta Pii IX, Romae typis Bonarum Artium.*

Item typis vaticanis acta Leonis XIII eduntur ab an. 1881 ad nos usque: suo volumine quemlibet in annum edito, et deinceps edendo.

3. De Conciliorum collectionibus.

67. *Conciliorum Collectiones* plures sunt: tres tamen praecipuae sunt: 1. *Labbaei et Constantii,* 2. *Harduini,* 3. *Labbaei et Cossartii cum additionibus Colleti et Mansi,* quae quidem recentior est, et plenior, sed ad finem perducta non est, ita ut Harduiniana propius ad aetatem nostram accedat.

Ratio autem Conciliorum canones allegandi haec est: ut 1°. nomen Concilii, 2°. si de Conciliis provincialibus res sit, annus quo habitum est, 3°. si in Sessiones aut Actiones divisum est, alterutrius nomen, ad quam citandus canon pertinet, 4°. canon ipse suo nomine appellatus, scil. sive canon, sive caput, sive decretum in eodem Concilio dicatur; suoque insuper numero, aut si numerus nullus sit, sua inscriptione, vel saltem suis verbis initialibus distinctus.

De Concilio Tridentino cuius usus, frequentissimus est in iure canonico, tria sunt animadvertenda: 1) indicare historiam et auctoritatem, 2) quae sit eius distributio, 3) quae ratio eiusdem canones allegandi.

a) Specialem mentionem hic a nobis faciendam postulat, inter alia, Concilium Tridentinum, utpote quod novam in Iure canonico historiae epocham constituit, et ius novissimum inchoavit magnaque ex parte perfecit. Convocatum est an. 1545 a Paulo III, continuatum a Iulio III, tandem a Pio IV an. 1563 25 sessionibus *feliciter* absolutum est. Quod enim maxime optandum erat tum relate ad dogma Catholicum adversus Nova-

tores ac Reformatores definitive explicandum, tum ad collapsam Ecclesiae Disciplinam restaurandam, veramque morum Reformationem determinandam; illud re ipsa magno quidem cum fructu contigit. Speciatim priorum saeculorum disciplinam instaurantes Tridentini Patres, non solum 30 Decretales et Canones vetustiores innovarunt, sed et novas Spiritu Sancto plenas condiderunt leges, tanta sapientia ac discretione praeditas, ut iis in locis, in quibus executioni illae mandatae sunt, ad virtutes colendas, ad abusus resecandos efficacissimae, ac pene dixerim, infallibilis effectus extiterint.

Concilium Trid. confirmatum est a Pio IV atque promulgatum *Const. Benedictus 24 Ian. 1564,* quo anno typis editum est Romae: unde plures deinceps editiones prodiverunt. Maximae est auctoritatis tum quoad canones fidei, tum quoad decreta disciplinaria: quamvis enim ad haec requiritur ut in legali forma promulgentur, tamen vel solemniter publicata, vel tacite introducta, fontem iuris canonici communis dicta decreta indeclinabiliter obligantia constituunt, nisi per recentiores Romanorum Pontificum leges iis derogetur.

At sequentibus Romanis Pontificibus dogmatica atque disciplinaria decreta ita opportuna visa sunt, ut ad haereses novatorum in dies enascentes confundendas, tum ad abusus disciplinae ecclesiasticae coercendos, potius quam novis collectionibus, incubuerint studio et custodiae eorum, quae in Tridentino sancita sunt; atque ita Pius IV constituit S. Congregationem Concilii, cui Sixtus V, facultatem ipsum Concilium interpretandi tribuit.

b) *Distributio est in Sessiones,* quae subdividuntur in duas partes, quarum altera de fide, altera de disciplina seu de Reformatione morum. Utraque autem pars suam habet divisionem: nimirum, quae de fide est dividitur 1°. in capita, in quibus doctrina fidei exponitur, 2°. in canones, in quibus errores contrarii damnantur: quae vero est de Reformatione morum, in capita simpliciter dividitur, excepta sessione XXIV et XXV, quarum *prior* duas habet partes de Reformatione (quae in capita pariter subdividuntur), alteram de Reformatione Matrimonii, alteram de Reformatione simpliciter; *posterior* vero habet appendicem, quae inscribitur continuatio Sessio-

nis XXV et nonnulla continet decreta, quae propriis nonnisi titulis, seu inscripitionibus distinguantur.

c) *Ratio allegandi canones,* qui ad hoc Concilium pertinent, ex praedicta distributione dimanat: nimirum canon, vel caput quod citari debet, a proprio numero indicatur, praemissis primum nomine Concilii Tridentini; deinde sessio suo numero distincta, ad quam praedictus canon vel caput pertinet: in fine vero additis verbis *de Reformatione, vel de Reformat. Matrimonii* si agatur de capite ad Reformationem spectante, vel ad Reformationem Matrimonii.

Ceterum quoad Concilia Generalia, quidquid per eorum canones ita innovatum est, ut adhuc vigeat, id reperire est in Concilio Tridentino, cuius Concilii cum exemplaria seorsim edita sint atque etiam in Theologiae usum, omnium manibus terantur....., de iis pluribus enarrare atque disserere supervacaneum esse censemus.

Item in omnium manibus sunt, seorsim edita, exemplaria **Concilii Vaticani,** quod legitime celebratum et confirmatum a Pio IX Romano Pontifice post Concilium Tridentinum vere oecumenicum habendum est (quidquid contradicat *Veterum,* quos vocant, *catholicorum* secta una cum aliis protestantibus atque haereticis). Inter huius celeberrimi Concilii canones atque doctrinalia capita ad Canonistas maxime pertinent, quae sessione IV *statuta* sunt sc. Constitutio *Pastor aeternus.*

Collectiones Responsionum Sacrarum Congregationum.

Summarium. — Cum vero Responsa Sacrarum Congregationum S. R. E. Cardinalium quaedam sint iuris pontificii veluti appendix, hinc non abs re erit de eorum praesertim Collectione nonnulla admonere tum a) in genere tum b) in specie.

68. 1°. Quodnam *Responsa Sacrarum Congregationum* pondus auctoritatis habeant, supra de fontibus Iuris Canonici dictum est. Nunc ad collectiones eorum, quod attinet.

I. **Generatim** quoad illorum acta, qui auctoritate Romanorum Pontificum novum aliquid constituere potuerunt, quo referenda sunt nonnulla Congregationum Cardinalium responsa

a Romanis Pontificibus adprobata, aut eorumdem iussu edita, ea in ipso Bullario reperire est:

II. Iterum **in genere** Collectiones, quae eiusmodi responsa complectantur, alias non habemus, nisi quae pertinent ad S. Congregationem Rituum, cuius decreta privati hominis cura i. e. Aloysii Gardellini edita sunt ab anno 1602 ad an. 1848, quorum editio modo usque ad nos continuatur.

Ceterum quod spectat ad alias eiusmodi Congregationum resolutiones, quae, in controversiis ad eas delatis, edi consueverunt, hodieque edi solent, quaeque licet vim legis per se non habent, gravissimam tamen obtinent auctoritatem; sciendum est nonnisi earum, quae a Sacra Congregatione Concilii Tridentini sunt editae ab anno 1718 extare collectionem, adiectis ad calcem voluminis XI quod pertinet ad an. 1740, selectis resolutionibus, quae prodiere ab an. 1700 ad annum 1718; quae quidem collectio ab ipsius Sacrae Congregationis Secretario, novo quotannis edito volumine, continuatur.

69. 2°. **In specie**: quoniam incidit sermo **De Resolutionibus S. Cong. Concil.**, quarum usus frequentissimus est, cum supra de eius auctoritate satis dictum sit, rationem eas allegandi indicabimus, revocata prius in mentem duplici ipsarum specie. Altera species rarior est, quae pertinet ad eas Resolutiones, in quibus lex aliqua Tridentina, de qua dubium ab aliquo praesertim ecclesiastico magistratu propositum fuerit, iuxta legitimum sensum, quo accipienda est, generatim et theoretice declaratur: altera exhibet eas, quibus practicae controversiae in casibus concretis definiuntur, quoad formam pariter iterum distincta ipsa dispositione seu Responsione propria Sacrae Congregationis ab opere ipsius Congregationis Secretarii; quaeritur quomodo allegentur.....

Responsio. — Ratio eas allegandi (quae aliarum Congregationum responsis fere est communis) eiusmodi est, ut 1°. nomen Congregationis exprimatur: 2°. notetur inscriptio Resolutionis, quae constare solet nomine dioecesis unde dubium delatum est, et indicatione materiae circa quam dubium versatur: 3°. addantur notae chronologicae: 4°. si plura dubia in eadem resolutione proposita fuerint, dubii numerus indicetur, ad quod responsio citanda pertinet. Quod si non ipsum

Sacrae Congregationis responsum, sed doctrina aliqua citari velit, quae a secretario proposita est, indicetur per verba initialia paragraphus, in qua doctrina illa continetur. E. g. *S. C. Conc. in Derthonen. Constitutionum Capituli 12 Sept. 1829 ad VIII. dub.* vel *S. C. Conc. in Nepesina Legati pii 26 Martii 1831. P. At si rationum.*

Alii Collectores incubuerunt Syllogi resolutionum Congregationis e. g. Rotae Romanae, Episcoporum et Regularium, Congregationis de Propaganda fide praesertim hisce ultimis annis: ast hae neque completae neque fixae et constantes sicut antecedentes.

Sacra Congregatio de Propaganda Fide (cuius prima fundamenta iecit Gregorius XIII, auctor fuit Gregorius XV (1622) eique fastigium imposuit Urbanus VIII (1627), qui seminarium excitavit, suo nomine nuncupavit, et huic Congreg. adiecit) suo, tamquam Codice, utitur Bullario cui titulus « *Ius Pontificium de Propaganda Fide iussu Leonis XIII recognitum Romae 1888* ». Neque silentio praetereunda imo valde commendanda sunt *Collectanea* S. Cong. de Prop. Fide, satis accurata, quae exhibent usque ad hos ultimos annos decreta, instructiones, rescripta pro apostolicis missionibus ex tabulario eiusdem Sacr. Cong. deprompta et typis edita 1893.

Sacrae Congregationis Indulgentiarum publicata sunt decreta, quibus titulus « Decreta authentica S. C. Indulgentiis Sacrisque reliquiis praepositae ab an. 1868 ad an. 1882 edita iussu et auctoritate SSm̃i D. N. Leonis Papae XIII Ratisbonae 1883 ».

Animadvertendum porro est, quae potiora nunc prodeunt ex aliis Sacris Congregationibus, sufficienter exhiberi collecta aliquot abhinc annis in ephemeride: *Acta Sanctae Sedis,* vel in peculiaribus, quae nunc coeptae sunt fieri, collectionibus, e. g. *Collectanea Emi. Bizzarri.....* vel apud *Analecta Iuris Pontificii.....*

Responsa tandem earum Congregationum, quarum nulla adhuc edita est sua propria sylloge, saltem, ubi opus fuerit, in earumdem tabulariis quaerenda sunt.

Inter tribunalia ecclesiastica, Sacrae Rotae Romanae decisiones colligi coeptae sunt iam ab anno 1374 privata pror-

sus auctoritate, ita ut nunc ad plura centena excreverint volumina magnam iuridicam sapientiam ac scientiam anteacti praesertim temporis referentia: cum hoc tribunal scientifica auctoritate maxime gaudeat in Iure.

Haec sunt quae animadverti oportuit circa collectiones usu receptas Iuris can. humani scripti, itemque communis.

Collectiones circa ius canonicum non scriptum et ius particulare.

Summarium. — Ius a) canonicum non scriptum ex testimoniis est colligendum: b) particulare autem, sive scriptum sive non scriptum illud sit, iis in locis, vel apud ea collegia, quorum proprium est, quaeri debet.

70. 1°. Hic *ius canonicum* debet intelligi *stricte sumptum,* quia non loquimur de divino iure positivo, quod Sacris Litteris, nec de divino iure naturali, quod recta ratione contineri norunt omnes. *Ius canonicum* sine addito dicitur quatenus est commune universae Christi Ecclesiae.

Ius canonicum non scriptum. Veritas autem huius partis patet: posteris enim vel longe positis lex seu ius traditur aut scripto aut voce seu testimonio: ergo si non est scriptum, a testimoniis est colligendum.

71. 2°. Quod pertinet ad **ius particulare,** cum illud quatenus scriptum est, constet 1°. Decretis sive Conciliorum Generalium, sive Romanorum Pontificum; quo pertinent etiam concordata Romanorum Pontificum cum saecularibus Principibus inita, quae pro aliqua tantum Ecclesiae parte edita sunt; 2°. decretis Conciliorum particularium pro suis provinciis; 3°. decretis sive synodalibus sive extrasynodalibus Episcopi pro sua Dioecesi, ea tamen conditione, ut inferiorum decreta *praeter,* non *contra* superiorum Constitutiones habere vim possint; facile erit haec omnia reperire. Nam de Constitutionibus Romanorum Pontificum et Conciliorum Generalium iam diximus: quod autem pertinet ad cetera, ea seorsim in suis locis edi solent, et authentice promulgari. Ut autem infinitum foret, ac fere impossibile de iure communi scribenti, haec particularia

quotquot ea sunt, persequi; ita facillimum unicuique erit, loci, in quo is commoretur, proprias leges cognoscere.

Quid vero **de iure non scripto,** quod variis consuetudinibus praecipue continetur? Hoc vero ipso, quod scriptum non est, frustra alicubi collectum expectes. Nihilominus, quod pertinet ad *consuetudines generales,* eas facile discés a scriptoribus iuris canonici universi, qui simul sint et diligentiores et recentiores, a quibus etiam moneberis de recentioribus Constitutionibus, quae ius Decretalium aliqua ex parte innovarunt, cuiusmodi est *e. g. Giraldius, Expositio iuris pontificii; Ferraris Bibl. can.....* et quoad plura, in Collectione, quae inscribitur *Acta Sanctae Sedis.* Quod autem spectat ad *consuetudines particulares* eae si pertineant ad totam aliquam nationem, apud scriptores eiusdem nationis reperiri poterunt, magno tamen cum delectu, siquidem nomine consuetudinum etiam abusus manifestos non raro commixtos videas, quos ex Regulis generalibus, sive Iuris publici ecclesiastici, sive in specie *de consuetudine* facile discernes: quae autem pertinent ad singulas dioeceses vel ad singula oppida, eae suis in locis sunt addiscendae.

SECTIO V.

DE LEGUM CANONICARUM ACTUALI VALORE, ATQUE DE VERO EARUMDEM SENSU DIGNOSCENDO.

72. Inquisivimus in fontes iuris can., et invenimus ubinam leges Ecclesiae seu canones reperiantur, i. e. authenticae Collectiones vigentes: gradum nunc facimus ad canonum actualem valorem dignoscendum. Sed antequam cuiuscumque legis valorem percipiamus, necesse est praenosse *a*) eam ut *legem actu vigere, b*) atque ipsam, si opus sit, *rite interpretari.*

Ratio 1[i]. est, quia Lex initio valida, etsi in codice sit contenta, vim suam tamen amittere potest. Nam leges disciplinares mutabilem materiam continent, atque ex nacta occasione temporum, personarum, locorum, plures fuerunt ab Ecclesia latae quae postea, mutatis iisdem circumstantiis, vel inutiles,

vel noxiae evadunt, atque alias opportuniores exigunt. Quod optime exprimit Conc. Lat. IV. *c. 8 de Consang. et Aff.* « *Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana, praesertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit* ». Exemplum habetur ex *Trid. Sess. 24 de Ref. M.* « *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur* », qua ratione motum Concilium coarctat impedimenta quaedam matrimonii.

Ratio 2ⁱ. est, quia non omnis lex est clara, sive verba sive mens legislatoris spectentur; et cum lex subobscura vel penitus obscura videatur, interpretatione opus est.

Hinc tum Regulae ad actualem valorem legis dignoscendum, tum leges interpretationis in antecessum perspectae sint oportet. Inquiritur nempe *quaenam de sensu ac valore ecclesiasticarum legum recte iudicando opus sit animadvertere.* Iamvero cum alia legibus omnibus in genere communia sint, alia vero quarumdam in specie sint propria; e re esse videtur primum de communibus deinde de aliis dicere, et ita quidem ut primum de valore, deinde de vero earumdem sensu agatur. Hinc duplex caput.

CAPUT PRIMUM

DE REGULIS COMMUNIBUS

Art. 1. De Legum ecclesiasticarum valore recte iudicando.

73. Ut de vero cuiuspiam legis valore recte iudicetur, duo sunt quaerenda: 1°. *an ei suus valor constet;* 2°. *quantus sit aestimandus,* i. e. qui et quot iudicari debeant eius legitimi effectus. Iamvero 1. quod spectat, facile quisque intelligit duplici ex ratione legum valorem pendere, vel ex earum natura seu necessariis earumdem conditionibus; vel ex voluntate ipsius Legislatoris, qui easdem tulit; sive eius successoris, sive alterius auctoritate superioris. Relate ad naturam legum eccle-

siasticarum et necessarias earumdem conditiones, praeter ea quae in Iure publico disputavimus, heic dicemus de cessatione legis, spectato fine ad quem sese exeruit potestas Ecclesiae. Ex parte vero voluntatis Legislatoris quaerimus, proposita lege, quae ratione sui valida esset, iudicare ne possimus utrum forte ex voluntate Legislatoris sive vera, i. e. aut expresse aut tacite manifestata, sive legali, sive praesumpta suus eidem detractus sit valor. Ad veram Legislatoris voluntatem pertinet abrogatio ac derogatio, dispensatio: ad legalem et praesumptam consuetudo, et epicheia; sed cum epicheia ad interpretationem reduci soleat a DD., hinc de ea in art. seq., cum de interpretatione agitur, erit disserendum. In hoc ergo 1°. articulo dicemus 1) de cessatione, fine legis intrinseco et adaequato cessante; 2) de abrogatione, qua lex vim ex toto et in perpetuum amittit, et de derogatione; 3) de consuetudine; 4) de dispensatione, si quoad aliquas tantum personas, aut ad tempus suspendit effectum suum.

§ 1ª. De Cessatione Legis.

Dico. **Per cessationem finis intrinseci et adaequati, et respectu totius Communitatis cessat lex.**

74. *Decl. Asser.* **Finis legis alius intrinsecus** est, **alius extrinsecus**: ille est ipsa honestas, quae invenitur in re praecepta, e. g. honestas ieiunii in hac lege ecclesiastica, ista est specialis ratio, ob quam res ipsa a Legislatore praecipitur, e. g. maceratio carnis et vitiorum repressio, ob quas rationes ieiunium praecipitur. Finis adaequatus habetur ex complexu plurium finium, qui potuerint a Legislatore intendi tum intrinseci, tum extrinseci simul. Finis autem cessare potest *contrarie* et *privative, adaequate* aut *ex parte.* « Tunc dicitur, ut verbis utar *Suaresii de Leg. l. 6. q. 2,* mutari *contrarie* obiectum legis, quando propter mutationem materiae vel rerum seu circumstantiarum fit, ut sit iniustum vel quocumque modo turpe servare legem; vel si fiat impossibile, aut saltem ita difficile et arduum, ut moraliter iudicetur impossibile respectu totius communitatis; vel denique si fiat prorsus inutile et vanum respectu boni communis. Mutatio autem *negative* erit si in tota

materia legis iam non inveniatur ratio, ob quam lex posita fuit, licet, ea sublata, adhuc materia per se mala non sit, nec impossibilis, nec inutilis aut iniusta ».

Adaequate cessat finis, si ex omni parte et quoad omnes, aut saltem quoad maiorem civium partem, utcumque cessaverit.

Prob. **Cessante fine legis intrinseco et adaequato respectu communitatis cessat eo ipso lex,** *S. Th. 2. 2. q. 90 a. 2,* et cum hoc plerique alii. Ratio est clara: ex definitione enim legis constat finem legis esse bonum seu utilitatem Communitatis; ergo, hac utilitate cessante, cessat aliquid essentiale legis: atqui haec utilitas cessat per cessationem finis intrinseci et adaequati respectu totius Communitatis. Ergo. Hisce declaratis et probatis, intelliguntur sequentes Regulae servandae de cessatione legis, cessante causa finali. Ut illa cesset,

1. cessare debet tota causa finalis; hinc, quia lex ieiunii ab Ecclesia lata est ob duplicem dictum finem, illa adhuc remanet, quamdiu finis eiusdem intrinsecus manet, quamvis alter extrinsecus cesset, et ieiunio ad macerationem carnis iam opus non sit;

2. causa finalis cessare debet pro omnibus legis articulis: alias eius tantum articuli obligatio cessabit, cuius causa finalis cessat, ceteris vigorem retinentibus, ne utile per inutile vitietur, contra *Regulam Iuris in c. 37.*

3. Si lex aliqua lata sit ratione periculi generalis, e. g. ne arma deferantur noctu ad evitandas rixas; ut lex cesset non sufficit, quod in aliquo peculiari casu illud periculum cesset, sed requiritur, ut cesset communiter seu respectu totius Communitatis: quia periculum commune, non particulare, est ratio et causa finalis; atque etiam quia reipublicae interest partes non esse a toto discordes.

4. Causae cessatio debet publice innotescere, ut legis obligatio ex ea cesset *(Suarez, l. 6. De Leg. c. 9. n. 12):* quia lex Communitatem adstringit, et ratione illius singulas personas. Ergo dum Communitati non constet de cessatione, etsi quibusdam constet, singuli excusari non videntur. At Palao bona ratione censet, singulos non ignorantes cessationem posse procedere contra legem absque scandalo.

Patet ex dictis nos hic non agere de cessatione legis per exceptionem vel per excusationem, si sc. in casu particulari concurrat cum alia lege strictius obligante ad actum contrarium, vel si res praecepta foret nimis gravis seu difficilis, vel cum ex variis adiunctis arguitur mentem legislatoris talem casum non comprehendisse: de quibus casibus infra ubi de epicheia.

§ 2.ª De Abrogatione.

Summarium — Declarata α) abrogationis natura eiusque conditionibus, statuitur: β) posse fieri abrogationem ab ipso legislatore vel ab eius in magistratus officio successore aut superiore: γ) a Supremo Principe factam legis humanae abrogationem validam esse, licet iuiuste fiat: Suar. l. c. n. 6. 25. 8.: δ) abrogationem alicuius statuti Conciliorum etiam Oecumenicorum, nominatim Concilii Tridentini, factam per Constitutionem ei contrariam valere absque ulla illius mentione. Haec porro omnia, servata proportione, applicantur simul derogationi.

De natura et conditionibus abrogationis.

I. De Natura.

75. Definitur « *Legis totalis ablatio, quae fit a Legislatore vel a causa aequipollente* ». Dicitur *totalis ablatio,* ut distinguatur a derogatione, qua non tota lex tollitur sed solum pars eidem detrahitur: et haec distinctio abrogationis a derogatione in iure canonico sufficit, quamvis in iure rom. *L. 102. ff. de V. S.* distinguantur atque diversam habeant significationem non solum *abrogare* et *derogare,* sed etiam *subrogare, obrogare.*

Ablatio, per quod et seqq. verba, indicat causam, quae aufert legem, esse extrinsecam: nam per το *ablatio legis* supponitur esse vera lex et permanens toto tempore, piusquam abrogetur: ac proinde supponitur esse lex iusta, rationabilis et utilis: quia si prius fiat iniusta, nociva, aut inutilis, prius per se desinet esse, quam abrogetur: et ita iam non habebit locum abrogatio, quia cessatio legis est distinctus modus desitionis. In casu cessationis legis, si qua nova constitutione illa diceretur abrogata, non haberetur per se nisi declaratio nullitatis,

distincta a proprie dicta abrogatione, quae fit ob alias causas, quam causam inducentem cessationem. Ad hoc ut legislator vel legitimus superior abroget, satis est, ut lex vel nimis rigorosa, vel minus utilis esse videatur; seu quod maior fructus ex eius revocatione speretur, vel quod maiora pericula aut mala illo modo evitentur. Quod iustum est aut utile potest mutari propter magis iustum aut utilius.

Quae fit a legislatore: diversimode enim potest abrogari lex: quando fit abrogatio ab ipso legislatore, derogari et abrogari potest, 1) per legem contrariam, scil. imperantem actum contrarium aut contradictorium priori: 2) aut, sine alia lege aliud imperante, revocando obligationem a priori impositam: 3) ita autem recentior contraria esse debet priori, ut cum hac componi nullatenus possit. Ratio primi est, quia cum duo sunt opposita, et utraque proinde lex anterior et posterior opposita et generalis est, utrumque servari nequit; ad impossibile enim nemo tenetur, oppositam nempe simul inire viam; atqui Regula est directio in via..... Ratio 2^{i}. est clara, quia cum tota vis legis est in eo, ut proponatur et continuetur proponi obligatorio modo, si iste, qui voluntate sua tota est vis et causa legis, ostendit se nolle amplius obligare, cessat obligatio. Ratio 3^{i}. est, praeter allatas rationes, etiam quia si non aperte contraria, cum nec abrogatio nec derogatio in dubio praesumitur, *Leges posteriores ad priores trahendae sunt:* ut habetur *L. 27. h. t.* i. e. oportet *ius iuribus concordare c. 9. de Elect. in 6.* Est autem haec sententia communis, et certa; quia voluntas posterior, supposita potestate, revocat et vincit priorem. Posterior autem lex, quando concordari non potest cum priori, sufficienter indicat voluntatem priori contrariam, saltem virtualem, quae formali aequivalet: *Cf. Suarez de Legib. l. 6.*

Dixi vel a *causa aequivalente* sc. nulla interveniente positive et formaliter legislatoris voluntate. Dixi *positive et formaliter,* quia etiam cum agitur de consuetudine contra legem inducente cessationem legis, debet adesse aliquis saltem legalis consensus legislatoris, prout infra explicabitur.

Diminutio illa, qua non tota aufertur lex, sed pars ei detrahitur, diximus, est *derogatio:* porro et de hac etiam agimus nunc tractantes de proprie dicta abrogatione: sicut advertit

Suarez de leg. l. 6, c. 25. n. 1: « Advertimus, licet abrogatio proprie dicatur de integra legis ablatione, sub illa tamen nunc comprehendi illam diminutionem legis, per quam in perpetuum lex tollitur, et licet non in totum, sed quoad aliquam partem; illa enim non est proprie dispensatio, sed dici solet derogatio. Verumtamen, servata proportione, eamdem habet rationem et doctrinam, quam integra legis ablatio.

Ex dictis patet *derogatoriam* esse legem Tridentinam *Session. XXIV. Ref. 12.* quae cognationem spiritualem coarctat ad 1^m. gradum, *abrogatoriam* vero Constitutionem Clementis XII *Romanus 1732,* qua privilegia et exemptiones concessa a Bened. XIII Beguinis penitus revocavit: derogatoriam simul et abrogatoriam esse Constitutionem *Apostolicae Sedis,* qua censurae latae sententiae limitantur.

II. De Conditionibus abrogationis.

Ex conditionibus servandis in abrogatione legis,

1^a. est potestas sufficiens abrogandae legis: solum enim per legitimam potestatem leges abrogari possunt:

2^a. est causa iusta pertinens ad commune bonum, *L. in rebus ff. de Constit. Princip.,* ubi urgens necessitas vel evidens utilitas postulatur. Ita S. Thom.

Fundamentum autem est, mutationem omnibus in rebus praeter quam in malis, esse periculosissimam, quod maxime verum est in abrogatione legis; unde magna requiritur consideratio. Atque id etiam a) ne frequenti mutatione leges contemnantur; b) quia cum leges consuetudine firmentur, numquam pro dignitate servabuntur, nisi earum observatione continuata fiat consuetudo, et quasi habitus acquiratur: c) quia sicut lex non debet poni nisi propter commune bonum, ita nec auferri: cum sit actus publicae iurisdictionis et potestatis ad commune bonum ordinatae:

3^a. autem conditio est publicatio abrogationis vel expressae vel aequipollentis. Non in omnibus casibus talis promulgatio *(Confer Suarez l. c. c. 27. n. 7. S)* est necessaria ad revocationem, quae sequitur ex contraria obligatione, sive ad actum repugnantem priori, sive, praecise ad non utendum

priori lege: quia haec obligatio imponitur per novam legem: 2) quamvis revocatio pura legis non requirat promulgationem, tamen ut debito modo fiat, revocatio pura publice proponenda est prudenti legislatoris arbitrio.

76. Abrogatio a conditore fit ipsius legis. Nam *res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur*: sed potestas et voluntas legislatoris sunt principia, a quibus lex pendet. Patet assertio quoad successorem in magistratu, cui eadem semper inhaeret iurisdictio atque potestas. Patet etiam quoad superiorem legislatoris: nam lex magis pendet a causa universali, quam a proxima: atqui lex inferioris pendet a superiore tamquam ab universali causa: ergo.

Solet quaestio hic agitari *an inferior possit abrogare legem superioris?* e. g. Episcopus quoad leges pontificias, sicut quandoque de iis dispensat? Resp. *Negative:* alioquin esset in Episcoporum facultate totum ius commune et concilia universalia subvertere, quod erroneum omnino et absurdum est; cum per hoc superiora inferioribus subiiciantur, ordo naturalis subvertatur, atque tota ecclesiastica confundatur Hierarchia.

Quae solutio procedit de Episcopis etiam quoad territorium proprium; quare si lex decessoris fuerit a superiore confirmata, successor eidem derogare nequit.

Unde ad quaest. « *An inferior possit abrogare legem propriam si ea sit confirmata a superiore?* »

Resp. Distinguo: si in confirmatione superior addidit clausulam irritantem ea, quae contra sint statuenda, vel attentanda, *Nego;* si absque clausula fuerit simpliciter confirmata, *subd.,* si statutum confirmatum concernit favorem statuentium, *Concedo;* si concernit favorem publicum, *subd.* Si confirmatio non sit petita ad maiorem dumtaxat auctoritatem statuti, sed ad publicum tantum bonum aut aliorum mere petita, *Nego;* si ad hoc solum sit petita, *Concedo* (Cf. Schmalzgr. in tit. De Constit. n. 54. et seqq.).

77. *Quando valida sit abrogatio?* Resp. a supremo Principe factam humanae legis abrogationem validam esse, quamvis iniuste fiat. Dico a Supremo Principe: quia si fiat ab aliquo inferiori ex commissione eius, invalida est talis abrogatio; quia vel haec potestas non solet committi inferioribus, vel nonnisi

per modum dispensationis, vel ad summum per modum partialis revocationis: unde conclusio procedit de solo Principe. Ratio est, quia legis obligatio pendet ex voluntate Principis; huius autem voluntas, quamvis mala, tamen est absoluta et efficax: ergo tollit imperium seu iussum et vim obligationis.

Obiic. voluntas ponendi legem sine iusta causa non facit legem validam, etiamsi ex parte legislatoris sit absoluta. Ergo idem est de contrario.

Resp. Negatur consequentia. Nam ut iniusta sit impositio legis, id esse debet vel ex materia, cui repugnet obligatio legis, vel de materia, quae excedit legislatoris potestatem: hanc enim ad minuendam vel auferendam legis obligationem non potest materia conferre, quae etsi bona sit et honesta; tamen potest illi non adiungi obligatio humana: vel quae etsi sit intrinsece mala, potest illi non adiungi prohibitio humana.

78. Nunc solvenda quaestio, quae est bimembris h. e. 1°) in genere, *num fieri debeat mentio in posteriori generali, si haec est contraria priori:* 2°) in specie, *quoad decreta vel leges Concilii nominatim Tridentini.*

In primis adverte hic omnia quae Suarez *l. c. l. 6. c. 27. n. 1.* per totum.

Quoad primum dico *lex posterior interdum abrogat* praecedentem, scil. semper, quando est ei contraria, ita ut nullatenus conciliari possit. Haec assertio est communis et certa *ex c. 1. de Const. in 6.* cum Glossa ibi v. *revocare* vel v. *noscantur,* et ex *l. sed et posteriores leges... nisi contrariae sint, ff. de Leg.* Et ratio est, quia voluntas posterior, supposita potestate, vincit et revocat priorem. Posterior autem lex, quando non potest concordari cum priori, sufficienter indicat voluntatem priori contrariam, saltem virtualem, quae formali aequivalet.

79. Solvitur hinc incidens quaestio agitata inter DD.: an *per contrariam constitutionem valeat abrogatio legis prioris sine istius ulla mentione, praesertim si lex prior esset conciliaris?* Et ut quaestio coarctetur ad Decreta Concilii praesertim Trid. *an de facto per legem contrariam ista abrogentur sine ulla mentione?* Resp. Plures AA. aiunt egregie, non esse necesse mentionem fieri, et affirmantem sequuntur, qua statuitur valere de-

rogationem sine ulla mentione prioris legis seu Decreti Tridentini.

Dixi *an* modo *de facto;* quia *de iure,* quod Romanus Pontifex ea possit abrogare de plenitudine suae potestatis absurdissimum est dubitare; sed dixi, an opus sit, ut de iis expressa mentio fiat in contraria iisdem Constitutione. Valere abrogationem probant momenta, quae passim ab AA. afferuntur: sc.

1) Principem ius ignorare numquam praesumi, est axioma iuris, vel ut ait *Bonif. VIII C. Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur:* sed decreta Conc. Trid. ius est commune... et non consuetudo aliqua particularis.

2) *Ex const. Pii V. Cum contingat.... 23 Dec. 1570* « quorum- « cumque decretorum Concilii huiusmodi tenore praesentibus « pro expressis habentes ex certa nostra scientia..... declara- « mus neque speciali lege neque generali derogatione eiusdem « Concilii opus fuisse et esse.....».

3) *S. C. C. in Abulensi an. 1593 ad IX dub., an ad derogationem Sacr. Conc. Trident. sufficiat Papam contra illud rescribere* absque illius speciali vel generali derogatione, ut Pius V declarasse dicitur; *Resp.* Si supplicatio manu Papae signata fuerit non requiritur nec generalis nec specialis derogatio.

4) In additionibus *Nic. Garcia n. 34. part. 4. c. V* ad motum dubium an quoddam privilegium factum Patribus Congregationis Oratorii valeat sine expressa mentione derogationis Conc. Trid. Resp.: *Valere.*

5) Quibus momentis addatur auctoritas DD. plurimorum praesertim Garciae contra paucos.

80. Igitur *obiic.* 1) decreta Concilii fiunt cum maturiori deliberatione:

Resp. id nihil probare, et absurda atque iniuriam supponi. Iniuriosum enim est Pontifici asserere illum leviter se gerere; absurdum legem invalidari ex praetextu deficientiae maturioris deliberationis, quae ex se maiorem minoremve gradum recipere potest.

2) *Cap. Eccl. vestra 57 Elect.* Neque enim credendum subvertere voluisse:

Resp. Sumus extra quaestionem: nos enim agimus de legibus generalibus contrariis prioribus, quae et ipsae sint ius commune..... sed quod ibi dicitur, id de Rescriptis intellige.

3) *Cap. Nonnulli 28 de Rescr.* nisi *expressam de hac Constitutione fecerint* (litterae apostolicae) *mentionem.*

Resp. *Dist.* Et ibi habetur exceptio, quae firmat regulam in contrarium, *Concedo:* habetur regula sive lex generalis de invaliditate, si non fiat mentio.... *Nego.*

4) *Cap. Eam te 4 de Aet. et qual. praefic.* ad verba « *ne ad curam animarum, etiam literarum nostrarum obtentu, institui patiaris personam, quae scientia moribus et aetate* Concilii non congruat institutis ».

Resp. *Dist.* Et de iis agebatur, de quibus clare desumi debeat principem non consensisse, *Concedo;* aliter *Nego.*

5) *Cap. Ex parte 3 De Capp. Monach.* ad ea verba « *Cum autem id obviet Lateranensi Concilio* (singulos scil. monachos singulis in Prioratibus commorari), *de quo nulla mentio est in litteris antedictis, Fraternitati tuae breviter respondemus, quod huiusmodi litteras ab apostolica Sede non credimus emanasse. Quod si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto* ».

Resp. Et hic agitur de dubia Rescripti veritate, pro quo nisi expressa voluntate non vult derogari Concilio, *Concedo:* agitur de defectu potestatis derogandi, quia non expressit Pontifex, *Nego.* Imo eo ipso quod Pontifex ait: *nolumus per hoc derogari Concilio supradicto,* apparet veram rationem repetendam esse ex eius voluntate.

III. De Regulis abrogationis.

Summarium. — Exinde sequuntur abrogationis Regulae: 1. abrogationem per se numerari inter res odiosas: 2. legem generalem, licet posterior sit, non abrogare legem priorem specialem, neque particulares consuetudines: 3. Correctionem anterioris legis ulterius, quam verba posterioris exprimunt, non oportere extendi: licet id probabilibus, neque tamen necessariis argumentis suaderi videatur: 4. legem, quae ad pristinum ius correctricem legem reducit, odiosam non haberi, adeoque esse latioris interpretationis.

81. Prima inter regulas servandas vel attendendas in abrogationibus est: *Abrogatio legis est odiosa adeoque restringi debet.* Haec 1ª. regula princeps et capitalis sic efferri potest: *Abrogationem per se, i. e. seclusis peculiaribus circumstantiis, numerari inter res odiosas (C. Is qui, de Filiis Presbyt. in 6):* adeoque quoad eius fieri potest iura iuribus concordanda esse et legum correctiones esse vitandas *(C. 29. De Elect. in 6).* Et quoniam abrogatio et derogatio est correctio iurium seu legum, hinc recidit in aliud axioma: « *Correctio iurium est odiosa* » Prob. 1°) *Cap. 29. Cum expediat, de Elect. in 6.....* 2°) Quod sit odiosa et restringenda abrogatio, est sententia communis: 3°) ratione sic concluditur. Abrogatio legis per se loquendo non expedit reipublicae, nisi necessitas cogat, quia ex se infert nocumentum. Ergo restringenda est quoad fieri potest. 4°) Et confirmatur: nam ob hanc causam legis abrogatio magna consideratione facienda est: etenim « non est verosimile (ait Decius) voluisse Principem uno verbo et quasi aliud agentem revocare legem observatam: non est enim admittendum, nisi ad id necessitas summa sit » *Suarez l. 6. de Leg. c. 27. n. 4.* Addas, sive ad reverentiam legum fovendam, sive quia omnis ordinis *vicissitudo ac mutatio* perniciosae existimantur; *constantia autem optima;* sive quia periculosum est, id quod diu aequum visum est, mutare. *Extrav. Inter cunctas § Sanc. de Privil., l. 2. ff. de Constit. Princ.* « Moribus antiquis res stat ». Hinc:

82. 2ª. Regula profluens a 1ª. *Legem generalem licet posterior sit, non abrogare legem priorem specialem neque particulares*

consuetudines. α) Profluens a 1ª. In 1ª. enim asserebatur, correctionem iurium esse vitandam, quoad fieri potest, ut sumitur *ex cap. de Consuet. in 6. cum dilectus,* quia odiosa; ita ut si fieri possit iura seu leges concordiam servent. Hinc « *leges posteriores ad anteriores sunt trahendae* »; quod nonnisi isto modo trahi possunt posteriores ad priores, quo lex prior specialis, et particularis consuetudo considerentur tamquam exceptiones a lege generali. Alia concordia inter iura haberi nequit nisi eo modo, quo dixi seu uti exceptiones scil. uti derogationes manent, non abrogantur: ergo verum est quod lex generalis etsi posterior non abrogat.....

β) Quod directe et magis prob. *ex cap. 1. De constit. in 6.* scil. quia Pontifex ea ignorasse praesumitur.

γ) *L. 80 de Reg. I. ibi* « *In toto Iure generi per speciem derogatur* », et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est, i. e. verba ad speciem restrictam excludunt ceteras species genere contentas.

δ) Si spectetur auctoritas DD. communis sententia est. Instar omnium sit Schmalz. l. c. Si specialis sit lex prior, per posteriorem legem contrariam non abrogatur vel derogatur: nisi illius saltem in genere Princeps mentionem faciat; sed potius ut vitetur iuris correctio, anterior lex specialis erit, quasi quaedam exceptio legis generalis posterioris. Ergo stat 2ª. regula: *Legem generalem, licet posterior sit, non abrogare legem priorem specialem, neque particulares consuetudines,* quae tamquam exceptiones habendae sunt: nisi expresse in ipsa generali lege abrogatae fuerint.

83. 3ª. Regula. *Item correctio anterioris legis non est extendenda ultra quam verba posterioris requirant (per illationes probabiles, non tamen necessarias).* 1) Nam cum correctio iurium sit odiosa, et odia non extendenda, sed restringenda magis; hinc correctio..... non ultra verba, sed stricte interpretanda atque extendenda ad id, quod necessario sensus et structura verborum exigit; 2) quae communis est inter DD. ut videre est penes Reiff.... 3) explicantes illam Regulam, quae *Cap. 28 de RR. I. in 6.* huc pertinet « *quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda* ». Exorbitare apud Iuristas est a via communi deflectere. Exorbitans igitur a iure com-

muni dicitur quod deviat et in aliqua parte recedit a iure communi: cuius generis sunt privilegia, dispensationes et similia. Porro hae concessiones deviantes a iure communi non sunt trahendae ad consequentiam h. e. non extendendae ab una ad aliam personam, ab una ad aliam causam, cfr. Foebeo heic; sed continendae intra suos terminos rerum et personarum, sub quibus concessae fuerunt. Nam quae a iure communi exorbitant censentur odiosa; odiosa vero non trahuntur ad consequentiam seu non extenduntur a persona in personam, a casu ad casum, a simili ad similia, sed intra suos praecise terminos restringuntur. Ergo quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

Dixi quae a iure communi exorbitant censeri odiosa: nam utilitas et tranquillitas publica, et consonantia cum toto praevalet utilitati privatae: ideo quae aliquatenus derogant iuri communi dicuntur simpliciter odiosa, quamvis contingat alicui particulari personae esse favorabilia.

84. Regula 4ª. *Lex quae ad pristinum ius correctricem legem reducit, vicissim odiosa non est adeoque est latioris interpretationis capax.* Nam 1) correctio prioris fuit odiosa: atqui lex qua fit revocatio rei odiosae est favorabilis; (**Exemplum Hier.**) **ideo** abrogatio legis veteris Testamenti per novam Christianam legem fuit favorabilis, quia nos ad principium seu ad priorem statum revocavit, ut habetur *in cap. ab Exod. 35 dist.* Sicut enim unaquaeque res facile reducitur ad naturam suam; ita etiam lex revertitur ad ius commune, quod videtur esse magis naturale: 2) adde auctoritatem Glossae..... et DD. Cf. Suarez *de Legib. l. 6. c. 25. n. 5.*

§ 3ª. De Consuetudine.

Summarium. — Praestituta consuetudinis definitione et partitione, recensentur et declarantur essentialiter requisita ad ipsam i. e. 1°) ut sit rationabilis, 2°) in bonum Communitatis, 3°) ex legali consensu legislatoris, 4°) et moribus populi inducatur.

1°. Definitio seu natura et partitio.

85. Consuetudo post legem naturalem originem duxit, ex eo quod homines in unum convenientes coeperunt simul co-

habitare: differt a lege scripta, quia haec promulgatur, illa vero paullatim obtinetur ex interpretatione saltem principis et expressa populi consensione. Etymologice consuetudo a *consuesco cum et simul,* scil. denotat usum vel consuetum: iamvero usus non unum alterumve actum, sed frequentiam denotat; hinc quod frequenter fit, consuetum dicitur. Iamvero consuetudo dupliciter sumi potest, *materialiter* seu *causaliter* pro ipso usu diuturno et actibus a populo *frequentatis; et facti consuetudo* audit, de qua can. 5. d. 1. « *Vocatur autem consuetudo, quia in communi est usu* » formaliter seu pro ipso iure seu lege ex actibus populi frequentatis resultante. Porro nos secundo sensu acceptam definimus consuetudinem: *Consuetudo est lex, quae moribus populi constituitur,* in qua definitione *Lex* habetur ut genus proximum; *quae moribus populi continetur* est differentia ultima. Consuetudo dicitur lex, quia in suo esse formali constituta continet vim obligandi, sicut lex cuius naturam imitatur, et a qua differt quoad modum dumtaxat promulgationis: *moribus populi introducatur* seu constituatur. Hi porro mores intelligi debent *diuturni,* h. e. exhibeant frequentiam actuum populi, ita ut longo tempore et publice ea fuerit observata. Et quoniam tamquam lex suscipi nequeat, nisi aliquo modo a Legislatore procedat, nam populus ipse subditus est, non Legislator; hinc Principis voluntas saltem praesumpta, seu quae legalis dicitur, in definitione proposita contineatur.

Quoniam consuetudo est lex et haec rationabilis esse debet, consideranda venit prius quae in relatione est praesertim ad iam existentes leges, et tunc vel cohaeret cum lege iam existente, vel huic opponitur, vel neque cohaeret, neque opponitur, sed quid novi et aliud dicit consuetudo. Si primum, est consuetudo secundum legem; si secundum, est consuetudo contra legem; si tertium, est consuetudo praeter legem: 1ª. firmat legem prius existentem et vocatur etiam inhaesiva atque declarativa, iuxta illud « *consuetudo est optima legum interpres* ». *L. 37. de leg. c. 8.....* Unde haec consuetudo secundum legem proprie consuetudo non est, sed potius legibus iam scriptis obtemperatio, ad quem sensum refertur *can. 3. § leges d. 4.* « *Leges constituuntur cum promulgantur, firmantur vero cum moribus utentium approbantur* ». Ubi το *firmantur* significat firmi-

tatem facti et stabilitatis, non autem firmitatem intrinsecam scilicet auctoritatis et iuris. Secunda consuetudo, quae dicitur contra legem, abrogat legem. Tertia consuetudo novam inducit simpliciter legem: atque ad hanc consuetudinem, praeter ius scil., quae iuri scripto non adversatur sed ipsa ius novum constituit, referendus est *can. 5. d. 3.* « *Consuetudo est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex* ».

Nos praesertim respicimus consuetudinem abrogantem scil. *contra legem,* per quam aut lex non recipitur, aut recepta contrariis actibus eliditur. Cum dicitur autem dari consuetudinem contra ius seu legem scriptam, id de consuetudine intelligitur adhuc imperfecta seu inchoata: nam consuetudo perfecta numquam adversatur iuri vel legi. Consuetudo enim quae est perfecta derogat legi; ac proinde non habet legem cui adversetur, **cum ponatur**; tunc enim non est amplius lex, utpote per consuetudinem perfectam sublata.

Praeter consuetudinem *facti et iuris,* et consuetudinem *iuxta, praeter* aut *contra legem;* ex materia circa quam versatur, alia est *canonica* alia *civilis:* illa quae frequenti usu Clericorum, haec quae Laicorum est inducta: quod si Clerici et Laici in eadem re conveniant et communem usum habeant, a nonnullis *mixta* vocatur, a Suarez *(lib. 7. de leg. c. 5. n. 2) civilis;* quia Clerici cum Laicis communem usum habere non possunt, nisi de bono communi politico civitatis. Praeter haec ex locis, ad quae extenditur eius obligatio, *Suarez l. c. cap. 3. n. 7* consuetudinem distinguit adhuc aliam *communissimam* seu *universalem,* quae est ipsum ius gentium, usu et moribus totius urbis introductum; aliam *communem et publicam,* quae est ius non scriptum in uno regno, provincia vel civitate usu et moribus introductum: aliam denique *particularem et privatam,* quae ab una tantum persona vel communitate imperfecta introducta est. Nos agemus de *consuetudine communi et publica,* de qua titulus IV Decretal. l. 1 et ad quem cf. *Bouix de Princip. I. C. P. 1. Sect. III. P. II. Sect. VI; Philipps I. E. § 156 seqq.* Ex veteribus *cf. Suarez de leg. l. 7 et Canonistas in tit. de Consuetud.* Hoc loco attingimus quae sunt praecipua et potiora consue-

tudinis: accurata enim et minuta diligentia omnia et singula persequi quae Doctores de consuetudine scripserunt, esset contra indolem nostrae tractationis.

De essentialiter requisitis ad consuetudinem.

Haec pars tribuitur in quatuor membra, quorum 1m. est ut consuetudo sit **rationabilis,** 2m. ut in **bonum communitatis** tendat, 3m. ut ex **legali consensu legislatoris,** 4m. **moribus populi inducatur.** Cum enim consuetudo sit vera lex quamvis non scripto promulgata, sed moribus populi introducta, prout talis est, legis essentialia elementa habere debet: hinc est Regula rationalis etc.

86. Declaratur quoad 1 . membrum. I. *Essentialiter requisitum est ut sit Rationabilis.* Ea consuetudo generatim loquendo, I. est irrationabilis, quae 1) vel iuri naturali aut divino adversatur: hinc 2) quae dirigitur ad praescribendam potestatem Ordinis, 3) quae a iure canonico reprobatur; et nominatim 4) quae abrumpat nervum Ecclesiasticae disciplinae, aut 5) quae peccandi licentiam aut occasionem praebeat, vel 6) quae alia ratione communitati perniciosa est; II. quae vero consuetudo in nullo horum deficit, *rationabilis* censetur.

Praenot. α) Sermo nobis est de consuetudine non iuxta nec praeter, sed contra legem: nonnisi enim rationabilis esse potest consuetudo iuxta legem, patet: idem autem dicendum est de consuetudine praeter legem, utpote quae nullatenus ius laedat, modo nimis ardua non praecipiat, nec prohibeat Communitati universae. Pariter β) sermo nobis est non de consuetudine *in fieri,* sed potius de consuetudine *in facto esse,* i. e. in sua vera et completa existentia. γ) Criterium vero generale iudicandi « *sit rationabilis nec ne consuetudo* », est advertere, utrum lex cui opponitur consuetudo possit nec ne abrogari.

Constat assertum quoad 1. memb. Hoc patet *ex c. ult. h. t.* ubi talis consuetudo appellatur corruptela: hanc Christus Dominus exprobrat Hebraeis. *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Matth. XV. 3.* Ratio porro evidens est: factum hominis non potest voluntati divinae sive per naturam sive per revelationem manifestatae legitime adver-

sari. Hinc cum revelatio manifestaverit quinam capaces sint ministri conferendi sacramenta, pate 2 .

2m. « Non dari scil. *consuetudinem ad praescribendam potestatem ordinis* ». Quamvis enim a clericis inferioribus, uti habet *c. 13 de Off. Iud. Ord.* ea quae pertinent ad potestatem iurisdictionis praescribi possint; at α) *ex c. 4. h. t.* non quae pertinent ad potestatem ordinis. Nam *Innoc. III reprobat* consuetudinem, qua Presbyteri Constantinopoli conferebant Sacramentum Confirmationis, quia collatio huius Sacramenti reservata est Episcopis; β) quod generatim ipsa ratio dictat: illi enim qui carent Ordinis charactere per se sunt incapaces, ex iure divino, possessionis exercendi actus ordinis ipsius, vel incapaces exercendi actus, qui ad ordinem reservantur: atqui *ex reg. 3. iuris in 6. sine possessione non currit praescriptio*: ergo quaecumque sit actuum frequentia seu consuetudo nullum ius parere potest.

Obiic. Certum est ex delegatione Romani Pontificis Presbyteros posse confirmationem conferre.

Resp. Etsi in presbyterali charactere insita agnoscatur capacitas *Delegationis habendae* a Suprema auctoritate in Ecclesia ad conferendum Sacramentum Confirmationis; tamen ad hoc administrandum per se idonei non sunt simplices sacerdotes sine hac specialissima delegatione, ac proinde per se sunt incapaces ad possidendum ius collationis praedictae, neque ideo possunt tale ius praescribere: supponitur autem, graecis presbyteris a Romano Pontifice facta delegatio.

3m. Membrum est quod irrationabilis sit consuetudo *quae a iure canonico reprobatur,* scil. uti *irrationabilis* veluti *Ecclesiae hostilis,* aut ceu corruptela iuris, et huiusmodi formulis. *a*) Ratio generalis sumitur *ex C. Per Venerabilem 13. Qui filii sint legitimi:* quia sc. iudicare inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram; atque secernere virtutem a vitio, veritatem ab errore, salubria pascua a noxiis; vel maxime ad Sedem Apostolicam ipsumque Christi Vicarium in terris constitutum et conditorem canonum spectare dignoscitur. Unde si legislator praevidens gravia damna ex contraria consuetudine in Christiana societate derivari, eam absolute prohibet atque decernit etiam in futurum esse irrationabilem; nemo fidelium eam uti rationabilem potest habere, *iisdem manentibus*

adiunctis. Dixi iisdem manentibus..... quia si tractu temporis deficiat causa, cur in praesentiarum reprobatur aliqua consuetudo; nihil impedit, quominus illa possit introduci atque legitima fieri.

Notandum discrimen inter *abrogare, prohibere* et *reprobare* consuetudinem per legem humanam: quando lex *abrogat tantum* consuetudinem, non tollitur nisi consuetudo antea existens, minime vero futura. Quando lex *prohibet consuetudinem sibi contrariam,* consuetudinem etiam in posterum inducendam per se et generatim afficit prohibitio. Tandem quando lex *reprobat consuetudinem,* haec non tantum sive praesens sive futura prohibetur, sed etiam intrinsece mala et irrationabilis declaratur.

Formula abrogans est « *non obstante quacumque consuetudine* »: formula prohibens e. g. « *nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere.....* »: formula reprobans talem consuetudinem est « *penitus improbamus et reprobamus* ». *Potius corruptela est quam consuetudo. Cf. Reinfenst. heic n. 44-45.*

4m. Membrum. *Irrationabilis est consuetudo, quae abrumpat nervum ecclesiasticae disciplinae,* i. e. quae ordini a Deo constituto, aut iuri cum ordine divino proxime cohaerenti adversatur; e. g. si Episcopi usurparent iura Pontificis Romani: consuetudo non servandi ullas excommunicationes a Papa prolatas; vel se non submittendi visitationi Episcopi. Quae consonant cum legislatore *c. 5. h. t.* asserente quod irrationabilis sit consuetudo *abrumpens nervum ecclesiasticae disciplinae.* Ecclesiastica disciplina seu regimen spectari potest quoad virtutem suam intrinsecam et vitalem, qua scil. veluti quibusdam nervis compago corporis Ecclesiae regitur, et quoad ipsas leges et statuta, quibus illa virtus sese exserit ac manifestat. Porro quamvis dari possit consuetudo contra hanc vel illam legem humanam Ecclesiae disciplinarem; tamen dari nequit consuetudo, quae contra vitalem virtutem ac formale robur regiminis procedit, quae nempe potestatem ipsam legislativam convellere aut laedere nititur. Ita accipienda verba *Innoc. III c.* 5. h. t. *de consuetudine,* sc. quae imminuit et vulnerat potestatem imperandi in superiore: atqui hanc potestatem impetit et vulnerat consuetudo, sive quando obstat, quominus superior leges ferat aliquas, sive quando obstat quominus efficaci poena legem

suam communiat, ita ut lex in suo esse formali consistens reddatur inanis et despecta. Sic consuetudo in specie cap. 5. h. t. persolvendi officia tempore generalis interdicti (eo directi ut ex publico squalore et sacramentorum negatione fideles ad poenitentiam, principes ad bonam frugem revocentur) auferens publicam moestitiam, ipsam virtutem regiminis laedebat.

5m. *Irrationabilis est consuetudo, quae peccandi licentiam aut occasionem praebeat. a*) Ex *C. ex parte;* et ex *C. ult. h. t.* cum similibus. Unde eiusmodi consuetudo nutritiva peccati, omnimode extirpanda est, *C. Extirpandae de Praeb. ibi: Extirpandae consuetudinis vitium.* Quia *tanto graviora sunt peccata quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, d. c. ult. h. t.* Et haec repudiatur licet sit immemorialis. *b*) Ratio est quia nullius roboris est lex contra bonos mores: virtutibus enim non vitiis bonum reipublicae stabilitur. Unde merito in *c. cap. ult. h. t.* legislator reprobat consuetudinem, quae tribuebat viro vel prodigo vel negligenti, post sua dissipata aut amissa bona, facultatem alienandi res uxoris mobiles et immobiles: atque etiam merito damnatur ea, quae adulterae concedebat, facta a viro separatione, medietatem omnium bonorum, quae vir tempore matrimonii adeptus fuerat.

6m. *Irrationabilis est, quae alia ratione perniciosa est Communitati.* Ratio est, quia consuetudo pro lege suscipitur, ergo sicut lex nonnisi ob bonum commune reipublicae ferri potest; *c. Erit autem lex d. 4.* ita et consuetudo: et alioquin tam haec quam illa foret iniusta et irrationabilis.

Ratio cur consuetudines servandas esse ius statuit, est ne perturbetur societas, cum turbandi necessitas nulla adest: quae turbaretur si vellent aboleri consuetudines legitime introductae; nam per consuetudinem populi voluntas firmiter circam aliquam rem fertur. Non est necessitas turbandi cum agitur de re per se honesta intrinsece, nulli naturali divinoque omnino iuri repugnante.

Unde probatio intelligitur quoad 2m. membrum h. e. *Consuetudo in nullum horum deficiens censetur rationabilis.* Nam ea, quae supradictis iuribus non repugnant, iam ex se indifferenter habent, ut, occurrente aliqua causa, sive pro bono Communitatis, possint per legem aut consuetudinem constitui, et

multo magis per hanc tolli seu abrogari. Dixi multo magis: nam ad iuris introductionem requiritur ut positive ad publicam utilitatem conferat (sed de hoc mox in 2°. requisito): ad eiusdem vero abrogationem vi contrariae consuetudinis sufficit, ut haec communi utilitati non adversetur. Et re quidem vera consuetudo inducens novum ius, cum contra supra dicta iura non sit, ad summum erit contra legem praecise humanam: atqui est sententia communis, dari posse consuetudinem *veri iuris novi* contra legem: ergo talis consuetudo est rationabilis.

Utique verum est, quod actus in quantum adversantur legi humanae laborant vitio contra talem legem, et peccaminosi sunt; non tamen laborant vitio, quod auferri nequeat alio iure humano: quo vitio purgati tales actus possunt evadere liciti.

Obiic. 1°. Nequit esse rationabile quod est contra aliquod rationabile: atqui consuetudo contra legem est contra aliquod rationabile, cum lex sit necessario rationabilis: ergo nequit intelligi consuetudo rationabilis contra legem.

2°. Actus contra legem sunt peccaminosi, ac proinde non rationabiles: ergo etiam consuetudo, quae ex his actibus nascitur, non est rationabilis.

3°. Consuetudo debet esse legitime praescripta: ergo debet introduci cum bona fide requisita in omni praescriptione: atqui bona fides non invenitur in iis, qui scienter et libere transgrediuntur legem: uti faciunt qui inducunt consuetudinem.

Resp. Ad 1m. *a*) Sicut lex abrogatur alia lege contraria quin alterutra, modo adsit iusta abrogationis causa, inde evadat irrationabilis; ita consuetudo non evadit irrationabilis, si est contra, seu abrogat legem.

b) *Distinguo mai.* Quod est contra aliquod rationabile tam in facto esse, quam in fieri, *Conc.,* quod tantum in fieri non vero in facto esse, *Nego.* Et sic *Minore distincta — nego conseq.*

Ad 2m. *Dist. antec. et eius illationem*: ergo consuetudo in fieri non est rationabilis, *Conc.,* in facto esse, *Nego:* quia in facto esse aliud elementum includitur, sc. voluntas saltem legalis principis: porro in his, quae non sunt intrinsece mala, aut non

sunt semper necessaria ad honestatem, tota ratio peccati est ex eo, quod fiat contra voluntatem legislatoris: atqui consuetudo in facto esse continet voluntatem legislatoris *Cf. Zech. Praecogn. I. C. p. 369* ubi habet, quod contra rationabile ex peculiari ratione potest dari aliud rationabile ex altera similiter particulari ratione.

Ad 3m. *Dist.* Debet introduci cum bona fide requisita in omni praescriptione, si sermo sit de consuetudine praescriptiva, in qua intervenire debet praescriptio proprie dicta, *Conc.*, si sermo sit de consuetudine legali, qua scienter contravenitur legi communitatem, qua talem, respicienti et obliganti, *Nego.*

87. II. *Essentialiter Requisitum seu secundus character consuetudinis est, ut sit in bonum Communitatis.* α) Quidquid enim imponitur Communitati habet rationem medii ad ipsius societatis finem seu bonum adsequendum. Unde *C. Consuetudinem 1. h. t. in 6.* « *Consuetudinem....., (cum sacris sit inimica canonibus et de ambitionis radice procedat) corruptelam merito reputantes* etc. » Et *Cap. Cum inter de Consuet.:* « *Nos igitur cognito quod ex tali consuetudine disrumperetur nervus ecclesiasticae disciplinae,* ipsam.... *ducimus irritandam* ».

88. III. *Essentialiter Requisitum seu character est, ut aliquo modo ab eo, qui curam Communitatis habet, procedat.* Duplex quaestio erit distinguenda: 1a. an requiratur aliquis consensus legislatoris pro legitima consuetudine, et 2a. qualis consensus sufficiens esse censeatur. Prima affirmative omnino resolvenda est; consuetudo enim habet rationem legis: atqui lex non constituitur (vel constituta non abrogatur) nisi per voluntatem eius, qui legis ferendae potestate pollet. Hinc sequitur, nullam consuetudinem valere aut induci, α) si legislator *positive* dissentiat, vel *coacte,* non libere consentiat; β) quamlibet Consuetudinem per novam posse aboleri.

Resp. Ad 2m. quaestionem: consensus *non debet esse expressus,* quia si Princeps expresse consentiat, iam non ex consuetudine sed ex nova Principis voluntate inducitur obligatio legis. Sed *nec requiritur tacitus* simpliciter consensus, sc. in consuetudinem non ignoratam; sed sufficit *praesumptus,* quatenus ignoratur consuetudo, in quam rationabiliter ob aliquod verum fundamentum praesumitur Princeps consentire; et in-

terpretativus seu legalis appellatur. Non requiri consensum tacitum simpliciter; patet *a*) ex *c. 1. de Constit. in 6* « *Locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta cum sint facti, et in facto consistant, potest (Romanus Pontifex) probabiliter ignorare* ». Certo cum multae consuetudines in dies inducantur, plures etiam tunc dabantur vel particulares, cum Pontifex haec verba protulit, quas ignorare se dicit, declarans simul se illis per suas posteriores Constitutiones nolle derogare: pari igitur ratione Pontifex non vult veteres urgere leges, si consuetudo rationabilis contra eas inducta fuerit quamvis illius notitiam non habuerit. *b*) Communiter admittitur distinctio *consuetudinis ex conniventia et praescriptivae:* atqui haec supponit Principem carere notitia consuetudinis inductae, quae requiritur pro consuetudine ex conniventia, prout ipsum verbum *connivere* dicit. Scilicet se quidem nosse sed permittere illam: atqui haec abrogatio tacita est, et non proprie consuetudo. Ad rem Pichler heic n. 11. « Quamvis requiratur ad inductio-
« nem consuetudinis scientia Principis mores et actus frequen-
« tatos approbantis vel saltem dissimulantis: sed tunc proprie
« et stricte dicta consuetudo non est.... » Et paullo ante « Ita-
« que ad consuetudinem proprie dictam et quae per viam
« praescriptionis inducitur, non requiritur ut legislator sciat
« et personaliter consentiat eam..... ».

Ergo restat sufficere consensum praesumptum sive legalem. Dicitur autem legalis, quatenus in lege fundatur et praesumitur in Principe, eum scil. velle, ut consuetudines legitimae suam vim obtineant, licet eas ignoret *C. ult. de Consuet., L. 1. et seqq. quae sit longa consuetudo, L. 32. seqq. ff. de Leg...* Heic enim iura non solum non requirunt ullum consensum legislatoris personalem, sed approbant generatim omnem consuetudinem rationabilem, legitime praescriptam et diuturnis populi moribus uniformiter operantis firmatam, sine ulla mentione consensus. Qua in re fundamentum iuris consuetudinis intelligitur: id nimirum est a positiva iuris communis dispositione, ac proinde non ab auctoritate populi, quia praesertim in Ecclesia populus nullam auctoritatem habet; neque etiam a tacita approbatione principis, quae scil. de qualibet consuetudine supponi rite possit: quandoquidem nemo supponi potest ap-

probasse quod ignorat: Princeps autem particulares consuetudines ignorare praesumitur *C. 1. de Constit. in 6.*

89. *Obiic.* 1°. Neque ius neque Princeps adprobant omnes consuetudines sed alias damnant et reiiciunt: ergo scire debet quae et qualis sit, quae introducitur.

Resp. Dist. Ius generali lege adprobat omnem rationabilem consuetudinem legitimo tempore continuatam moribus consensuque populi introductam, et his conditionibus destitutam pariter omnem reprobat, *Conc.* Ius et Princeps alia lege omnes et singulas consuetudines approbat et reiicit, *Nego.*

Obiic. 2°. Consuetudo specialis est lex specialis, lex specialis requirit consensum specialem superioris, ac proinde personalem: atqui hic scientiam consuetudinis specialis supponit.

Resp. Dist. Lex specialis requirit consensum specialem, *Dist.* Datum tamen generaliter, *Conc.;* datum specialiter et pro casu singulari, *Nego.*

90. IV. *Requisitum essentiale* seu Character est, id quod constituitur differentia ultima Consuetudinis per verba *Lex, quae populi moribus continetur.* Porro *mos est habitus* quidam agendi, atque adeo ad habitum requiruntur α) actus non rari sed frequentes, β) non difformes et contrarii sed conformes et constantes, γ) qui sint populi i. e. totius vel maioris partis communitatis, δ) ad tempus legitimum, i. e. ad longum tempus continuati. Et re quidem vera:

1°. Frequentia actuum tanta esse debet, ut pro usu populi accipi possint: atqui usus non dicit unum aut paucos actus. Quod unus aut alter actus habens tractum successivum, e. g. constructio pontis in loco prohibito, sufficiat ad consuetudinem dicunt quidem aliqui, sed plane contra consuetudinis conceptum: sufficiet quidem talis actus ad possessionem iuris obtinendam et ad complendam demum praescriptionem; sed minime ad inducendam consuetudinem.

2°. Uniformes sint actus atque constantes: iidem enim debent esse, qui et frequentes et diuturni possint dici, atque habitum inducentes. *Sine scripto ius venit quod usus approbavit: nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur.*

3°. Patet quod et quatenus nomine populi venit *perfecta communitas,* e. g. quodlibet Collegium, cui permissum sit proprias sibi

condere leges et Princeps vult ut consuetudo faciat leges inter eos, quos inter est inducta: atqui privato aut imperfectae Communitati, qualis esset minor pars eius, non fertur lex proprie dicta. Ergo. *Leges quoque ipsa, antiquitus probata et servata tenaciter consuetudo imitatur, et retinet, et quod officiis, curiis, civitatibus, municipiis vel collegiis praestitum fuisse cognoscitur, perpetuae legis vicem obtinere statuimus L. 3. C. quae sit longa Consuet.* Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur *L. 32. ff. § 1. de Leg.* « *Diuturna consuetudo pro iure et lege in iis quae non ex scripto descendunt observari solet* » *L. 33. 35. ff. Leg.* Ex his

4°. Tempus legitimum seu longum esse intelligitur. Ipsa dictio « Mos populi » exigit longum tempus, ut consuetudo diuturna dici possit. Appellatur in iure consuetudo inveterata, *longaeva,* perpetua, vetustissima et diuturna... illa, quae vim legis habeat.

Quantum autem *tempus* requiratur, iura praecise non determinant sed prudentis arbitrio aestimandum relinquunt, modo sit continuum et non interruptum. Quando per aliquam consuetudinem e. g. laeditur ius proprietatis alicuius (uti per consuetudinem non solvendi decimas, *c. 18. et 20. de decim.*) sine dubio illud saltem tempus requiretur, quod requiritur ad praescriptionem proprie talem; sed hoc sine sufficienti ratione, uti penes quosdam fit, extenderetur ad omnem consuetudinem, ubi de obligatione legis inducendae vel abrogandae agitur. Quando enim consuetudo dicitur legitime praescripta, denotatur solum, quod debeat esse legitime introducta cum aliqua analogia ad praescriptionem, iuxta prudentum aestimationem.

Porro ex prudentum arbitrio duo prae oculis *a*) *generatim* habenda sunt: 1. ut consuetudo vim legis assumat, a longo iam tempore debet esse instituta. Licet autem tempus ipsum non sit a lege definitum, tamen in consuetudine, quae sit secundum vel praeter ius, tempus illud sufficiens haberi solet, quod sufficit ad praescriptionem *longi temporis* inducendam; quae est contra ius, sufficit quantum tempus necessarium est ad praescriptionem *longissimi temporis;* 2. ratio habeatur principii, unde vis consuetudinis orta est: scil. cum ita firmiter constituta sit, ut absque societatis perturbatione aboleri nequeat. Ad DD. quod

attinet, *b*) *speciatim,* hi abeunt in tres sententias: quarum 1ª. tenet ad consuetudinem contra legem requiri decem annos, si lex, cui contradicit consuetudo, usu non est recepta etsi promulgata: si est usu recepta, quadraginta annos: 2ª. sententia tenet, requiri semper 40 annos ad consuetudinem praescriptivam contra quamcumque legem canonicam: 3ª. censet decennium sufficere pro inducenda quacumque rationabili consuetudine, cui ultimae nos adhaeremus. Cf. Suarez.

Nam 1) consuetudo diuturna habet vim abrogandi legem: ergo ut dicatur praescripta quoad hunc effectum sufficit diuturnitas, *ex C. ult. h. t. non tamen est usque adeo valitura* (consuetudo) *nisi fuerit rationabilis et legitime praescripta:* unde ad analogiam praescriptionis quaedam diuturnitas requiritur: atqui diuturnitas completur decennio. 2) Ex generali principio uniformitatis inter ius civile et canonicum in rebus, de quibus hoc distincte non disponit: atqui iure civili consuetudo contra legem stabilitur decennio, quia *L. 1. C. quae sit longa Consuetudo* « *observandam esse,* ait Imper. *longam consuetudinem* » et *L. longi temporis C. de praescriptione longi temporis* longum tempus in praescriptione decennio concluditur. Ergo. Et 3) re quidem vera si decem continuis annis populus uniformiter, deliberate, per actuum frequentiam steterit contra legis iussum, videtur ita mutata res, ut amplius non possit ad observantiam revocari, secus laqueus conscientiae iniicieretur.

Tandem duplex quaestio paucis diluenda restat quoad qualitatem actuum inducentium consuetudinem, sc. 1. an frequentia actuum debeat esse cum intentione se obligandi et inducendi consuetudinem? et quaenam huius animi sint indicia; 2°. an debeant actus esse omnino voluntarii et liberi.

Ad 1ᵐ. Responsio affirmativa communis est. *Cf. Suarez de Leg. l. 7. c. 14. n. 6, et c. 15. n. 10. Salas, Vasquez, Castropalaus* qui dicit *P. 1. Tr. 3. D. 2. p. 2. §. 3. n. 12* « in hoc fere omnes DD. convenire ». *a*) Quia est de natura legis, quae constituitur: et quamvis requiratur consensus Principis, tamen illa supponit consensum populi, cui in hoc morem gerit: quod patet tum praesertim, quando consuetudo derogat iuri Principis: quod idem dicendum quando inducit ius, quia ius consuetudinis incipit a populo, et ideo supponit consensum eius.

b) Secus plurima forent sub obligatione, quae nullatenus sunt, et fiunt ex pura devotione, liberalitate, supererogatione, e. g. confiteri venialia etiam quoad speciem et numerum, ingressu atque egressu ab Ecclesia frontem lustrali aqua abluere per signum crucis etc. — Indicia autem ad praesumendam hanc populi intentionem recensent DD. Cf. Suarez, e. g. si actus sint ardui et uniformiter continuati, si Reipublicae valde utiles, si ex eorum omissione oriatur scandalum, remorsus conscientiae, si reputentur uti reprehensibiles actus contrarii.

Ex hac 1ª. resoluta quaest. ad 2ᵐ. q.

Responsio est affirmativa. Nam si populus non plene libere ac voluntarie, sed per vim et metum gravem cogitur praestare actionem aliquam, in eamque longo tempore persistere; numquam censeri prudenter potest per actus adeo sibi contrarios velle stabilire vel inducere ius aliquod, quo deinceps obstringatur: atqui sine tali animo consuetudo vim legis obtinens non inducitur. Ergo idem dicendum, si ex errore aut ignorantia procedat talis frequentia actuum, quae careret animo vel contra legem existentem praescribendi; vel non existente lege aliquam inducendi. Nam nil tam voluntati contrarium, quam error et ignorantia: et reapse animus servandi (e. g. ieiunii aut festi pro aliquo sancto) legem, quam dari quis falso existimat, non est animus inducendi legem. Iusuper *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari* saltem in his, quae a communitate fiunt, et communitatem qua talem ligant. Ergo.

De clausulis contra consuetudinem deque huius cessatione.

Clausulae.

Summarium. — Unde sequitur consuetudinem esse a) legem, b) cui inducendae aut inductae vel contra leges scriptas, si ceteros legis habeat characteres, derogatorias clausulas legi contrariae adiectas non semper officere, c) eamque cessare lege contraria Principis, desuetudine atque alia consuetudine positive contraria.

91. 1°. *Consuetudo est vera lex.* Nam 1) ei competunt essentialia legis ut ex dictis patet; 2) ex communi DD. senten-

tia. Et re quidem vera consuetudo secundum legem est optima legum interpres « Consuetudo praeter legem est id, quo ius novum introducitur, in quem sensum dixi supra sumi *c. 5. dist. 1. Consuetudo pro lege suscipitur ubi lex deficit.* Consuetudo contra legem est, per quam lex seu ius praeexistens tollitur et abrogatur, de qua mentio *c. f. in h. t.;* ex quibus argumentum sumitur etiam tamquam ab effectu.

92. 2°. Ad *clausulas* quod spectat *irritantes* consuetudines.

a) Certum est clausulam « *nulla obstante consuetudine* » debere quidpiam operari: atqui nil operaretur nisi consuetudines generales iam existentes abrogaret, et illas particulares quarum fuit facta mentio expressa. Porro talis formula alias consuetudines futuras non afficit, quia futurae non obstant.

b) Quaer. *An eâdem clausula censeatur sublata consuetudo immemorialis?*

Resp. Nego cum Covarruvias et pluribus aliis. Ratio est, quia pro consuetudine immemoriali praesumitur iustus titulus, *a*) quia possessio temporis immemorialis est instar tituli, imo qua non potest allegari melior titulus de toto mundo, *b*) quia consuetudo antiquissima, vel hominum memoriam excedens, habet vim privilegii a Principe concessi.

Excipe 1°) nisi consuetudo reprobetur ut irrationabilis: 2°) vel cum generaliter tolluntur omnes consuetudines et addatur, excepto aliquo casu determinato, in quo non contineatur immemorialis consuetudo: 3°) quoties ea ratio, propter quam abrogantur consuetudines, militet etiam pro immemoriali.

Quaer. *Ast quoad futuras consuetudines,* an eaedem dicta clausula prohibeantur et irritentur;

Resp. Nego cum Layman Engel..... quia in *c. ult. h. t.* generaliter dicitur, quod per consuetudinem rationabilem ac legitime praescriptam derogetur legi positivae humanae: ergo hoc etiam procedit de lege prohibente ac reprobante consuetudinem, modo haec non fuerit reprobata ut irrationabilis et corruptiva.

Caeterum clausula e. g. *exclusa qualibet consuetudine contraria in futurum,* et eiusmodi, alium valorem et finem non habet, quam reddendi difficiliorem consuetudinem novae legi contrariam, atque excitandi ecclesiasticae auctoritatis peculiarem vigilantiam, ne consuetudo contraria invalescat.

Cessatio consuetudinis.

93. 3°. *De Cessatione consuetudinis* α) *per illius expressam abrogationem.* Consuetudo non potest existere absque aliquo saltem legali legislatoris consensu: atqui per abrogationem directam ipsius consuetudinis non habetur hic consensus: ergo. Porro cum consuetudo habeat vim legis, per expressam abrogationem sicut haec, ita et illa potest abrogari. Et hoc procedit si lex contraria Principis sit abrogatio pura seu simplex revocatio. β) At si consistat in impositione novi oneris incompossibilis cum dicta consuetudine, haec lex si est generalis abrogat consuetudinem generalem tantum, non vero particulares, quia ut supra diximus ex *C. 1. de Const. in 6.* lex generalis non abrogat consuetudines speciales, nisi ipsas expresse commemoret, quia ibi praesumitur legislator ignorare consuetudines speciales et particularia statuta locorum. Sufficit autem ut generice consuetudines memoret, e. g. *quacumque consuetudine non obstante,* sub qua formula non venit consuetudo immemorialis et privilegiata, ut supra vidimus.

Consuetudo tollitur desuetudine. Nam desuetudo est nova consuetudo, quae saltem negative priori est contraria. Qua in re advertendum, inter desuetudinem et consuetudinem legi contrariam poni differentiam a Bartolo, Salas, Azor, Suarez: quod consuetudo sit quando fit contra legem per ipsam consuetudinem, scil. positivam, quae ex frequentia actuum consurgit; sed desuetudo sit quando non utimur aliqua lege in iure posita, quae nempe consistat in frequentia omissionis pro eo tempore, pro quo praeceptum affirmativum obligat. Haec autem desuetudo, quae consuetudo privativa dicitur a Suaresio *l. 7. de Leg. c. 18. n. 8,* distinguitur a puro non usu, ita ut sit desuetudo quando datur non usus legis, nulla rationabili causa excusante; at purus non usus sit quando aliqua rationabilis causa excusat.

Consuetudini positive contraria desuetudo quae sit, modo vidimus. Ratio est quia Consuetudo quaecumque rationabilis aequiparatur legi: ergo sicut per novam legem contrariam posteriorem abrogatur prior, ita et per novam consuetudinem contrariam tollitur prior.

Ex dictis uti corollarium est sequens.

Summarium. — Hinc percipitur distinctio consuetudinis 1) a iure scripto, 2) ab usu et observantia, 3) a traditione, 4) a praescriptione, 5) a stylo curiae et fori.

94. *Nam* 1°. Ius scriptum, spectata origine et promulgatione prima ad hoc ut diffundatur eius notitia, litteris consignatur plerumque, atque expresse Principis nomine lex proponitur: e contra consuetudo, seu ius non scriptum, moribus populi inducitur, quamvis postea scripto et in codice consignetur.

95. 2°. *Consuetudo differt ab usu et observantia* tamquam effectus a causa: solet dici, *in usu, in more est...* Usu dicitur tum de frequentia multorum actuum, tum de singulis actibus seorsim: at mos non dicitur proprie de unico actu, sed tantum de frequentia multorum.

96. 3°. *Differt a traditione seu observantia antiqua* in eo, quod per observantiam ad nos traducantur ea, quae olim expresse constituta sunt: consuetudines autem inducuntur, quae legali legislatoris consensu adprobantur. Unde observantia seu traditio non inducit ius novum, sed ius antiquum praesupponit, cuius memoriam conservat apud posteros. Hinc. *Observantia antiqua* est testimonium ipsis moribus et praxi expressum de iure iam antea constituto. Consuetudo autem est ius, suppositis diuturnis populi moribus, aliquo legislatoris consensu inductum. *Traditio* seu *observantia* sic efformatur, quod sicut in omnibus Rebuspublicis mores sunt antiquiores lege scripta, ita in Ecclesia primis saeculis, praeter pauca instituta, plurima fuerunt quae « *tacita et mystica traditione a Patribus, ecclesiastico more, reverentiori diligentia sunt in mysteriis observata silentio, quam publicata scripto* » *cf. Scheltrat. de discipl. arcani.*

Huiusmodi humanae traditiones magno in pretio, uti verae leges, semper habitae sunt in Ecclesia, sive sint apostolicae, quae sc. legi vel saltem institutioni ab Apostolis factae debent originem, sive sint ecclesiasticae, sc. quae ab immediatis Apostolorum successoribus, vel ab antiquissimis Ecclesiae pastoribus oretenus fuerunt introductae. Ad Apostolorum enim

traditiones provocatur, e. g. cum saeculo 2°. de tempore celebrandi Pascha controversia exarsit; cum nil innovandum dicitur, nisi quod traditum est, quoad baptizatos ab haereticis redeuntes ad Ecclesiam; cum s. Paphnutius in Conc. Nicaeno praxim servandi coelibatum vocat antiquam traditionem; cum S. August. de bapt. contra Donatist. l. II, c. 7 et alibi ingeminat: « Quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum, sed semper retentum est; nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur ».

97. 4°. *Differt a praescriptione.* Haec enim *a*) continetur possessione vel quasi possessione privatae personae, vel ad instar particularis personae, si communitas praescribit; *b*) nec legem constituit: sed defert dominium vel quasi dominium; *c*) ac praesertim vim nequit habere nisi servatae sint peculiares conditiones in iure determinatae, e. g. titulus coloratus et bona fides. Quae omnia non servantur in consuetudine praesertim contra legem. Nec officit consuetudinem quandoque dici praescriptivam, cum hoc sensu dicatur, ut adsit pro consuetudine *legalis* praescriptio *(cap. ult. h. t.),* scil. nullius ius laedat nisi Principis, qua legislator est. Hinc enascitur illa consuetudinis analogia ad praescriptionem, e. g. longi vel longissimi temporis, qua DD., pro computando tempore ad consuetudinem *secundum, praeter et contra legem* inducendam sufficienti, uti solent.

98. 5°. *Stylus curiae* est modus per consuetudinem invalescens aut in consistoriis negotia tractandi, aut in iudiciis ecclesiasticis procedendi. *Aichner l. c.* Unde si locum habet, et occupatur in actibus iudicialibus, dicitur *consuetudo iudicialis,* determinans ordinem et modum procedendi in iudicio; si autem occupatur in negotiis omnibus extra iudicium geri solitis, dicitur *consuetudo extraiudicialis.*

Ille proprie versatur circa modum proponendi causas, citandi partes, deferendi iuramentum calumniae, formandi et offerendi libellum, contestandi litem....

Ad vim, quam habere posset stylus curiae faciunt pulcherrime, quae habet De Iustis, *Dispens. matrim. l. 1. c. 4. n. 344. seqq.*

Hinc stylus cum sit quid facti, eget probatione.... et dato etiam quod probaretur, adhuc non inducit necessitatem aliis iudicibus et Tribunalibus extra curiam illum servandi, nec il-

lum sequendi, nisi huiusmodi stylus sit scriptus, probatus, notorius et speciali decisione ac declaratione Pontificis confirmatus.... cum maxime variabilis sit, ita ut ad mutationem Papae et Auditorum varietur....., unde dictum stylum modo *album* modo *nigrum*.... quapropter pro stylo accipi debere Iuris interpretationem docet Melchior Lotherius *de re benef. in apparatu n. 74*. Et verba Lotherii heic citati sunt: « Stylus hic dicitur Ius praetorium a Curia non digrediens.... praeterquam vi delegationis, cum delegatus debeat procedere secundum stylum delegantis.... Sed pro stylo inquam accipio Iuris interpretationem, quae aliis *negotiis praeiudicium facit iuxta sententiam S. C. in. l. minime ff. de legib.* ».

Porro hic stylus si auctoritate Principis in scripturam redigeretur, proprie esset *ordinatio curiae:* si post introductum stylum formaretur scriptura auctoritate Principis per modum expressae sanctionis, evaderet *ordinatio iudiciaria et Lex scripta:* si id fieret memoriae tantum causa vel privata auctoritate, stylus curiae retineret naturam consuetudinis.

Alii deinde distinguunt a stylo curiae *praeiudicia;* sicut enim ex usu (aiunt, ut Zech. *Praecog.* § *385*) procedendi in agendis causis atque negotiis, ex aliquo Tribunali expediendis, nascitur stylus curiae; ita ex causarum decisionibus iuxta aliquam opinionem saepius factis, nascuntur praeiudicia, quae postea iudicaturis exemplum praebeant, quod in pari causa sequantur. Quibus decisionibus quamvis non vis legis, maxima tamen auctoritas inest, quae dicitur *auctoritas rerum similiter iudicatarum.*

Specialem merentur mentionem decisiones Rotae Romanae, ad quam olim causae controversae ex toto Orbe catholico deferri consueverunt. Licet enim ius inter partes dumtaxat faciunt, tamen pro veritate alicuius sententiae iuridicae praebent argumentum *cf. Loth. l. c. 75–90.*

Ad rem P. Zech. *l. c.* § *386*. Praeiudiciis locus potest esse: I. Quando tot habentur pariformes sententiae et eo modo latae, quae sufficiant ad hoc, ut consuetudinem legitime introductam esse iudicare possimus. II. Quando Ius ita est dubium, ut maiorem probabilitatem Iudex ex neutra parte deprehendat. III. Quando Ius plane deficit. In eiusmodi causis locum habere potest

Imper. Severi Rescriptum *l. 38. ff. de leg.* « *Rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere* ».

Cavendi tamen sunt abusus innumeri, quos cf. penes Zech.

§ 4ª. De Dispensatione.

Summarium. — Regula est quod distinctione facta actus dispensationis a facultate dispensandi, haec nisi tertio praeiudicetur, favorabilis, ille per se odiosus habetur.

99. Decl. Cum, ut certi simus, legem aliquam quoad omnes generatim valere, non sufficiat nosse eam abrogatione, consuetudine etc. non cessasse, sed requiri cognitionem an quis, vel aliqua Communitatis classis ab obligatione eius fuerit exempta saltem ad tempus, et cum exemptio alicuius ab obligatione legis appelletur dispensatio; de hac sermo nunc erit.

Natura et Regulae Dispensationis.

Dispensatio definitur « *Obligationis legis relaxatio respectu certae personae vel temporis ab eo facta, qui in ipsam legem potestatem habet* ». Dicitur *relaxatio,* quia lex est vinculum, quod dispensatione solvitur, non universaliter et quoad omnia sed in aliquo casu particulari, pro aliqua persona et non semper quoad totam legem: hinc ratio cur a nonnullis definiatur « *In casu speciali legis relaxatio* » vel « *Provida iuris communis relaxatio* ».

Confirmat rem S. Th. 2. 2. q. 88. a. 10. in 9. « Lex ponitur respiciendo ad id, quod est, uti in pluribus, bonum: sed quia contingit huiusmodi in aliquo casu non esse bonum, oportuit per aliquem determinari in illo particulari casu legem non esse servandam: et hoc proprie est dispensare in lege ». Addidi *ab eo facta* etc. quia patet leges solvi non posse nisi ea auctoritate, qua conduntur.

Distinctio porro actus a facultate dispensandi fieri potest et debet: sicut in qualibet actione distingui potest facultas seu potentia agendi a qua procedit actus, et ipse actus; ita et in dispensatione distingui etiam debet, quia ad legem interpretandi maxime inservit: diversa enim attributa conveniunt utrique. Facultas dispensandi est potestas in legem, sed in actu

primo: actus dispensandi est illius potestatis exercitium. Iamvero si seorsim unum ab altero consideretur, facultas dispensandi in legislatore est insigne atque decus ipsius potestatis, si in persona, cui talis facultas communicatur, habet rationem beneficii. At si haec spectetur quatenus se exserit in actum et terminetur contra legem, a qua facit nonnullos deviare, efficitur aliquid odiosum, sc. laesio et vulnus legis: atqui decus, ratio beneficii et laesionis sunt opposita: ergo. Hinc

Regulae Dispensationis.

I. Regula. *Facultas dispensandi a) per se est favorabilis, b) communicata alteri est latae interpretationis.* 1^m. Liquet, quia non odium sed commodum parit: non odium, quia nullum ius laedit, nisi Principis id libere concedentis: quae si generaliter (scil. non singulis, nec pro uno casu, unaque vice tantum, cum tunc recideret in ipsam dispensationem) data fuerit, recidit in privilegium praeter ius. At commodum parit, ad hoc enim datur. Nam fieri potest, ut lex maximae parti Communitatis perutilis sit, quibusdam vero temporibus aut personis valde molesta, noxia et talis, ut expediret eam non extare. Cum autem omnia adiuncta et tempora eiusmodi haud praevideri, neque in lege condenda exprimi possint; necesse est ut pro omni tempore sit facultas dispensandi. — Patet etiam 2^m. scilicet, communicata alteri est latae interpretationis, utpote quae habet favoris, beneficii aut privilegii rationem: atqui favores ampliandi sunt. Ergo.

II. Regula. *Facultas (communicata alteri) dispensandi, quae sit per accidens praeiudicialis tertio, est odiosa et strictam habet interpretationem, quia non censetur superior derogasse iuri alterius, nisi expresserit.*

III. Regula. *Ipsa vero dispensatio seu actus dispensandi est vulnus legis,* quae per se omnes obligat, unde inter odiosa adcensendus est. Quod legi derogat a iure communi exorbitat, quod a iure communi exorbitat generatim odiosum est. Unde dispensatio strictam admittit interpretationem. Constat

α) *ex CC. 1. et 2. de filiis Presbyter. in 6.*

β) Odia sunt restringenda: unde dispensatus a choro non lucratur distributiones quotidianas. *Sanchez (de Matr. VIII. I. 20).*

Multoque minus admittit extensivam interpretationem. Sic dispensatus ad ordines, qui erat irregularis, non censetur dispensatus ad beneficia *(Corrad. Praxis benef. l. V. 15.)*; nec dispensatio ad beneficium parochiale valet ad *simplex beneficium obtinendum (Barbos. de Off. Ep. 15. Cor. l. c. n. 4.)*: praecise quia recessus omnis a iure est odiosus, et quae a iure exorbitant ad consequentiam non sunt trahenda; et hoc argumentum a maiori ad minus non valet in materia dispensationis (etsi alias valeat regulariter in iure), in privilegiis particularibus et in dispositionibus odiosis: unde dispensatus ad beneficia et dignitates tantum, non est dispensatus ad episcopatum, si ad beneficia, non est dispensatus ad pensiones.

γ) Quod si dispensatio concessa fuerit *ex motu proprio,* vel *communitati* vel *ad bonum commune,* admittit latam interpretationem, quia tunc extenditur etiam ad consecutiva, sine quibus dispensatio in alio prodesset nihil, *Rot. Decis. 1. De temp. Ord.;* ubi dicitur quod si Papa motu proprio, ob publicam utilitatem dispensat cum Episcopo, ut non teneatur consecrari intra tempus datum ad consecrandum; talis dispensatio extenditur, ut possit obtinere priora beneficia: et sic, quando dispensatio fundatur super communi utilitate est favorabilis, sicut etiam quando concurrit favor Religionis, aut animarum salus. *Cf. Corrad. De Dispens. Apost. l. 1. n. 30. S. Alph. Theol. mor. l. I. n. 195.*

δ) In reliquis generalis regula est, quod in quibuscumque dispensationibus seu mandatis ad dispensandum illud ius tantum tribuitur, quantum exprimitur.... ob naturam dispensationis propter recessum a iure stricte interpretandae.

ε) At licet extensivam non admittat, et ceu odiosa strictae sit interpretationis, tamen hanc non admitti *restrictivam* docet *Suar. (de Leg. l. VIII. c. XI. 10),* sensu scil. quo restrictio non debet esse ultra proprietatem verborum, nec tanta ut excludat quae ad valorem et effectum dispensationis necessaria sunt, quaeve cum illo sunt necessario connexa, sed ad illam necessaria: qui dat enim formam, dat consequentia ad formam, alias frustratoria dispensatio esset.

Unde si in verbis nulla est ambiguitas haec accipienda erunt in propria significatione, stricta vel lata prout ferunt.

Unde irregularis dispensatus ad ordines, censetur dispensatus ad omnes ordines *(Suarez de cens. c. 41);* dispensatus ad beneficia, ad omnia beneficia dispensatus habetur *(Sanchez de Matr. VIII. 1. 28);* dispensatus ad beneficium parochiale non cogitur presbyteratum suscipere infra annum *(De Iustis I. c. II. n. 88.).*

ζ) Tandem numquam sic interpretanda dispensatio, ut fiat ei, cui concessa est *onerosa* vel *inutilis:* imo si absque alia dispensatione inutilis foret, haec etiam concessa tacite intelligitur. Hinc minor annis 24, dispensatus ad beneficium parochiale, ad sacerdotium ante aetatem legitimam et ad ceteros inferiores ordines, quibus caret, suscipiendos dispensatus intelligitur. *De Iust. l. I. 2. 93, Suarez l. c.*

Hisce consonat Pyrrhus Corradus qui *l. 1. c. V. 17. 32.* post traditam supradictam generalem reg. « *dispensationibus ius tribui quod exprimitur* », inter limitationes ponit: *dispensatus super aetate ad subdiaconatum potest habere vocem in capitulo.... Dispensatus ad duo beneficia censetur dispensatus super residentia.*

Dispensatio extenditur ad species inclusas necessarias vel antecedentes, e. g. dispensatus ad Presbyteratum censetur dispensatus ad inferiores ordines; dispensatus ad carnes comedendas, censetur dispensatus ad lacticinia; si ad ova, ergo et ad caseum.

Summarium. — Dispensare autem potest 1) qui in legem potestatem habet, seu superior: inferior vero potestate expresse vel tacite a iure aut ab ipso superiore sibi delata, ab huius lege certe dispensat; 2) ita tamen ut sine iusta causa superior valide, inferior autem invalide dispenset. Unde 3) Episcopi non possunt dispensare a lege Concilii generalis vel Pontificis Romani, nisi sint casus in iure excepti.

De auctore dispensandi.

100. 1°. Dispensare potest Superior et inferior. In primis quoad inferiorem dicitur *ipso iure* vel *de iure* fieri, quod ipso iure communi, quo regitur Ecclesia: i. e. quod lege sine auxilio tuitioneque magistratus, et ipsa legis potestate atque auctoritate fit. Hinc ratio distinctionis dispensationis *iuris* scil. et *hominis,* prout ab ipsa lege aut a superiore concessa est: cui additur

dispensatio mixta determinans, scil. quibus in casibus dispensabit superior. De aliis dispensationis divisionibus e. g. iustitiae, gratiae et mixtae ; tacita et expressa : excusabilis laudabilis, damnabilis ; melius redibit sermo, ubi de rescriptis et privilegiis.

Prob. Dispensatio est actus iurisdictionis ; ergo per se dispensare tantum potest qui legem condidit, vel superior eius vel aequalis in potestate successor. Ex *c. 15. § 1. de Temp. Ord., Clem. C. 2. de Elect.* Unde I) neque inferior in lege superioris *per se* dispensare potest ; neque II) proinde quispiam in iure divino ; III) licet Romano Pontifici vera sit potestas legem divinam cum auctoritate interpretandi ac declarandi iis in casibus, in quibus de illa dubitatur « utrum urgeat nec ne ». IV) Inferior vero, potestate expresse vel tacite a iure vel ab ipso superiore sibi delata, a superioris lege recte dispensat.

Constat 1^m^. vel ex *solo,* in omni iure, principio, leges solvi non posse nisi ea auctoritate, qua conduntur : 2^m^. praeter concordem DD. sententiam, patet ex eo, quod lex superioris per inferiorem tolli non potest. *Clem. 2. de Elect.* « *Nos inter caetera semper attendentes, quod lex superioris per inferiorem tolli non potest* ».

Hinc 2^m^. Nemo potest in Ecclesia Christi matrimonium consummatum solvere, nova sacramenta instituere, antiqua abrogare, bigamiam simultaneam concedere. Imo Romanus Pontifex non solum tenetur in semetipso divinam servare legem, sed eam pro suo pastorali munere usque ad animam et sanguinem confirmare *Can. sunt quidam 25. q. 1.*

3^m^. Quod Papa ius divinum valeat interpretari probatur. Certe Christus D. ut bonus paterfamilias gregem suum commisit pastori, qui ex causa omnibus consulere posset ; atqui id non praestitisset, si Petro eiusque successoribus Romanis Pontificibus, generale pascendi oves suas munus demandans, non concessisset potestatem ius divinum in casibus dubiis interpretandi..... ergo.

4^m^. Pariter ex eodem principio constat sc. *leges solvi non posse, nisi ex eadem auctoritate, qua conduntur :* atqui per delegationem ab homine, vel concessionem a iure expresse vel tacite, eadem auctoritas ex legitimo fonte derivata habetur : ergo.

Quae hac in parte dicta sunt Suarez *de Leg. l. 6. c. 14.* probat primo ex Clem.... Et ratio est, quia inferior non potest irritare vel impedire voluntatem superioris, non solum ipso invito, sed etiam ipso non consentiente: ergo non potest dispensare in lege eius propter solam non prohibitionem specialem: sed necessaria est positiva concessio per voluntatem expressam, vel saltem tacitam aliquo sufficienti modo significatam. Patet antecedens *physica ratione,* quia inferior virtus nequit impedire Superiorem; *morali ratione,* quia recta gubernatio postulat ut voluntas superioris praevaleat contra voluntatem *inferioris,* nisi superior ipse cedat: atqui cedere hic ostendit nonnisi per positivum consensum seu concessionem; cum dispensatio auferat voluntatem superioris et impediat effectum eius in casu particulari.

De causa dispensandi.

101. 2°. *De causa seu motivo dispensationis.* Quaestio est *utrum et quatenus pro validitate dispensationis requiratur iusta causa dispensandi.* Qua in re illud advertatur α) nos hic agere de dispensatione a lege, qua certe obstringatur dispensandus: dispensatio enim est exemptio alicuius ab obligatione legis; ergo si non est obligatus non indiget exemptione. Unde si probabiles rationes dubiam reddunt legem pro aliquo constituto hisce in adiunctis, ita ut ipsum lex probabiliter non attingat, lex ob mutationem materiae cessat ex se: iuxta illud *lex dubia non obligat;* nisi quis cum probabiles habeat rationes, ad cautelam postulare dispensationem velit. Attamen β) cum id spectari possit tam in foro interno, quam in foro externo, ad nostram disciplinam pertinere forum externum, in quo ad valorem iuridicum respicitur, quod evincitur ex allegatis et probatis secundum iura: γ) nomine iustae causae venire quodcumque rationabile motivum dispensandi ab aliqua lege.

Porro causae iustae dispensandi quae ex stylo Curiae recipi solent, sunt sequentes: I. personae merita, quae iuvant ad impetrandam dispensationem circa sublimes et literatas personas; II. ratio necessitatis, cum e. g. Ecclesia indiget ministro et nullus alius reperitur idoneus; III. causa est loci, cuius ratione ali-

quid conceditur quod alias non concederetur, *c. ad audientiam 1. de Eccl. aedif.* ubi notatur, ob loci distantiam posse construi Ecclesiam in alicuius paroecia etiam in praeiudicium alterius; IV. est causa temporis: e. g. cum agitur de *neoconversis;* cum iis facilius dispensatur in 4°. gradu consanguinitatis, quam cum aliis, ad fidem melius promovendam, ac propagandam; V. causa est utilitas Ecclesiae: utilitas autem et necessitas in materia dispensationis quandoque aequiparantur; VI. est causa aetatis, ob quam facilius quis dispensatur, quia si est aetas infantilis, quidquid vidit, ignorat; ideo non potest pro delicto puniri infans, cum nequeat huic plenus esse adhuc rationis usus; VII. causa est scandalum removendum; VIII. est maius bonum; IX. causa est futurum bonum, e. g. si dispensatur cum haereticis ut facilius convertantur; X. causa est eventus rei: e. g. facilius dispensatur in iam factis, quam in faciendis etc.

Cf. Corrad. Prax. disp. l. 1. c. 1. n. 12, qui praesertim heic n. 10 ait: « Cum vero causa in qualibet re sit in in primis con-
« sideranda; id potissimum locum sibi vindicare dignoscitur in
« rescriptis dispensationum, circa quas operatur ut faciat rece-
« dere a regulis iuris... dummodo illa per tria requisita redda-
« tur iusta et honesta, scil. quod secundum aequitatem sit licita,
« conveniens honestati et expediens secundum utilitatem. Et
« licet secundum varios effectus possit ipsa causa capi diversi-
« mode, iuxta tamen propositam materiam sufficit illam dupli-
« citer considerare, *finalem* scil. et *impulsivam.* Finalem eam
« dicimus, quae est ipsius Principis dispositionis inductiva....
« scil. quae in toto et funditus movet animum disponentis, qui
« alias non esset dispositurus, aut illa non allegata petitam
« gratiam denegaret; unde magis attenditur causa finalis, quae
« est causa causarum, quam causa impulsiva. Ipsa vero causa
« impulsiva est, quae non est proprie causa, sed quoddam mo-
« tivum ad magis adiuvandum concedentem: et tunc talis etiam
« dicitur, quando ipse Princeps gratiam quidem concederet, non
« tamen ita de facili, cum illa simpliciter occasionem praestet ».

Si superior dispenset *in lege sua vel in lege inferioris,* dispensatio etiam absque ulla causa in foro externo est valida. Nam dispensatio est solutio vinculi; atqui illius est solvere cuius est ligare: obligatio enim legis pendet a voluntate legis-

latoris; si ergo hic vult aliquem ab eius obligatione eximere, sive cum ipso dispensare, etiam sine causa, valebit dispensatio. Etenim generi per species derogatur; et cum legislator leges posset pro lubitu omnino tollere, cur etiam non eximere aliquem ab eius obligatione, etsi causa nulla exsistat?

Vel in *lege inferioris;* quia subditi sui inferioris sunt et subditi ipsius. Habetur vel quasi datio rei suae.

Si tamen illa dispensatio laboret vitio obreptionis, aut subreptionis, vel habeatur laesio iuris alterius; tum, si vitium probetur iuridice, est invalida. Nam actus non operatur ultra intentionem agentis: de facto autem dispensatur sub conditione, si preces veritate nitantur. Et quia plus valet quod est in rei veritate, quam quod in opinione est; non proderit, si eam subesse; et contra non oberit, si deesse falso putaverint. *Sanchez de Matrim. VIII. 17. 8.*

Causa porro probe cognoscatur et valde serio discutiatur oportet; hinc videndum utrum aliquid veri reticentia occultatum aut falsi aliquid in petitione inductum sit.

Quae si serventur, etsi valida, non tamen semper licita erit. Nam cum dispensatio sit legis vulnus, merito cavit Ecclesia, ne nimium dispensationibus indulgeatur. Hinc urgens et iusta causa aut maior utilitas, qua tale vulnus compensetur, semper exigenda erit. Ad rem Trid. Syn. *Sess. 25. c. 18. de Ref.* « *Quod si urgens iustaque ratio, et maior quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur* ».

Ubi α) gratis quidem dispensatio facienda est: quod si *mulcta* quaedam seu taxa imponatur dispensato potenti solvere, ea non officit principio: quoniam nihil percipit dispensans, sed vel in officialium substentationem vel in *ss. Missionum* commodum atque eiusmodi piae causae bonum cedit.

β) Causa cognita, quia causa movet ad dispensandum qua cognita est.

γ) *Inferior* dispensans in lege superioris *sine iusta causa, invalide dispensat.* Non enim potest dispensare, nisi quatenus a superiore concessa fuerit facultas dispensandi: atqui hanc non

concessit superior nisi in casu iustae causae, secus illa facultas cederet in praeiudicium boni communis, et simul adversaretur fini legis. Adde, quod qui nomine alterius sine causa dispensat, dissipat. *Suarez l. c. l. 6. c. 10.*

102. 3°. Quaer. *an Episcopi per se dispensare possint a lege Concilii Oecumenici vel Romani Pontificis? Respondeo.* Regulariter loquendo non potest Episcopus dispensare *ab Ecclesiasticis canonibus* sive Conc. Oecumenici sive Rom. Pontificis, nisi sint casus excepti. Iam a saeculo superiore magna lis hac de re fuit excitata. Erant qui Episcopis dispensandi facultatem in legibus dictis tamquam ordinariam et in regula tribuebant: ac pro exceptione statuebant casus, in quibus dispensatio soli Rom. Pontifici reservaretur eo modo, quo absolutio ab excommunicatione per canones lata pertinet ad Episcopum, nisi Pontifex eam specialiter sibi retineat, *c. 9. de sent. excom.* « *Quia tamen conditor canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi* » ergo etiam dispensare poterit Episcopus ubi id sibi non reperitur expresse prohibitum. Alii vero plurimi contradicebant ita, ut nunc nonnisi una esse debeat omnium sententia: ut S. Alphonsus advertit, qui cum olim probabilem opinionem affirmativam, posse scil. Episcopos in legibus superioris dispensare, quando dispensatio non est reservata; post re melius perpensa, tenendam esse omnino nagativam affirmat. Hinc verbis *Gonzales in 15. de temporibus ordination.* regulam proponimus: « Dispensatio non est ex his, quae competunt si non prohibeantur: sed ex his, quae non competunt, nisi concedantur » seu « a Iuris canonibus dispensatio intelligitur *a*) prohibita nisi *b*) ubi eis reperitur concessa vel expresse, vel saltem tacite » cuius partis 1^m^. *membrum. prob. sic.*

1) *Ex can. nulli fas sit 25. q. 1. c. quod super his 9. de mai. et obed.* Si quidem Episcopi sunt canonum magistri et custodes *can. cum quibus c. 24. q. 3.*

2) Imo non solum canones custodiri debent, sed expresse ipsis praecipitur, ut eos ad unguem observent *can. Igitur* et *can. Institutionibus 25. q. 2.* Hinc graviter reprehenditur Episcopus, qui cuipiam eadem die duos ordines sacros contulit, quamvis de mandato metropolitani, ut ille aiebat, et subditur: « *Tum*

quia si de mandato Archiepiscopi constaret, cum illi huiusmodi dispensatio a canone minime sit permissa, ipsi obtemperare non debuit ». *C. Dilectus 15 de Temp. ord.*

3) *C. penult. de Filiis presbyter.* irritae declarantur dispensationes contra iuris dispositionem factae per aliquem Papa inferiorem.

4) Similiter quod contra decreta Conciliorum Oecumenicorum Episcopus dispensare non posset, docet Glossa communiter recepta *in C. Dilectus 15. de temp. Ordin.*

5) Dispensatio est actus iurisdictionis: atqui Episcopus velut inferior non habet iurisdictionem respectu Romani Pontificis aut Conciliorum Oecumenicorum vel horum Constitutionum. Unde et hic valet pronunciatum *in Clem. Ne Romanis § 1. de Elect.* « *Lex superioris per inferiorem tolli non potest, sive abrogando, vel contrarium statuendo, sive etiam dispensando nisi eidem concedatur* ».

6) Generalis est doctrina a S. Thoma tradita *1. 2. q. 97. a. 4. ad 3.* « In lege humana publica non potest dispensare nisi ille, a quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commisit ».

7) Falsum porro est argumentum adversariorum petitum e censuris, a quibus absolvere quisque potest, si non sint reservatae. Nam absolutio fit secundum ius, quod non vult ut quis in excommunicatione vel peccato perseveret aut decedat: dispensatio e contra fit contra ius, et est vulnus iuris: hinc merito illa facilius conceditur quam ista; secus etiam parochi dispensare possent in omnibus legibus Pontificis, ubi dispensatio non et reservata: quippe et ipsi ab omnibus censuris non reservatis possunt absolvere. Et sicut hoc ius ipsis esset ordinarium, scil. vi officii, ita possent aliis delegare, quod nemo admittet. Ergo.

Obiic. Natalis Alex. Episcopum posse in sua dioecesi, quod potest Papa in tota Ecclesia.

Respondeo cum *S. Alph. de Lig. Mor. l. 1. n. 191.* id dici aliquo modo posse de iis rebus, quae spectant ad communem directionem animarum, et sunt moraliter necessariae; sed ad hunc censum non pertinere dispensationes a legibus canonicis; exceptis casibus, prout commune bonum postulat, dispen-

sationis dandae, vel in rebus frequenter occurrentibus vel in necessariis etc.

2m. *Membrum* prob. ex inductione enumerando casus in quibus ex concessione iuris aut ex rationabiliter praesumpta licentia Romani Pontificis potest Episcopus dispensare. Casus sunt sequentes:

1°. Si vel lex ipsa dispensationem *permittat:* nam si verba aliquid operari debent *c. 10. § 1. de Privil. in 6°.* cui nisi inferiori permittitur *Suar. de Leg. l. VI. c. 14. n. 8.* e. g. si in lege dicatur *poterit dispensari ut in C. 5. de Elect., vel nisi fuerit dispensatum vel donec dispensatur.* Accedit quod facultas dispensandi sit favorabilis, hinc latae interpretationis. Nihilominus addatur quod haec regula fallit 1°) quando ex contextu verborum aut ex stylo curiae, aut ex consuetudine aliud apparet, prout *in cap. 5. Sess. XXIV. Conc. Trid.,* ubi quamvis Concilium impersonaliter concedat facultatem dispensandi in impedimentis matrimonii, quando hoc bona fide, et adhibitis solemnitatibus contractum fuit; tamen ad solum Papam non ad inferiorem spectat; *Reiff. in tit. De Const. n. 467 seqq.;* 2°) quando dispensandi sunt ipsimet ordinarii, qua tales sunt, ut *in c. 2. de Bigam.*

2°. Casus *magnae necessitatis vel evidentis utilitatis* de novo emergens, et periculum sit in mora, nec facile ad Romanum Pontificem recurri potest. Ita *a) Abbas c. At si clericis, Rebuffus, Sanchez, Barbosa, Pirhing, Castropalao, Diana et alii: b)* quia in tali casu ex rationabiliter praesumpta voluntate Romani Pontificis, censetur Episcopus commissam sibi habere facultatem dispensandi: cum hoc videatur exigere pastorale officium Episcoporum, secus oves ipsis concreditae hoc in casu necessariis destituerentur auxiliis: *c)* accedit textus optimus *can. Tali c. 17. et c. Exposuisti 22. de Praeb.* ubi in casu, quo urget evidens necessitas vel utilitas exigit, expresse tribuitur Episcopis facultas dispensandi contra decreta quorumdam canonum; ergo idem dicendum de similibus, e. g. in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, in votis reservatis et similibus. *S. Alphon. Theol. mor. l. 1. n. 190.*

3°. Casus est *vis consuetudinis praescriptae.* Consuetudo enim legitime praescripta tribuit iurisdictionem *(Reiff. l. c. n.*

474. ubi allegat. Cap. Duo simul. De offic. iud. ord. et ibi Glossa et Cap. Cum contingat De foro compet. iuncta Glossa). Cf. et Suarez l. c. l. VI. c. 14, Barbosa, Pirhing. Hinc, ista semel obtenta, redditur dispensatio valida, quae alioquin invalida foret. Ex hoc capite Episcopi dispensant in legibus latis a Synodo Provinciali, nempe in Dioecesi quisque sua.

4°. Casus est si *eaedem res frequenter occurrunt* et saepe dispensatione egent *S. Alph. l. I. n. 192.* e. g. in ieiuniis ab Eccl. indictis, in votis Papae specialiter non reservatis et eiusmodi. Ita α) Navarrus, Diana, Suarez, Palao: β) cum satis verosimile non sit Romanum Pontificem velle, ut in necessitatibus quotidianis seu casibus adeo frequenter occurrentibus semper ad ipsum, utpote gravioribus curis distentum, fiat recursus; alioquin gubernatio Episcoporum nimis odiosa redderetur; si potestate sua ordinaria non possent hi consulere necessitatibus fere quotidie occurrentibus. Dixi *ordinaria* quia talis facultas ei competit vi officii, atque est huic adnexa. Adde, quod in talibus saepe non potest tam cito Sedes Apostolica consuli, prout praesens rerum qualitas postulat.

5°. Casus est si *materia legis sit levis:* qua in re cum Salmanticensibus levia accipimus, quae sub levi obligant, vel quae consuetudo solet explicare. In hisce enim levibus et quotidianis semper praesumitur Romanum Pontificem concedere facultatem dispensandi: esset enim nimis onerosum Episcopis in minimis recurrere ad Papam, estque notum in moralibus « *parum pro nihilo reputari* » *L. Scio ff. de restit. in integ., Suarez l. c. l. 6.*

6°. Casus est *cum dubitatur an casus indigeat dispensatione.* Nam α) *arg. cap. cum desideres § secundo de sent. Excom.* β) Nam stante dubio an res indigeat dispensatione, vel potest Episcopus, pensatis pensandis, declarare eam non requiri, vel ad cautelam dispensare. γ) Accedit auctoritas DD. e. g. Sanchez, Laymann, Barbosa, Sa, Diana apud Reiffenst. δ) Insuper reservatio dispensationis est odiosa, *utpote coarctans* libertatem: sed in dubiis libertati favendum, ergo restringenda est ad casus certos.

Nota 1ª. *In omnibus casibus dubiis* e. g. impedimentis Romano Pontifici reservatis. Unde si postea apparuerit Romani

Pontificis dispensationem fuisse necessariam, sufficit ea nihilominus, quae ab ordinario data fuerit *cf. Suarez, Lugo, Lezzana votum pro Rege n. 4. de Iust. II. 2. 71.*

Nota 2ª. Et episcopi in casibus supradictis dispensant velut ordinario iure suo, seu est eorum ordinaria potestas, unde Sede vacante, competit etiam Capitulo. Et haec est communissima sententia. *Cf. Salm. XI. 5. 37. Reiff.* et alios, adeoque Episcopus sive per se sive per alios dispensare potest: et licet facile adiri possit is, qui ex privilegio Romani Pontificis habet potestatem dispensandi. *S. Alph. I. 190. 192. fin.* Et quod heic de legibus dicitur ad eas quoque pertinet obligationes, quae ex facto nostro *statum capiunt,* quoties dubium est huiusmodi factum, *Sanchez Dec. IV. 44. 10.;* prout verba reservata, *S. Alph. l. c. Item post.*

Praeterea Episcopus iure suo ordinario dispensat in legibus Pontificiis latis pro sua Dioecesi, quippe habentur instar legum dioecesanarum. *Sot. 1. VII. et 3. Salm. XI. 5. 39. S. Alph. I. 190.* quamvis *Suar. l. c.* dissentiat.

103. 7°. *Dispensant Episcopi ab irregularitatibus ex delicto occulto.* Casus hic additur a pluribus, qui alibi a caeteris adduci solet, et merito: quia agitur de absolutione a reservatis. Attamen cum agatur de dispensatione ab irregularitatibus ex delicto, heic explicari potest. Non debet utique permisceri facultas dispensandi cum facultate absolvendi: illa pertinet ad omnes irregularitates et suspensiones ex delicto occulto et nondum deducto ad forum contentiosum, haec ad omnes casus occultos Romano Pontifici etiam post Concilium Tridentinum reservatos: exceptis reservatis Ei speciali modo in *Constitutione Apostol. Sedis.* Recte ergo quidam hic apponunt hunc alium 7ᵐ. casum propter irregularitates etc. circa quas per se non absolutio sed dispensatio requiritur. Et cum irregularitates plures oriuntur ex delicto reservato plerumque Romano Pontifici, hinc nexus cur etiam de absolutione, in quam sermo hoc 7°. casu discurrit, intelligatur.

Dispensare posse Episcopos in casibus papalibus occultis auctor est Concilium Tridentinum *Cap. Liceat 6". Sess. XXIV. de Ref.* « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et sus-« pensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea « quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis « ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque ca-

« sibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes « quoscumque sibi subditos in Dioecesi sua per seipsos aut « vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae « gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in « haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non « eorum vicariis sit permissum ». Ad quod caput explicandum advertere volumus nos tantum *a*) quid sit *occultum delictum* et *ad forum contentiosum non deductum; b*) et cur dicatur *etiam post Conc. Trid. reservatum.*

1m. Scil. ad forum *contentiosum deductum aliquid* accipimus, cum iudex per narrationem negotii causam audire coeperit: quod eo spectat ne ordo iudiciorum et iurisdictionum perturbetur, *cf. L. 1. C. De lit. cont. Schmalz. V. 37. 113.* Quidam docent tunc dici deductum ad forum contentiosum, cum probatum fuerit saltem per unum testem: sed hoc est alienum a iure ex *L. 37. de Noxal. action. L. 17. de A. et O.* Dicitur: *Occultum:* quod pertinet ad evitanda scandala (Sanchez M. VIII.), atque ideo occultum accipere debemus *quod non est notorium et potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquot testes probari possit* (1), dummodo adhuc latere queat, adeoque non deductum ad forum contentiosum.

Proinde occultum dici nequit quod sciunt paucissimi quidem sed rimosis auribus; vel quod alibi publicum est, si exinde pervenire facile potest eo loci notitia, ubi danda est absolutio, dispensatio.... S. Alph. VII. 78.

Porro duobus modis occultum dicitur: *materialiter, quando factum latet; et formaliter,* cum ipsum quidem scitur, sed aut culpa, quae facto, aut poena, quae culpae forte cohaeret, ignoratur. *Quando factum latet* i. e. quamdiu non est publicum neque facto, neque fama, neque iure. Porro facto publicum aliquid dicitur ubi *palam admissum: fama* ubi divulgatum est

(1) Quod non est notorium... S. Alph. *VI, 593, V.* Hic autem nota cum Suarez, Sanchez, Azor, Bonac. et ut ipse testatur *aliis innumeris,* sive ut alibi docet S. Alph.: ut crimen dicatur non occultum, requiritur ut sit notum fere omnibus, vel saltem maiori parti oppidi, viciniae, Collegii.... Lib. VII, 79. Itaque occultum rectissime dicitur etsi 5. vel 6. in aliquo oppido id sciant, aut septem vel 8. in aliqua civitate. S. Alph. I. App. II. 33, VI. 593. IIII.

(fama est si penes maiorem; rumor si penes minorem viciniae partem aliquid percrebuerit *ex C. 5. de eo qui cognovit. Sanchez M. 1. 71. 28. Schmalz. in l. IV. 13. 33. S. Alph. VI. 593* (1). Demum *iure,* de quo scil. reus in iudicio aut condemnatus fuit aut evictus aut confessus *(Lug. De Iust. XIV. 69. S. Alph. VII. 141.),* postquam id innotuerit (2) *Laym. l. 3. de Iust. Tr. III. P. 2. n. 4.* Dixi aut *culpa aut poena ignoratur Bened. XIV. Not. 87. 42. 48.* Puta Osius Clericum occidit: si is creditur fato suo obiisse, factum erit materialiter occultum: si scitur fuisse occisum ab Osio, sed vel is occidisse fertur defensionis causa, vel ignoratur homicidam fieri irregularem, erit occultum formaliter: nempe illinc errore facti, hinc iuris errore.

Quoties igitur requiritur ut res *sit occulta,* sufficit eam occultam esse vel *formaliter tantum:* seu ex errore facti, quod nemo dubitat, seu ex errore iuris, quod est communius. Insuper quod olim fuit publicum, si postea obliteratum fuerit, pro occulto est, dummodo longum tempus effluxerit. Immo si non est publicum ubique locorum, ubi ignoratur, pro occulto erit, nisi eius notitia facile eo sit perventura. Denique si reus fuerit absolutus, delictum quasi occultum reputabitur: tametsi iniuste, vel ex falsis testibus, vel malis suis artibus et tantum ab instantia absolutus fuerit: non item si condemnatus, etsi poenam luerit. *Cf. d' Annib. Prol.* § *243* (3).

(1) Seu aliis verbis hi duo modi exprimi solent 1. *Publicum* dicitur quod ita iam est notum, ut nullo modo celari aut negari amplius possit: et sic coincidit cum notorio. 2. *Publicum* vocatur quod ita iam est manifestum, ut de eo iam existat fama.

(2) Ab his tribus modis distinguitur quod dicitur *probabile et aliquo modo publicum,* h. e. saltem cognitum duobus, ita ut in iudicio probari posset, si ad illud deferretur.

Cum publico sub hac ratione *probabilis* coincidit *quasi occultum.* Nam non occulti solent distingui duo gradus: 1. quod ita latet, ut nulla ratione probari in foro externo possit, e. g. actus interni, de quibus iudicat solus Deus: 2. quod tantum ita latet, ut absolute quidem probari posset, quibusdam tamen sed paucis e. g. duobus vel tribus cognitum est, nec pluribus quam quinque personis innotescit, nec in iudicium defertur: illud omnino occultum vel simpliciter occultum dicitur, hoc vero quasi occultum. Cf. *Pichler in tit. de accusation. n. 37.*

(3) In dispensationibus matrimonialibus maxime attendi debet distinctio, inter *occultum* et *publicum* scil. impedimentum. Nam 1 impedimentum,

Hisce praenotatis ab verborum intelligentiam, quoad 2m. praecipue, quaeri potest *utrum episcopi, vi huius facultatis tridentinae absolvere possint in casibus occultis reservatis a Pontifice post Concilium Trident.* Quaestio vel refertur ad tempus ante Bullam *Apostolicae Sedis* Pii IX (12 Octob. 1869), vel ad tempus post et nunc in praesens.

Si refertur ad 1m. *Resp.* duplex aderat sententia; valeant pro affirmativa Sententia quae *P. Ballerini* congesserat *in not. 6. et n. 124. vol. II. P. Gury Theol. Mor.:* nunc illud solum revocetur in mentem contra Fagnanum et alios quosdam, quod Diana, et postea ipse P. Baller. ait: « Hisce rationibus accedit argum. petitum ex Xysti V. *Effrenatam 29 Octobr. 1588* contra procurantes abortum. Dum enim sibi reservabat tum absolutionem a peccato et censura, tum dispensationem ab irregularitate quoad clericos huius criminis forte complices, expresse derogandum censuit Privilegio Episcopis concesso a Tridentina Syn., ut ab occultis papalibus possint absolvere: atqui nil

quod notum est duabus vel tribus personis in parvo oppido, quinque aut sex in parva urbe, septem vel octo in civitate, occultum dici potest in respectivis illis locis, modo non habeatur divulgationis periculum, videlicet ex circumstantiis non appareat, rem quidem nunc occultam esse, facile tamen publicandam. — E contra quod pluribus personis in dictis locis notum est, vel quod, quamvis pluribus notum non sit, manifestandi tamen periculum sit, impedimentum publicum dicitur. — Ut autem iudicetur num immineat periculum manifestationis, advertatur oportet, qualibus personis cognitum sit impedimentnm, num personis consanguineis, amicis, inimicis, loquacibus, prudentibus, imprudentibus...

Unde non occultum sed publicum dici debet impedimentum, quod *notorium* est *iure,* sc. quod constat ex confessione rei in iudicio, aut ex sententia iudicis — quod *notorium* est *facto,* seu quod constat quia publice factum, absque iudiciali notitia publicum est, ideoque nulla tergiversatione celari potest — quod est *manifestum,* scil. quod aliquibus personis certo constat, et insuper incerto rumore per communitatem spargitur; *Bened. XIV. Inst. 87. n. 40* — quod *famosum* dicitur seu quod publice, licet ut dubium, attamen gravibus nixum motivis divulgatur et creditur a prudentibus.

Distingui quoque solet ab impedimento simpliciter occulto impedimentum *omnino occultum,* quod scil. *solis oratoribus innotescit,* vel quod nullo pacto demonstrari potest, et Dei solum iudicio permittitur: hinc cum in rescripto dispensationis super impedimento criminis ex coniugicidio clausula inseri soleat, dummodo impedimentum *omnino occultum sit,* tunc necessarium est, ut delinquentibus solis innotescat. Bened. XIV. l. c. n. 44.

opus fuisset huic privilegio derogare, si ad casus post Trid. Synod. reservatos privilegium se non extenderet. Ergo. Et argumentum validius pro affirmativa sententia exhibet dicta Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis,* in qua non videtur de novo concedi, sed iam existens confirmari Privilegium tridentinum sese extendens etiam ad casus reservatos post Conc. Trid.

Si 2m. dicatur, scil. nunc in praesens omnino per verba eiusdem Bullae citatae a Ballerinio, *ipsis Episcopis conceditur dicta facultas imo ut iam concessa confirmatur* (1).

Solum discrimen, addit Ballerini, inter novum ius et vetus in eo residet, quod in priori exciperentur casus in Bulla Coenae contenti, et censurae adversus violantes clausuram Monialium latae; in recentiori autem excipiantur tantummodo casus speciali modo Apostolicae Sedi reservati, qui sunt 12; quibus addenda sunt 1°) interdictum contra Universitates, Collegia et Capitula ab ordinationibus seu mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia, 2°) *ex Decl. S. Congr. Inq. 17. Iun. 1866 et 4 Apr. 1871* personae cuiuscumque sexus falso denunciantis sacerdotem de sollicitationis crimine in confessione.

Summarium. — Hinc differentia percipitur dispensationis ab absolutione, a licentia, a privilegio, ab epicheia.

104. *Patet* 1m. Magnum adest discrimen inter dispensationem et absolutionem sive censurae sive peccati, quam nonnulli cum illa confundunt. Nam α) absolutione quis eximitur non a lege, sed ab effectibus sequutis ex lege violata, quaeque respicit praeteritum; sed dispensatio eximit a lege et respicit futurum: β) quia absolutio non datur contra sed secundum ius, et per absolutionem potius impletur lex quae iubet, ut dispositus absolvatur: numquam vero iubet ut dispensetur. Et re quidem vera absolutio sive a peccatis sive a censuris seu

(1) En verba Pii IX *Const. Apostolicae Sedis* prope finem « Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a tridentina Synodo episcopis concessam (Sess. XXIV. c. 6. De Ref.) **in quibuscumque censuris** Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus ».

poenis non datur, nisi supposita dispositione ex parte poenitentis et potestate ex parte absolventis: atqui tunc nulla lex per talem actum relaxatur; quia potius tunc lex praecipit poenitentem absolvi in eo eventu, ut patet in absolutione a peccatis. Sed patet et in absolutione a censuris, quia censura non est de se poena perpetua vel ad definitum tempus, sed donec a contumacia recedatur, cum sit poena medicinalis; et ideo in sua ratione includit, ut ablata contumacia, ipsa etiam tollatur, ut iura disponunt: ergo absolutio non est vulnus, uti dispensatio, sed potius executio legis: γ) Idem non potest absolvere seipsum; sed potest secum dispensare: δ) dispensatio quoad exercitium est stricti iuris seu odiosa; absolutio est favorabilis: ε) in indultis pontificiis haec duo distinguuntur, et concessa potestate absolvendi, non censetur concessa potestas dispensandi; nec e contrario; ergo differunt.

Patet 2^m^. Differt *Dispensatio a licentia,* quae et ipsa non est contra ius, sed secundum ius: est simplex facultas qua non aufertur obligatio legis, sed conceditur operatio, ut fiat iuxta modum a lege praescriptum. Unde qui habet potestatem dandi licentiam (e. g. Praelatus religionis in voto paupertatis ad aliquid donandum) non habet potestatem dispensandi (e. g. in paupertate *c. Cum ad Monasterium, De Statu Monach.*) scil. nil in eo genere concedere potest, nisi iuxta legis rigorem. Actus ergo, ad quem datur licentia non censetur a lege prohibitus: sed solum non ponendus, nisi de iudicio superioris, e. g. ne Religiosus domo exeat, aut ne aliquid emat sine superioris licentia. Plures sunt eiusmodi leges et statuta: quae non prohibent aliquid simpliciter, sed ne fiant, nisi tali facultate ita concessa: tunc ergo dare facultatem non est dispensare, sed servare legem. Et si quando dicitur licentia dari, quia lex aliquid prohibet (e. g. legere improbatae lectionis libros), id non absolute, sed donec quaedam impleatur conditio, est intelligendum. Unde etiam patet licentiam, licet iuri accommodata esse debeat, non esse stricti iuris.

Constat 3^m^. Dispensatio scil. differt *a privilegio*, quod dicitur lex privata aliquod concedens beneficium. Neque enim privilegium est semper contra ius, neque ad unum aliquem actum tantum extenditur, sicut dispensatio. Ad rem d'Annib.

Summula v. 1. n. 230. « Dispensatio solvit vinculum legis: porro hoc vinculum aut unicum est aut multiplex: unicum, quod unica dispensatione finitur, ut puta dispensatio a voto castitatis, ab irregularitate etc.; multiplex, quod renascitur, ut e. g. (vinculum) ieiunii, horarum canonicarum etc. Hoc autem solvitur dispensatione, vel pro *unico actu,* puta si dispensatus fueris ab horis canonicis hodie recitandis; vel *in diem,* veluti si fueris dispensatus quamdiu in peregrinatione eris; vel *in perpetuum,* e. g. si dispensatus fueris a recitatione officii sic et simpliciter: 1ª. dispensatio unica est, 2ª. virtualiter multiplex, 3ª. *est magis privilegium contra ius, quam dispensatio* ».

4ᵐ. Dispensatio *differt ab ephicheia,* quia dispensatio tollit, epicheia interpretatur legem; seu illa solvit a vinculo legis iam ligatum, haec declarat non esse hisce in adiunctis ligatum seu carere vinculo. Hinc si Episcopus in pari dubiae valetudinis causa dispensaverit Titium a ieiunio, Caium vero non egere dispensatione declaraverit, et postea iudicio medici apparuerit neutrum affici gravi incommodo; Titius impune praetermittit ieiunium, non vero Caius: cum quoad istum epicheia tantum usus sit. Sic confessarius simplex epicheia quidem uti, sed non dispensare potest.

Hinc probe erit distinguendum inter το *dispensare, irritare et declarare exemptum.* Prius pertinet ad superiorem et exercetur per actum iurisdictionis, quae quempiam aut quospiam ab aliqua lege, aut partim aut ex toto solvit, legifera utens potestate, quia illius est solvere, cuius est ligare. Alterum pertinet ad habentem dominium in alterius voluntatem et quatenus e. g. maritus, qui dominium habet in uxorem et filios, potest obligationem alicuius voti ab illis emissi irritare. Tertium vero pertinet ad doctorem aut ad medicum, e. g. cum agitur de ieiunio, an noceat ita ut quis excusetur, et tunc nulla intercedit iurisdictionalis aut dominativa potestas.

Adverte quoque discrimen inter dispensare et permittere ex dictis patere. Nam dispensatio datur cum legis obligatio, complectens personas huius communitatis, ab hac persona tollitur et manet circa reliquas: permissio vero non tollit obligationem legis si sit ad actum malum prohibitum, sed datur cum quis violat legem impune.

Insuper *permittere* apud Latinos idem est ac *sinere, tolerare concedere:* sed apud Iuristas tripliciter accipitur: 1. quod nullo iure prohibitum est, permissum dicitur, *c. Hac ratione 41. q. 1.;* 2. deinde quando contra humanas constitutiones aliquid indulgetur, ut in *c. Quodam Cau. 15. q. 3.;* 3. quando permittitur illicitum, ut vitetur id quod est magis malum *c. Si quod verius Cau. 33. q. 2.* Pariter permissio contra legem triplex est: 1ª. est permissio *simplex,* qua indulget *poenam* sed *non culpam, c. Denique, dist. 4;* 2ª. est permissio *removens impedimenta,* qualiter Ecclesia permittit ritus Iudaeorum, prohibens Christianis ne illos impediant ob sequens inde bonum *c. Quod sinceram, Dist. 43;* 3ª. est permissio *coadiuvans,* ut cum Ecclesia permittit Clericum occidi iuste a iudice laico, eum degradando et tradendo iuxta *c. Degradatio, de Poenit. in 6.* Unde discrimen inter concessum et permissum: quia concessum in moribus dicitur, ut opponitur *prohibito,* ac idem valet ac *licitum:* et est quidquid nec in iure canonico nec in iure civili reperitur expresse prohibitum *c. Qui spirituale Cau. 3. q. 4.* Barbosa *axiomatib. iuris axiomate 46.* Unde quoque patet non idem esse dispensare ac tolerare.

An debita sit dispensatio.

Summarium. — Etsi causa sit iusta a) non tamen tenetur superior dispensare, b) nisi cum vel ius praecipit ex ea causa dispensari, vel necessarium est ad commune bonum, vel spirituale subditi, vel ad avertendum grave damnum aut publicum scandalum, et quod sine dispendio fieri potest.

105. 1°. Supposita iusta causa, *quaeritur quandonam debita esse potest dispensatio?* Respondemus in hac parte: generatim dispensatio quandoque potest esse iusta et non debita: in 2ª. quandoque eam et iustam et debitam esse affirmamus: 1ᵐ. partem tenet etiam Suarez *l. 6. c. 18. n. 19 de leg.,* et Sanchez, qui, *de Matrim. l. 3. disp. 10. n. 10* agens, de dispensatione a proclamationibus Matrimonii scribit « secunda sententia, cui adhaereo, tenet non semper existente iusta causa dispensationem esse debitam, sed quandoque esse debitam, quandoque autem gratiam ». Et re quidem vera potest esse ex misericordia vel mera liberalitate, sine gravi tamen necessitate subditi et sine praecepto positivo: atque tunc est et vere gratia appellatur in iure. Ergo.

106. Heic exhibentur casus, in quibus Doctores conveniunt debitam esse dispensationem 1°. Casus est: Nisi *cum vel ius praecipit,* sc. ex *iuris praecepto,* e. g. quoties adsignando aliquam causam dispensationis utitur legislator verbis praeceptivis ordinando, ut tali exsistente causa, concedatur dispensatio. E. g. tenetur Episcopus dispensare clericum a residentiae lege ob rationem studiorum ex *c. Cum ex eo 34. de Elect. in 6.* Id maxime fieri solet in dispensationibus circa poenas post condignam satisfactionem: e. g. *can. Dño Sancto 28. Dist. 54.* praecipitur, ut per dispensationem restituatur loco suo is, qui ob crimen deiectus ab eo fuerat et poenitentiam egerat.

2°. Casus est: *Per praeceptum ab homine* e. g. in dispensationibus, quas R. P. concedit remittens causas Ordinariis vel discreto Confessario, *mandans ut dispenset,* si preces veritati nitantur; et tunc impleta conditione dispensatio debetur.

3°. Casus est, si dispensationem necessario exigat bonum spirituale postulantis aut grave periculum animae evitandum; tunc debita erit ex officio atque ideo ex iustitia, quia praelatus in his casibus tenetur providere saluti subditorum, propter quos est potestas.

4°. Casus est, a fortiori si agatur de communi bono et de publico scandalo evitando et eiusmodi. Sic debita est dispensatio in interstitiis si id valde cedat in utilitatem ac multo magis si in necessitatem Ecclesiae. Huc spectant Augustini verba in *can. Ut Constitueretur 25. dist. 50.* « *Verum in huiusmodi causis* (admittendi lapsos clericos) *ubi per graves dissentionum scissuras, non huius aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid severitati ut maioribus malis sanandis caritas sincera subveniat* ».

5°. Casus est, quando licet causa non inducat debitum ex iustitia, potest inducere debitum caritatis et misericordiae, uti exemplum prostat *c. Postulasti, De Clerico excommun.* « *Clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent retinere licite, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum* ». Atqui opus misericordiae interdum est debitum, quando proximus scil. graviter indiget: et sine dispendio potest illi concedi, tunc praesertim cum sub-

dito dispensandum, secus grave aliquod damnum in persona vel aliis bonis temporalibus subeundum sit: e. g. in denuntiationibus matrimonii, si probatur adesse suspicionem malitiosi impedimenti. *Suarez l. 5. l. 6. c. 18.*

Art. II. De Regulis generalibus ad germanum sensum legum canonicarum dignoscendum, seu de recta earumdem interpretatione.

107. Praenotandum. α) Ex his quae hucusque diximus satis cognosci potest, quandonam legi per se validae suus adhuc stet valor. Nunc de extensione eiusdem effectus dicendum esset. Illum quidem effectum plane communissimum, qui cum ipsa confunditur valoris notione, i. e. ut pariat in iis, qui subiecti sunt, obligationem, tum relate ad culpam tum relate ad poenam; simulque si ex violatione legis praeiudicium tertio inferatur, *ius eidem agendi contra violatorem;* nunc pertractandum omitto. Eos autem effectus, qui sunt singularum legum proprii, suis in locis exponemus; et eos, qui dimanant ex clausulis legi ab ipso legislatore appositis, breviter tantum, post traditas interpretationis regulas, trademus.

β) Ut quis lege uti possit, non sufficit nosse legem adhuc generatim vigere, sed opus praeterea est, ut sensum legis omnino assequatur, maxime cum lex subobscura, vel penitus obscura videatur. Cum non sit clara lex, ad eius intellectum interpretatione opus est. Hinc necesse est regulas interpretationis legum callere. Dixi, *cum lex subobscura vel penitus obscura* videatur; nam haec est humana conditio, ut vix possit homo tum perspicuis verbis sensum suum explicare, quin ambiguitates et dubia nascantur, praesertim quia lex humana loquitur breviter ut in generali: at in applicatione eius ad varios casus in particulari, oriuntur frequenter dubia, propter quae declaratio necessaria est. Ex qua necessitate orta est iuris civilis aut canonici peritia, cuius praecipuus finis est « *verum sensum veramque interpretationem legum humanarum tradere* ».

Hinc generalis definitio interpretationis. Recta legis interpretatio « *est genuina eius explicatio, iuxta eum sensum, quem legislator intendit.* Quae profecto supponit obscuram esse le-

gem vel ambiguam, quaeque ab interpretatione discriminat *usum,* quatenus *usus* est legis per se, seu ope interpretationis iam manifestae, ad singularem facti speciem applicatio seu accommodatio. Scil. interpretatio vim legis, seu legislatoris voluntatem ostendit, sed in abstracto; usus vero legis sententiam singularibus facti speciebus accommodat, inspectis omnibus rerum temporum, locorum et personarum adiunctis.

Porro totam tractationem de recta legum canonicarum interpretatione coarctamus quatuor paragraphis, quarum 1ª. de interpretatione ipsa in genere. 2ª. De epicheia et ignorantia etc. excusantibus vi interpretationis aliquem ab observantia legis. 3ª. De methodo interpretationis. 4ª. De subsidiis interpretationis.

Sed praemonendum est, quod antequam manus interpretationi admoveatur secundum scientiae regulas mox tradendas, iam definitus esse debet secundum principia artis criticae textus legis interpretationi subiiciendus: seu textus authentici genuina ipsius textus inquisitio praecedere debet. Haec autem inquisitio si versetur circa auctorem, aetatem, authentiam, integritatem legis, dici solet *critica realis;* si inquisitio sola verba legis examinet atque expendat, dicitur *critica verbalis.* Porro ex dictis sect. antec. *realem criticam* limitari patet, quia factum est authenticum, quod unumquodque caput in authenticam collectionem fuerit insertum: patet et *verbalem criticam* limitari praesertim in parte dispositiva, quae, ob textum ex officio a Gregorio IX. constitutum, nonnisi moderate adhibenda est.

§ 1ª. De ipsa interpretatione.

Summarium. — Plures sunt species interpretationis: 1) ratione efficientis causae, alia authentica, alia usualis, alia doctrinalis: 2) ratione modi quo legis sententia explicatur, alia est declarativa, alia correctiva, alia restrictiva, alia tandem extensiva.

108. 1°. *Triplex interpretatio ratione efficientiae* distinguitur a *Glossa in l. 1. de Interpr. ff. de legibus:* 1°. *authentica* quae fit a Principe, et quidem vel *declarativa est germani sensus,* idque

habet proprium, ut neque promulgatione indigeat, neque restringatur ad casus futuros, sed praeteritos etiam complectatur *(Fagnan. in c. Super specula, Ne clerici vel monachi n. 2. ad 7)*: quandoquidem lex declarans essentialiter inest legi declaratae, neque est nova lex sed novum adiumentum ad legem veterem, prout semper oportuit, intelligendam: vel est *correctiva* ita ut legem veterem aliqua ratione immutet, deque ea contraria sunt statuenda, quia improprie dicitur interpretatio, cum nova lex proprie dicenda sit.

2°. *Usualis,* quae a praxi populique usu deducitur: quandoquidem in iure ipso habemus optimam legum interpretem esse consuetudinem *(c. 8. de Consuet., l. Si interpr. ff. de leg.).*

3°. *Doctrinalis,* quae fit, ait Glossa, a magistro, i. e. sive a iuris Doctoribus, sive a ceteris Iuris Consultis, sive praesertim a Iudicibus, ubi controversia de vero legis sensu orta sit. *Cf. Reinff.*

109. At si spectetur *modus,* quo supradictae interpretationes a suis auctoribus procedunt, alia *declarativa,* alia *correctiva,* alia *restrictiva,* alia *extensiva* distinguitur. Et merito: dubitari enim potest quis sit verborum sensus, quibus legislator in lege ferenda usus est: verborum sensu percepto, quaeri adhuc potest, utrum ex rationis identitate eius dispositio ad similes casus, verbis tamen legis non comprehensos, sit extendenda: aut potius ex defectu rationis, intra arctiores limites verba legis sint coarctanda, quam ferre videantur.

Declarativa legis interpretatio est ea, quae obscura legis verba per clariora, sed aequipollentia explanat, cum sensus aut verba alicuius Constitutionis dubia sint.

Correctiva est verborum legis per benignam acceptionem mitigatio, quando sc. legum obscuritas ac duritia humanae conditioni incongrua per benignam interpretationem mollificatur, corrigitur seu emendatur, *l. Lege C. De leg.* « *Si quid vero in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet et imperatoria interpretatione patefieri, duritiamque legum nostrae humanitati incongruam emendare* ».

Quae interpretatio obtinet etiam cum ex verbis legis, aut statuti generaliter intellecti, resultaret iniquitas, e. g. si statutum quoslibet homicidas gladio feriendos decernat, recipit interpre-

tationem correctivam, ut non comprehendat occidentes in amentia, vel ad iustam sui defensionem.

Restrictiva est, quae obiectum, quod verbis videretur inclusum, omnibus inspectis adiunctis, ab iis subtrahit: h. e. iuxta quasdam circumstantias, suadente aequitate, verba legis aut statuti in sua generali significatione coarctantur et restringuntur. Et valet de hac restrictiva interpretatione prima pars *Reg. 15. Iuris in 6°.* « *Odia restringi et favores convenit ampliari* ». Ita ut e. g., interdicto populo, non censeatur interdictus clerus: etsi in materia favorabili nomine populi veniat etiam clerus.

Extensiva interpretatio est generatim, quae legem ad aliud obiectum extendit. Porro haec duplex est. *Extensiva pure* vel iuxta Suarez *extensio legis extensiva,* cum ob paritatem vel similitudinem rationis, dispositio legis extenditur ad personam neque verbis neque mente legislatoris comprehensam: sc. tam ultra verba, quam ultra, licet non contra, mentem legislatoris. *Extensiva improprie dicta,* quae et comprehensiva tantum audit, est, cum lex per interpretationem extenditur ad personam, vel casum, verbis quidem non expressum, mente tamen legislatoris comprehensum. Ob adaequatam rationis identitatem dicitur *extensiva improprie,* quia proprie non dicitur lex extendi ad id quod deprehenditur ex tacita mente legislatoris aut statuentis: quia anima legis est intentio legislatoris, atque adeo illud quod venit ex mente legislatoris, nequit proprie dici extensio, cum comprehendatur atque includatur in ipsa: hinc recte *comprehensiva* vel *inclusiva* dicitur.

De valore variarum Interpretationum, quae distinguuntur ex causa efficiente.

110. Ut de valore variarum interpretationum aliquid addamus; *authentica* instar legis habetur, cum procedat vel ab ipso legislatore vel a successore eius in eadem potestate. Cum enim lex servanda sit, et aliunde sit obscura, iuxta eum determinatum sensum servanda erit, quem dat is, qui tantum obligare potest subditos. « *Ut unde ius prodiit, interpretatio quoque procedat* ». *C. Inter alia, de Sent. Excomm.*

Interpretationi authenticae proxime accedit *Iudicialis,* ea scil., quae fit officio iudicis, inter partes iudicio contendentes ius faciens: atque adeo *pro his* quadantenus *authentica,* quia procedit a iudice nomine legislatoris ius dicente, pro aliis est *directiva.*

Usualis, si procedat a consuetudine legitime constituta in societate universa, ius facit et pro authentica habetur: si non a perfecta consuetudine populi, est mere usualis, et *directiva* etiam dicitur.

His addenda constans omnium fere Doctorum interpretatio: unde Regula « *Minime sunt mutanda, quae interpretationem certam semper habuerunt* ». *L. 22. h. t.* Haec doctrinalis, licet per se sit directiva tantum et non authentica, quia procedit solum a scientia et iudicio prudentum; tamen cum in omni arte iudicium peritorum magnam inducit probabilitatem, etiam in legum humanarum interpretatione, seu iurisprudentia, *magnum* pondus auctoritatis habebit: idque *maximum* si in alicuius legis intelligentia omnes omnino interpretes conveniunt: quia α) tanta consensio indicat communem acceptationem et observantiam legis eo sensu; β) vix autem potest accidere ut contra communem omnium Doctorum interpretationem tam efficax occurrat ratio, quae in conscientia securam reddat contrariam intelligentiam: at vero ubi variae sunt Doctorum sententiae, iuxta rationum pondus et Doctorum auctoritatem diiudicandum est.

Ex his patet, maximi faciendam esse iurisprudentum interpretationem. Illorumque munus interpretandi non solum Iure civili commendatur valde *l. un. C. de Professoribus qui Cpoli.* quatenus honorari iubet eos, qui illo munere probe utuntur...; sed etiam in Iure sacro, Romanorum Pontificum legibus et usu, tum *multiplicantur et foventur scholae iuris can.,* tum, plus quam ceteris, iuris canonistis portae patent dignitatum in Ecclesia Dei.

Quanti munus interpretandi faciendum sit ostendit vel ipsa lex un. *Cod. de Professoribus* **qui in urbe Capitolina docentes ex lege meruerunt comitivam** *Lib. XII. Tit. XV. Ibi Imperator Theodosius ait: Iurisperitos in hac regia urbe Professionem suam exercentes, si laudabilem in se probis moribus vitam esse*

monstraverint, si docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem copiamque disserendi,.... se trahere patefecerint, et, coetu amplissimo iudicante, digni fuerint aestimati; cum ad 20 annos observatione iugi ac sedulo docendi labore pervenerint, placuit honorari, et his qui sunt ex vicaria dignitate connumerari.

Porro manifestum est, ad verum legis sensum dignoscendum, Iurisconsulto adlaborandum non esse, si Princeps vel consuetudo illum ipsum declaravit (nisi, uti fieri solet in veritatibus fidei ab Ecclesia definitis, satis sit invenire rationes congruas pro lege, difficultates solvere, clariores rei conceptus exhibere, consonantiam ostendere....). Itaque tota quaestio est de interpretatione doctrinali rite facienda. Haec porro privata Doctorum interpretatio, seu doctrinalis definiri proprie solet: « *Voluntatis legislatoris in re obscura diligens investigatio* ». *Voluntatis...* quia lex est quod legislator voluit: *in re obscura,* quia in manifestis non est opus interpretatione sed executione, ut ait S. Thom. *2. 2. q. 121. a 1. ad 3.*

Porro voluntas legislatoris ex verbis legis petenda est. « *Quorsum enim sunt verba, nisi ut demonstrent voluntatem dicentis?* » *L. 3. ff. De supellect. legata (l. 33. tit. X).* Cum nulla igitur in verbis est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quaestio *l. 25. de legationibus (lib. 50. tit. 7):* sed tenendum est, non aliud legislatorem voluisse, neque minus neque plus, quam verba demonstrent. Nihilominus quia scire leges non est verba earum tenere, sed vim et potestatem; *L. 16. h. t.* si verba, uti sonant, accipere videatur inconveniens, et in primis hoc iniquum forte videatur, vel absurdum, vel alienum a re de qua agitur; iustae interpretationi erit locus: quod ut assequamur 1° generales regulae interpretationis cognoscendae sunt; 2° rectus earumdem usus est definiendus.

De Regulis interpretationis.

Summarium. — Doctrinalem interpretationem moderantur sequentes regulae α) tum *intrinsecae*, scil. 1. Verba accipienda sunt cum effectu; 2. et nisi aliud obstet, secundum propriam significationem; 3. incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere; 4. praecipue vero legislatoris mens inspicienda et tenenda; β) tum *extrinsecae*, quales sunt I. de similibus idem est iudicium, II. ubi eadem ratio ibi eadem iuris dispositio, III. a casu contrario ad contrariam dispositionem recte arguitur, IV. exceptio a regula firmat regulam in contrarium.

111. Declarantur Regulae intrinsecae, seu 1ª) pars.

Legitimae interpretationis regulae aliae intrinsecae aliae extrinsecae esse possunt; quarum illae ab ipsa lege in suo tenore textus et contextus considerata derivantur: hae vero extra, ab aliis legibus quomodocumque connexis, desumuntur. In qualibet porro lege duo consideranda occurrunt, materia ipsa legis, quae constat verbis eorumque contextu, et causa eiusdem formalis, quae sita est in eiusdem fine ac mente legislatoris. Hinc praesuppositis principiis *a) nil otiosum in lege dici; b) praeferendam interpretationem, quae ad legis scopum magis conducat; c) quaeque melius respondet intentioni legislatoris et voluntati,* cum huius sit expressio. Ad rationis normam regulae intrinsecae praecipuae numerantur sequentes, ex quibus aliae dimanant. *Suarez de leg. l. 6. c. 1.*

Regula I. **Verba accipienda sunt cum effectu,** *i. e. nil frustra in lege dictum esse censendum est: c. Relatum 4. de Cleric. non resid.* Unanimiter Doctores, ex pluribus textibus Iuris canonici et civilis, asserunt quod verba iuris et dispositionis semper aliquid operentur oportet, ita ut nil frustra dictum esse, videatur, nulla superfluitas verborum sit admittenda; et improprianda sint potius verba, quam ea superflua esse censenda. *Fagnanus* cum aliis asserit vel minimam syllabam aliquid operari debere.

Ex dictis autem sequitur, cum in omnibus vel pluribus legibus habentur clausulae, *a*) perperam sperni *clausulas,* quae Romanorum Pontificum constitutionibus apponi solent; quasi

citra mentem legislatoris, materiali quodam curiae stylo, appositae fuerint. Imo *b*) *stylus et consuetudo* curiae in causa est, ut duae circa clausulas contrariae habeantur regulae i. e. 1°. ut quae clausulae semper apponi solent, censeantur appositae, etiamsi fuerint omissae, *Barbosa Tract. var., Tract. de Clausulis, claus. 32.*; 2°. ut clausula insolita suspecta sit de fraude, et si plures, quae eiusmodi sint, quae in eodem actu appareant, coniecturam falsitatis faciant, totumque actum suspectum reddant. *Barb. l. c. Claus. 73.*

Sed de clausulis tum in genere tum in specie plura alia addenda mox post traditas alias interpretationis Regulas.

Regula II. **Verba nisi aliud obstet accipienda sunt secundum propriam significationem** *(arg. Cap. 12. de decim.)*

Dicemus *a*) quomodo probatur regula, et prius, quid venit nomine propriae significationis; *b*) quid obstare posset; *c*) quid sequitur inde.

1°) *Quid nomine significationis propriae?* Quint. *sua cuique rei appellatio est proprietas verborum. Significatio propria* duplex est, *naturalis* scil. quae ex communi hominum acceptione et usu recepta habetur, et *civilis*, quae oritur ex fictione iuris e. g. mors iuxta communem hominum acceptionem intelligitur de morte naturali, sed per fictionem iuris etiam Professioni religiosae, quin et exilio attribuitur. Hinc dicendum quod, per se loquendo ac regulariter sit servanda verborum proprietas naturalis et iuxta illam lex intelligenda *arg. l. ult. C. de his qui veniam aetatis etc.*, ubi legitima et perfecta aetas de naturali intelligitur, non de illa, quae beneficio Principis obtinetur. Hinc cum statutum sit cognationem spiritualem contrahi cum baptizato vel confirmato, eiusque patre et matre, patrem et matrem accipere debemus naturales non adoptivos etc.... Dixi *usu recepta*.... nempe eius temporis, quo edita fuit lex; e. g. cum quis concubinam habere permittitur *(c. 4. Dist. 34.)*, cum vetatur *(Trid. XXIV. de Refor. Matr. 8.)*.

Prob. *a*) quia communiter recepta est haec regula inter Doctores: quos praecipue cf. penes *Barbosa axiom. 222. n. 4.* et quorum nonnulli *hoc* ampliant procedere etiam in materia odiosa, quando non praeiudicatur tertio, nec iurisdictioni ordinariae.....

b) legislator debet uti verbis manifestis seu claris in editione legis, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat *c. 2, dist. 4;* ergo iis etiam debet uti in significatione propria, ac proinde haec secundum propriam significationem intelligi.

2°) *Nisi aliud obstet:* obstare autem *potest subiecta materia* vel natura *actus* sive contractus *cf. Reiffenst., 390. sq.* Quapropter ante omnia explorare oportet *quid agatur* et eam interpretationem sequi (etiam impropriando verba), quae rei, de qua agitur, est aptior *L. 68. de R. I.* e. g. qui percutit servum suum, si is unum vel alterum diem supervixerit non *subiacebit* poenae *(Exod. 21. 21.)* pecuniariae scil. de hac enim eo loco agitur. Impuberibus nullum animi iudicium est (§ 1. *quibus non est permiss. fac. test.*): intellige, quo testamentum facere possint.

Hinc ulterius secundum materiam subiectam et naturam actus verba sunt intelligenda et interpretanda ut res *de qua agitur, potius valeat, quam pereat.* Hinc non proprie accipienda verba.

I. *Si ex materiae intuitu evadat lex iniusta, absurda, inutilis.* Iniusta foret si secundum propriam verborum extensionem accipias.... Deut. 23. 15. *Non tradas servum domino suo, qui ad te confugerit,* nempe si eum quaerit ad occidendum, vel ad aliquod peccati ministerium *(D. Th. 105. 4. et 2).* Item qui non odit patrem suum vel matrem non potest meus esse discipulus. *Luc. 14. 26.*

Foret absurda lex si proprie et non iuxta materiam sumas verba *c. 6. § 1. de Maior. et obed. Furiosus et furiosa matrimonium contrahere non possunt, sed si contraxerint* sc. cum sanae, et suae mentis fuerunt, *non separentur (c. 26. Cau. 32. 7).*

Foret inutilis.... e. g. c. 10. de Priv. in 6. Si aliqua Ecclesia dicatur subesse Romano Pontifici, nisi intelligas immediate i. e. exemptam a potestate Ordinarii.

II. *Comparatio ad alia iura,* quae forte aut contraria aut concordia et similia sunt iuri, quo de agitur. *Suarez l. 6. c. 1. n. 17. 18. de Leg.*

III. *Ratio legis.* Supponitur distingui voluntas seu intentio legislatoris, secundum quam vult praecipere et ratio, ob quam movetur: porro haec dicitur *ratio legis* quae simul cum vo-

luntate seu intentione seu mente legislatoris dicitur anima legis. *Suar. l. c. l. 3. c. 20. n. 2. seq.* Iamvero ratio legis non expressa in lege, quamvis quid conferat, tamen est probabilis coniectura.... sed ratio legis expresse contenta in ipsa lege, videtur secundum certitudinis locum obtinere (secundum h. e. post verba ipsa): quia tunc ratio legis est aliquo modo pars eius. Sed de his adhuc infra.

3°) Sequitur inde *a) quod verba generalia intelligenda sunt extendi ad omnes species in illo genere comprehensas:* quod aequivalet alteri axiomati: *ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus.* Haec regula habetur clare *c. Quia circa 22. de Privil.*, addita hac ratione « *cum nihil exceperit et poterat excepisse* ». Haec etiam regula intelligenda est, nisi *aliud obstet*: si enim alicuius speciei ita diversa conditio sit, ut rationis diversitatem plane inducat, multoque magis si alia lege, etiam anteriori, quae in generali lege non sit specialiter abrogata, contrarium de aliqua specie statuatur, manifestum est praedictam regulam vim non habere. *Cap. ult. de Off. Vicar. in 6, c. 34. de Reg. Iur. in 6, et l. 81. ff. de reg. Iuris,* quae talis est in *toto iure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.*

Ubi lex non distinguit nec nos (c. un. de statu. Reg.). Sic; *ne ulli* sit accessus ad sanctimoniales, ergo nec episcopis nec sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, *cf. D' Annib. l. c. 185. in Proleg.*

Sequitur *b) si cui verbo duplex est significatio iuridica et naturalis seu vulgaris: iuridica, nisi aliud obstet, praevalere debet, modo ea proprie talis sit i. e. technica* ita ut illud eidem significationi perpetuo sit in iure consecratum e. g. *censura, excommunicatio* in iure canonico: *usucapio, praescriptio* in iure civili. Ratio est, quia in qualibet scientia significatio verborum, *ea propria* dicitur, quae technica est: unde legislator ita locutus fuisse censeri debeat, quemadmodum leges solent. Ex quo sequitur, contrarium nisi aliud obstet, esse statuendum si iuridica significatio *improprie talis sit,* idest si aliquando tantum per quamdam metaphoram aut similitudinem eamdem leges intendant.

Quid porro faciendum sit, cum una vox habeat plures significationes iuridicas et in naturali proprietate, docet sequens.

Regula III. **Incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere** *(l. 23. D. de Legib.)*. Brevi; ex toto eius contextu eiusdem vis et potestas eruenda est. Itaque ex antecedentibus et consequentibus cum materia et aliis circumstantiis determinandus est verborum sensus. *Ex antecedentibus* etiam initio legis; nam in prooemio constitutionis contineri solet causa finalis et principaliter movens: et ideo illud maxime spectandum est....

Quod si verba legis adeo essent aequivoca, ut neque ex antecedentibus, neque ex consequentibus neque ex materia aut ratione legis constare posset sensus, illa non esset lex, utpote quae nec satis clara, nec legislatoris mentem significans....

Generatim ex duabus dubiis significationibus illa anteferenda, quae rei gerendae sit aptior iuxta *Reg. I. 68. ff. de R. I.* Quoties idem *sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipietur, quae rei gerendae aptior est.*

Regula IV. **Mens legislatoris et ratio legis inspicienda et tenenda est** *(c. 6. de V. S.)*. Ratio enim et intentio legis dicitur anima legis *quia non debet intentio verbis deservire sed verba intentioni;* Greg. M. *can. 11. cau. XXII. q. 5. Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem; c. 88. de Reg. I. in 6;* et desumitur ex *L. Non dubium 5 C. de Leg.: Non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.*

Si haec de mente legislatoris regula cum aliis praecedentibus non bene concordat, eatenus tenenda est, quatenus legislatoris mens certo evincatur, uti recte *Iurisconsultus monet in L. Non aliter ff. de Legat. 3*: « *Non aliter a significatione verborum recedere oportet, quam cum manifestum est aliud sensisse testatorem* ». Ratio est quia contextus et proprietas verborum argumentum faciunt proprie dictum, mens autem legislatoris quae certa non sit, sed ex coniecturis eruatur, coniecturae vim et limites non potest excedere.

Praesertim cum verba nude sumpta sint ambigua: aut pluribus de causis essent improprianda: tunc instituenda est comparatio inter verba ex una parte, et alias coniecturas, quibus mentem legislatoris indagamus ex alia; seu inter vim et pro-

prietatem verborum et mentem legislatoris coniectatam per varia signa simul sumpta: atqui signa, quibus deprehenditur mens legislatoris, est 1) *ratio legis* si forte expressa sit in ipsa lege; necesse est enim ut praeceptum et voluntas legislatoris sit rationi suae accommodata, et consequenter ut verba significantia actum praeceptum, si ambigua sint, ex ratione ibi expressa determinationem accipiant; 2) est *natura subiectae* materiae, cum huic exprimendae debent maxime verba servire *Hilar. C. Intelligentia de V. S.* « *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus* »; 3) sunt *circumstantiae* atque historia temporum..... Cum enim nulla lex a priori et in abstracto apud homines condita sit, sed eiusmodi circumstantiae voluntatem legislatoris determinarunt ad faciendam legem, ingrediuntur tamquam particularis saltem ratio legis; 4) sunt communia rationis principia, unde illud: « *Inspicimus in obscuris quod verosimilius est tenendum, vel quod plerumque fieri consuevit* ». *C. 45. de Reg. I. in 6.*

Porro ex his dimanat *a*) *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum C. 61. de Reg. I. in 6.*, quia mens Principis fuit gratiam et beneficium conferre, nisi obstet obreptio etc.

b) E contra *quod statutum fuit ad poenam, trahi non debet ad gratiam, C. 2. de Transl. Episcopi;* sicut enim gratia non debet trahi ad poenam, ita poena non debet tribuere alicui immunitatem.

112. Declarantur Regulae extrinsecae.

Intrinsecis hisce praecipuis regulis aliae accedunt *extrinsecae,* quae eruuntur ex aliis legibus relationem habentibus cum lege, quam interpretamur. Haec autem relatio oritur vel ex similitudine vel a contrarietate: unde duplex caput Regularum, si spectetur *connexio ratione similitudinis,* valent scil.

I. Reg. **De similibus idem est iudicium** *C. Inter corporalia 2. De Transl. Ep. v. Sicut ergo* etc.

II. Reg. **Ubi eadem ratio ibi eadem iuris dispositio.**

Generalem quaestionem his duabus regulis contentam praestat α) iuxta Suaresii, Castropalao, aliorumque plurium doctrinam proponere et solvere duobus assertis; tum β) spe-

ciatim ad eamdem doctrinam conformes easdem regulas exponemus.

Ad 1^m. quod attinet, valde controversa est, ut habet *Suarez (de leg. l. 6. c. 3. n. 19. seqq.)* inter DD. quaestio an lex extendatur ad casum non comprehensum sub aliqua verborum significatione, propter solam *rationis similitudinem* vel *identitatem.* Advertit in Greg. XIV. Constitutione *Cum alias nonnulli* magno iuris ecclesiastici detrimento per experientiam constare ex dicta interpretandi legem ratione, a casu expresso, *desumpta ex identitate vel maioritate rationis,* ad casum non expressum, non mediocrem in aliquibus locis subortam perturbationem « *imo* illud etiam absurdum saepe numero secutum sit, ut in- « fimae interdum conditionis laici, non modo iuris, sed etiam « literarum penitus ignari, dum quasi potestatem aut ministri « curiae saecularis in aliquo castro aut oppidulo iurisdictionem « exercebant, facultatem et indultorum limites longe excesse- « rint, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos et ab in- « tentione concedentis omnino alienos detorserint etc. » et ibi Pontifex in fine expresse prohibet in futurum uti invalidas, et declarat quoad praeteritum inanes extensiones a casu expresso ad non expressum in criminibus asylo ecclesiastico privantibus.

1) Qua in re praenotandum, heic agi de lege humana inducente obligationem, quae ex sola lege naturali non oriretur; 2) distinguendam paritatem ab identitate rationis, illa habetur, quando licet rationes sint diversae, habent inter se aequalitatem e. g. ratio amicitiae aut gratitudinis, licet sint diversae, possunt tamen aequiparari et aequales moraliter iudicari. Identitas habetur quando in diversis materiis una et eadem ratio pietatis promovendae aut nocumenti vitandi intercedit; 3) Quando fit quaestio de extensione legis ad casum non comprehensum, sola spectatur vis rationis similis aut identicae. Hisce positis.

Dico 1) *Ob solam similitudinem vel identitatem rationis numquam legem extendendam esse ad alium casum, qui sub lata verborum forma, non fuerit comprehensus, nisi aliunde colligatur legislatorem eum etiam non expressum voluisse comprehendi.*

Prob. α) Nam ratio legis etiam adaequata *non est lex;* lex enim est voluntas legislatoris sufficienter manifestata: ergo etsi

in alio casu non expresso sit eadem omnino ratio; non recte sequitur « ergo etiam in illo est eadem lex » :

Prob. conseq. quia etsi identitas rationis sit in utroque, consequenter utrumque secundum se *dignum sit prohiberi ;* tamen non inde sequitur *esse prohibitum,* nam legislator, non obstante merito prohibitionis in utroque, posset de uno disponere et non de alio : vel quia non vult, vel quia non expedit omnia simul prohiberi, vel omnia omittere.

3) Nisi legislator voluntatem obligandi ad utrumque manifestet, obligatio induci ad utrumque non debet; nisi manifesta ratio exigat, propter quam recedendum sit a proprietate verborum. Sed, qui sub lata verborum forma casus non continetur, circa illum legislator voluntatem suam non manifestat. Ergo.

Mai. arguitur ex *c. Contingit 1. de Iureiurando in 6. Min. prob.:* quia si in tali casu voluntatem suam manifestaret, id foret ex eo quod illam manifestet, exprimendo *causam finalem* legis : sed hoc non infert talis ratio; ergo. Nam etsi voluntas legislatoris debeat esse in ratione fundata; tamen hoc totum stat, si illa ratione movetur pro decidendo tali casu, et non pro altero.

Quae assertio, cum Suarez adnotamus, procedit tantum vi eiusdem legis et de rigore obligationis..... non de usu legum in ordine ad externa iudicia, circa quae Iuristae dicere solent *casum similem expresso non censeri omissum.* Quod Iuristarum dictum 1°) si sumatur quatenus procedatur ex prudenti arbitrio et rationali coniectura et praesumptione, quidquid sit de obligatione legis nemo negabit; 2°) si sumatur ut ad hoc teneantur iudices etiam ex obligatione legis; tunc hoc certum non est, licet valde probabile sit. Quamvis tunc iudicibus obligatio non oritur ex sola lege disponente in casu simili per se spectata, sed ex aliis legibus approbantibus consuetudinem illam et ordinantibus ut derivetur *ex L. Non possunt ff. de leg. Is qui iurisdictione praeest ad similia procedere, atque ita ius dicere debet.*

Dico 2) *Ex identitate rationis recte fieri extensionem comprehensivam legis ad casum non comprehensum in verbis, si constiterit rationem illam esse adaequatam et solam inducentem, praesertim cum, ut addit Castropalao, si negata extensione legislator*

arguatur iniustitiae vel imprudentiae, vel alias sequitur iniquitas vel absurdum.

Prob. Nam ut haec evitentur etiam improprianda sunt verba legis: ergo multo magis haec sunt extendenda: et huiusmodi extensio potius comprehensiva, quam proprie extensiva dicenda est; quia in dato casu, casus non expressus censetur statim in principio comprehensus sub lege, vel ex ratione expressa in lege, vel ex verbis in lata significatione sumptis, vel ex alia circumstantia.

Attamen assertio sumi debet, ut valeat, sub triplici conditione, sc. ut ratio, in qua identitas, per se sola 1) sufficienter et efficaciter moveat ad condendam legem; 2) ut sit veluti finis unicus integre intentus, sc. omnis et sola causa intenta; 3) sit ratio legis adeo intrinseca et universalis ad casus omnes, ut ex vi illius in lege comprehendi dicuntur, ut in ea habeant connexionem necessariam in ordine ad iustitiam et prudentiam legis, i. e. ut sit contra rectam rationem, vel contra prudentiam in quibusdam casibus ob talem rationem disponere, et non in omnibus eamdem rationem aeque participantibus.

Ad 2^m. Huic doctrinae conformes intelligendae sunt regulae Iuris consultorum.

I. **De similibus idem est iudicium** *C. Inter Corporalia 2. de Transl. L. Non possunt ff. de Leg.,* modo haec duo concurrant: 1°) ut similitudo in eo puncto sit, de quo agitur: hinc, non est necesse ut similitudo sit quoad omnia, sed necesse est, ut adsit similitudo in eo, ad quod fit comparatio; 2°) ut nulla disparitatis iusta ratio assignari possit.

Haec autem regula in his maxime casibus vim suam usurpat: *a*) cum per modum exempli lex lata est: tunc enim extensionem ad similia fieri debere expressa ipsius legis voluntate manifestum est.

b) In his etiam obtinet, quae in iure aequiparantur, si tamen aequiparatio vel sit universalis, vel in eo puncto, de quo agitur; unde e. g. argumentum fieri solet a principali ad accessorium *C. 42. de R. I. in 6. ibique Reiff.;* a minori seu minorenni (quoad privilegia) ad Ecclesiam *C. 1. et 3. de in integr. restit.:*

c) Vim habet *in correlativis;* eiusmodi e. g. sunt vir et

uxor, emptor et venditor *L. Iulianus 14. § Si procurator ff. de actionib. empti et vend.*: dummodo tamen disparitas assignari merito non possit *Cf. Reiff. de Constit. n. 514.* Ratio est, quia correlativa, cum sint simul natura, posita se ponunt et perempta se perimunt: ac proinde mirum non est, quod dispositum de uno ipsorum, censeatur etiam iuxta mentem legislatoris esse dispositum de altero, in quo militat eadem ratio. Hinc illud vulgatum axioma: *correlativorum idem est iudicium, eademque disciplina. Barb. axioma 61.*

Dixi *dummodo disparitas assignari merito non possit:* atqui assignatur: 1°) quando qualitas, quae disponitur vel corrigitur in uno non competit alteri, prout competit in illis, in quibus correlativa inter se opponuntur. Sic e. g. venditor debet dare mercem, non emptor... pater est generans, non filius; 2°) quando unum correlativorum circa propositum aeque non proportionatur alteri, sed est ratio diversitatis, e. g. multa competunt viro, prout capiti et sapientiori, quae non competunt uxori; ut administrare domum, posse fungi publicis officiis.... Actor et reus sunt correlativa et tamen non in omnibus aequa ratio...

d) *In contentis* quoque obtinet regula i. e. ut interpretationis extensio ab iis, quae continent, ad ea fiat, quae continentur *C. 35. de. R. I. in 6.; L. Quae de tota ff. de Rei vindic.*

e) *In iis quoque obtinet, ubi argui potest a minori ad maius iuxta Reg.* « *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus* » *c. 53. de R. I. in 6,* cui consonat *c. 35. l. c.* « *Plus semper in se continet quod est minus* »; dummodo tamen quod est minus in maiori contineatur tamquam pars in toto, vel species in genere, aut saltem eiusdem ordinis sit, ac maius, et in utroque eadem ratio reperiatur *Reiff. ad dicta capp. 35. 53. de R. I. in 6.; et exemptis insuper rebus odiosis ac poenalibus;* de quibus mox.

f) Tandem vim habet *in connexis,* quae ita colligata sunt ut separari nequeant *c. 5. de off. et pot. iud. deleg. et c. 19. de sent. excomm. in 6.* Quaeritur: quid si connexio non sit omnino necessaria, sed talis ut nonnisi ex difficultate magna alterum sine altero obtineri nequeat, *cf. Layman c. 5. de off. et potest. iud. deleg.,* ubi docet nullam de hac re generalem regulam tradi posse. Exemplum pro 1°. casu i. e. *de connexis inseparabilibus est: dispensatio* ad Presbyteratum extenditur ad minores ordines.

II. **Ubi eadem ratio ibi eadem iuris dispositio.** *L. Illud 32. ff. ad L. Aquil.* et ibi *Glossa v. existimari* sed hoc brocardicum, tam usitatum, limitari debet iuxta assertum 2m. supra positum: hinc addimus dummodo tamen 1°. ratio, quae allegatur, adaequata sit, ita ut nulla merito assignari possit disparitas; 2°. si agatur de rebus poenalibus et odiosis, non sola congruitas, sed iustitiae necessitas extensionem suadeat. *Cf. Suar. de leg. l. 6. n. 3. et 4.*

Ex his duabus regulis de similibus efficitur axioma iuridicum *Casu expresso (a lege) similis non censetur omissus.* Cum enim infinitus sit casuum numerus: non possunt omnes legibus comprehendi, adeoque ut expeditius iudicia fiant, merito regula constituta est, ut cum in aliquo casu sententia illarum manifesta est, is qui iurisdictione praeest ad similia procedere, atque ita ius dicere debeat.

Si spectetur *relatio ratione contrarietatis,* sequentes Reg. habentur:

I. Reg. **A casu contrario ad contrariam dispositionem recte arguitur.** 1°) Ita communiter DD. tamquam validum a contrario putant argumentum, imo *Glossa in C. Cum apostolica, v. Datur intelligi, de his quae fiunt a Praelatis,* ait a contrario sensu datur potissimum argumentum; 2°) idque desumitur ex *L. 1. ff. de Off. eius cui mandata est iurisdictio.* Huius rei fortissimum argumentum est, quod lege Iulia de vi nominatim cavetur etc. non aliter igitur mandare poterit. Et *Can. Qualis hinc, dist. 25. quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet; quia de quibusdam conceditur.* Hinc usitatus modus loquendi Doctorum *Unde a sensu contrario infertur.*

Valet hoc argumentum a sensu contrario, modo α) absurdum vel inconveniens non sequatur *Cf. Barb. l. a contrario sensu 34. et 35;* β) neque alia iura contradicant *(Glos. in c. Significasti, v. Clerici, de Foro comp.);* si scilicet extat clara decisio iuris in oppositum, tunc huic standum est: neque tum, cum resultat iurium correctio alterius statuti, vel partis instrumenti, e. g. Testamenti; γ) quod argumentum desumitur ex aliquo eorum, quae in dispositione ponuntur *causative* i. e. ut principaliter moventia ad disponendum: secus ubi aliquid ponitur

narrative, exemplificative seu modaliter, quia tunc inde non capitur a sensu contrario argumentum.

II. Reg. **Exceptio a Regula firmat regulam in contrarium.** Glossa communiter recepta *l. In iis quae ff. de leg.* in contrarium i. e. in casibus non exceptis, *cf. Barbosa Ax. 85. n. 4.* Exceptio legis firmat regulam in contrarium pro casibus non exceptis *(L. 18. de Testib. C. 12. de Iud.);* v. g. licet Episcopis dispensare in irregularitatibus ex delicto *(Trid. sess. 24. de Ref. c. 6.),* ergo in irregularitatibus ex defectu non licet. Exceptio enim regulae relativa est, eamque supponit; et quando generatim homines aliquam exceptionem faciunt, generalem regulam confirmant.

De interpretandis clausulis, quae legibus apponuntur.

Summarium. — Ex quibus regulis interpretationis sequitur, legibus haud inutiliter apponi clausulas: quarum tum α) in genere, tum β) in specie, quarumdam breviter indicandus est effectus.

De clausulis in genere.

113. Solent legislatores praesertim Romanus Pontifex suis Constitutionibus quasdam apponere clausulas: unde fit ut alia latius, quam alia, se effectusque suos extendat. Cf. in hac re Barbosa *Tract. var. tract. de clausulis.* Quoad clausulas appositas litteris apostolicis continentibus gratiam vel iustitiam, cf. de Rosa, *De Executoribus liter. apostolic. Part. 1. c. 5., et part. 2. cap. 4.*

Clausula, quae ita appellatur, quod in fine legum aut etiam contractuum, ut plurimum apponi solet, est quaedam sive legis sive contractus appendix, qua aliquid circa eius modum aut firmitatem aut extensionem statuitur. Omissis quae pertinent ad contractus, ea, quae ad leges et quidem canonicas spectant, delibabimus: pauca quaedam, quae ignorare non licet; admonentes: 1°. de clausulis in genere: 2°. de clausulis in specie, quae usu frequentiores sunt, quaeque alicuius materiae specie non sint propriae, adeoque suis in locis reservandae.

De clausulis in genere hae, quae sequuntur, regulae tenendae sunt:

I. In primisque revocandum est in memoriam principium etiam interpretationis *nil inutile, seu frustra, in lege dictum esse censendum est.* Unde

Reg. *Inutilem censere clausulam, nullam licet,* quia est axioma communiter receptum « *nihil inutile in legibus censeri* » *L. 5. § 2. de in ius vocan.* Cf. Barbosa *de axiom. iur. axioma 136. n. 14. et seqq.* Hinc patet non recte eos opinari, qui idcirco clausulam aliquam spernunt, quia scripta est, inquiunt, de stylo curiae: inde enim contraria potius dimanat consequentia i. e. ut eo magis servari debeat et imo censeatur apposita, etiamsi fuerit omissa: uti docent DD. *communiter* quos videsis apud Barbosa *de claus. clausula 32.*

Contra autem *clausula insolita suspecta sit de fraude,* et si plures, quae huiusmodi sint in actu aliquo appareant, coniecturam simulationis faciant, totumque actum suspectum reddant *Cf. Barbosa l. c. claus. 73.*

II. Quae regulae valent ad verum valorem veramque interpretationem legum determinandam, eaedem etiam pro clausulis valent: siquidem clausulae sunt verae leges praecedenti legi adiectae.

III. Utrum clausulae totam legem complectantur an aliquem tantum eiusdem articulum; licet *in genere* statui soleat, clausulas *in principio* vel *in fine* positas totam legem complecti: positas autem in medio complecti praecedentia: sequentia autem eatenus, quatenus posita sit inter plures articulos connexos et dependentes ab uno principali (Cf. Barb. *de Claus. Claus. 68. 69. 70.*); verius tamen id esse decernendum ex ipsa inspectione legis iuxta regulas generales de legum valore, atque interpretatione recte statuenda *argumento c. 41. de appellation.*

De Clausulis in specie.

114. De clausulis autem in specie operae pretium erit animadvertere, quae sint praecipuae, quaeque uniuscuiusque sit vis; sunt autem hae;

aa) **De plenitudine potestatis,** qua indicatur, ait *Card. Pe-*

tra Comm. in Constit. Apost. t. IV. pag. 481. n. 5, Summum Pontificem in iure ordinario non insistere: unde imminuit vim regulae generalis *iura iuribus concordanda esse:* legesque contrarias facilius abrogat. In rescriptis autem, ad defectus qui plane substantiales non sint, sanandos plurimum confert; praesertim si alteri clausulae *Ex certa scientia,* ut solet, coniuncta sit *(Cf. Barb. l. c. claus. 41.).* Huic vero clausulae cum similes sint illae aliae *motu proprio non obstantibus* etc.... hinc similes quoque gignunt effectus. *Cf. Barb. l. c. claus. 79. et 89....*

bb) **Non obstantibus**..... non secus ac formula *De plenitudine potestatis;* ita derogat iis legibus, quae ei contrariae sint, ut imminuant vim regulae generalis, quae iura praecipit conciliari: praesertim si iuncta sit clausulae *motu proprio.*

cc) **Decretum irritans,** quo nomine clausulae illae omnes intelliguntur, quibus irritum et inane decernitur quidquid contra fiat e. g. **Decernentes irritum et inane si secus a quopiam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari**; vel simpliciter **aliter non valeant** et **non observentur** etc. *alioquin nullius sit momenti: Nullo modo* etc. vel aliae similes locutiones. Vim autem huius decreti hanc esse volunt, ut non modo caeteros actus, verum etiam futuras consuetudines legi contrarias impediat, atque irritet Piton. *de Controv. Patron. alleg. 5.* Bened. XIV. *Instit. 60.* Devoti *Instit. Can. Proleg.* § *50 in fine,* aliique quibus addendae complures Resolutiones S. Congr. Concil. non quidem in ipsis Cardinalium rescriptis, sed in expositione causae, quae fit a Secretario (ll. II.).

Rectius tamen dices decreto irritante consuetudines futuras difficiliores reddi; tum quia per illud odiosae eae fiunt, unde rigidius probari debent; tum quia excitatur pastorum vigilantia ad eas impediendas, unde difficilius inducuntur. Quod autem absolute eas impediat, id repugnat iuris principiis; quandoquidem ipsum decretum irritans est lex humana, adeoque consuetudini contrariae obnoxia, ita ut licet impediat legem a se munitam directe et immediate per consuetudinem supervenientem, abrogari, prohibere tamen non possit, ut se prius vi consuetudinis contrariae deleta, ea quoque deleatur. Repugnat etiam facto: quo docemur non pauca decreta Concilii

Tridentini (quod decreto irritante per Constitutionem Pii IV munitum totum fuisse contendunt, etsi dubitet aliquis), contraria consuetudine sublata iam esse e. g. decreta de Synodis Dioecesanis singulis annis habendis, de Conciliis provincialibus tertio quoque anno celebrandis etc. Praeter autem Concilii Tridentini aliud exemplum satis sit adduxisse ex Resolutionibus S. Cong. Conc. in Albanensi *mediae annatae 18. Septemb. 1824.* ubi Capitulum Albanense contra Constitutionem Bened. XIII. *Pius et misericors,* decreto irritante firmatam ob unicam contrariae consuetudinis rationem a solutione *mediae annatae* exemptum est, licet vis decreti irritantis obiiceretur.

dd) **Sublata**; cuius integra formula est **sublata cuilibet aliter iudicandi atque interpretandi potestate.** Unde patet, eiusdem vim hanc esse, ut in genere leges eadem clausula munitae ad litteram intelligi debeant, ita tamen ut iudices non impediantur inquirere, utrum casus, de quo agitur, naturali verborum vi considerata, contineatur in lege nec ne.

1°) Vis huius clausulae eo spectat, ut ex ipsius verbis patet, ut integritati firmitatique legis consulatur, ne ea interpretationis nomine aliqua ratione in iudiciis minuatur. Cum autem eiusmodi clausulae etiam decretum irritans adiungi soleat, imo illud in se continere censeatur; hinc alius etiam effectus eidem tribuitur ut futuras quoque consuetudines impediat, quod tamen, quatenus dici possit, modo exposuimus. In rescriptis autem si coniuncta sit, ut saepe solet, cum clausula *quod de obreptione* i. e. quod non possit contra gratiam dici, seu disputari de subreptionis aut obreptionis vitio, aut intentionis defectu, impedit inquisitionem de veritate eorum, quae narrata sunt.

2°) Exceptio seu limitatio huius regulae generatim haec est, ut iudices ea clausula non impediantur inquirere utrum casus, de quo agitur, contineatur in lege nec ne; quod quidem, ne tota vis infringatur clausulae, de illis casibus intelligendum est, de quibus clare *patet.*

In specie autem *quoad rescripta,* ut non liceat de veritate precum inquisitionem facere, nisi tamen aut is, qui Rescriptum obtinuit, eidem clausulae, *saltem tacite,* eam non allegando renuntiaverit, aut vitium obreptionis ac subreptionis iam

in apertum prodierit. Quod si obreptionis ac subreptionis quaedam tantum suspicio appareat, remedium contra clausulam *sublata* etc. erit *aperitio oris* i. e. a Romano Pontifice facultas impetrata inquirendi de rei veritate; quae quidem facultas petenda est per ipsum iudicem, coram quo res agitur *Cf. Barbosa l. c. claus. 175:* et in genere, tum de hac, tum de ceteris clausulis, cf. etiam Marta in eius *tract. de clausulis.*

ee) **Motu proprio et ex certa scientia.** Haec clausula quamvis frequentior sit in rescriptis, tamen communis esse potest omnibus Romani Pontificis legibus, idque significat Principem ex se, sua liberalitate, non precibus motum fuisse ad legem edendam aut ad gratiam concedendam quamvis suasiones vel preces intercesserint.

Sed de his, in communi, utpote frequentissimis, hic satis superque. Si quae vero rariores occurrant, deque illis controversia oriatur, conferantur *Barbosa* et *Marta in tract. de Claus.*

De usu Regularum interpretationis.

Summarium. — Ad usum Regularum interpretationis quod spectat, ut 1) prudentia servetur, attendatur materia, cui regula applicanda est: utrum scil. agatur de re favorabili, odiosa vel mixta: ut 2) servetur ordo; cum id est servandum quod ad legis substantiam magis pertinet, regulae intrinsecae praeferantur extrinsecis: in re autem dubia verbis serviendum est.

115. Ut servetur prudentia etc.... Ne praedictarum regularum in interpretando usus a rectitudine deflectat, duo sunt curanda: 1°) ut servetur prudentia seu sobrietas, quae scil. et quatenus adhibendae sint dignoscamus; 2°) ut servetur ordo, ut nempe deligamus quaenam caeteris sint praeferendae.

Ad *prudentiam* et *sobrietatem* duo haec spectant: 1°. cavendum est, ne vis regulae ita extendatur, ut in contrarium aliquod offendatur absurdum. E. g. si quis 2^am^. regulam « *verba accipienda esse iuxta proprietatem verborum* » extenderet ad intelligendum absque ulla restrictione illud Deteuronom. 25. 24. *Non alligabis os bovi trituranti,* vel 1. Corr. 9. 9. *Numquid de bobus cura est Deo?* Ridicule prorsus quidam monachi ob Christi

verba: *Qui non accipit crucem suam...* cruces ligneas perpetuo gestabant; nec nisi eis onusti prodibant *(Cassian. col. VIII. 3).* Haec interpretatio dicta est pharisaica a Pharisaeis, qui iussi legem Dei ob oculos habere semper, illam descriptam, phylacteriis circa brachia involutis, continuo gestabant. Quae omnia ridicula et contra subiectam materiam.

2°. Ratio ergo materiae habenda est, cui regula applicari debet prout illa scil. *odiosa* est vel *favorabilis:* quod ut plenius intelligatur duo sunt animadvertenda 1m. quae sit odiosa, quae favoribilis materia; 2m. quae pro materiae diversitate regula sit ad iustum modulum in interpretatione servandum.

Ut statuatur **quae odiosa, quae favorabilis sit materia** distinguendum est inter materiam, quae sit pure talis, et inter materiam, quae odio simul et favore sit admixta.

I. Quoad *materiam pure favorabilem vel odiosam dignoscendam,* haec regula adhiberi potest.

a) Quae primario et directe favorem ac beneficium continent, praesertim publicum, multoque magis altioris ordinis, cuiusmodi sunt, quae ad piam causam sunt constituta, favorabilia habenda sunt: et

b) quae contra, poenam, obligationem, incommodum praeseferunt, odiosa habentur; unde magis particulares Regulae.

aa) quae ad Dei cultum vel in favorem Ecclesiae vel ad aliquod christianae misericordiae opus explendum instituta sunt, favorabilia habentur. Arg. *L. Sunt personae 43. ff. de Religiosis et sumptibus funerum,* ubi monemur sumptum esse rationem, quae pro Religione facit, *Reiff. ad C. 15. de R. I. in 6. n. 21.*

bb) quae purum continent beneficium, absque ulla iuris communis derogatione, favorabilia censenda sunt: secus si iuris communis iis insit derogatio:

cc) quae iuri tertii iam quaesito detrimentum inferunt, odiosissima habenda sunt, *Can. 10. Ca. 14. q. 5; can. 5. de Off. iud. deleg.; c. 31. de Privil.; c. 10. de Rescript. in 6.; arg. regul. Cancell. 18. de iure quaesito non tollendo.*

dd) leges poenales licet bonum publicum tamquam finem ultimum respiciant, cum tamen directe ac primario poenam intendant, odiosis rebus sunt accensendae. Reiff. *ad tit. de Const. n. 422.* seqq. et DD. communiter.

ee) contra, quae de Ecclesiasticorum beneficiorum collationibus, licet per se essent favorabiles, speciali iure constitutum est, ut inter res odiosas recenseantur; ad hoc nimirum, ut coerceatur ambitio; itaque Ecclesiae et animarum bono consulatur *C. Quamvis 4. de Praeb. in 6.*

II. *Quoad materiam odio simul et favore admixtam* hae regulae tenendae sunt (de quibus consuli potest Reiff. ad *tit. de Constit. n. 437. seqq.*):

a) si pars odiosa a favorabili secerni possit, lex pro vario respectu et odiosa et favorabilis est habenda. Glos. in *L. Venia C. de in ius vocando v. Liberis ;*

b) si odium a favore nequeat separari, principalis legis scopus est attendendus ita ut favorabilis vel odiosa lex sit, prout illud est quod praecipue spectat. *Gloss. in C. Statutum de Praeb. in 6. v. Numerandum ;*

c) si principalis legis scopus dubius sit, pars favorabilis odiosae praevalere debet *arg. L. Semper ff. 57. de R. I.*

Hisce praemissis regula, quae pro diversitate materiae servanda est ad iustum modulum in interpretatione servandum, ea veluti princeps est, quae continetur *C. 15. de R. I. in 6. Odia restringi et favores convenit ampliari* h. e. in materia favorabili, nisi res perspicua sit, aut vergat in absurdum, regulis extensivis maxime est utendum, minimum autem quod fieri potest, restrictivis; secus agendum est in materia odiosa. In materia autem indifferenti res aequa lance libranda est. Unde aliae magis particulares sequuntur scil.

1. **In contractibus plena** (i. e. iusta et quantum hermeneuticae regulae simpliciter ferunt) **in testamentis plenior** i. e. aliquando latior, quandoquidem testatoris affectui aliquid recte tribuitur: **in beneficiis plenissima** i. e. largissima, ut habet *Cap. Olim, de V. S.* (Si tamen agatur de puris beneficiis non autem privilegiis, quae iuri communi derogant) interpretatio facienda est *Cap. Cum dilecti, de Donat.*

2. **In poenis autem benignior facienda est interpretatio** *C. 49. de R. I. in 6.* Haec regula α) pro casibus, ubi dubium utrum poena per legem aut per sententiam imposita, sit gravior aut mitior; et tunc interpretationem sequimur mitiorem, iuxta *L. 5. ff. de reg. iur. semper in dubiis benigniora*

praeferenda sunt; β) pro casibus, in quibus dubium est de aliqua circumstantia ex cuius variatione posset poena molliri vel exasperari; γ) talis, quae prohibeat, quominus arguatur ad similia, e. g. a casu ad casum, a persona ad personam, a loco ad locum, a poena ad poenam: sed sisti debeat intra limites casus expressi.

3. **In obscuris quod minimum est** *h. e. quod minus gravat, est sequendum c. 30, de R. I. in 6.* quam sic explicat Reiff. heic « quando in lege, statuto, aut alia dispositione sensus « ita obscurus est, ut neque ex natura actus, neque ex ante- « cedente aut subsequente tenore verborum, neque ex con- « suetudine loci, nec ex aliis circumstantiis vera legislatoris « vel aliter disponentis voluntas ac intentio saltem verosimi- « liter satis appareat, id quod minimum, hoc est quod minus « obligat, vel gravat, sentire debemus: quia α) iura prona sunt « ad liberandum et minuendam obligationem potius, quam « ad obligandum et augendam obligationem; β) sequendo mi- « nimum, minus errandi periculum est, cum plus semper in « se continet quod est minus ». *R. I. 35. in 6.*

De ordine servando in usu dictarum regularum.

116. *Ad ordinem spectat quaenam ex supradictis regulis servandae et praeferendae* maxime cum in conflictu sint?

Resp. Hac in re ut principium generale haberi debet: « **Illud est servandum quod ad legis substantiam magis pertinet** ». Et quoniam substantia legis est id, quod directe disponitur voluntate legislatoris, seu est voluntas atque intentio legislatoris non interna tantum sed proposita subditis; ergo omnes interpretationis regulae iurisperitum ad hanc legislatoris voluntatem investigandam dirigere debent. Sed cum finis seu intentio atque voluntas legislatoris exhibeantur regulis intrinsecis potius quam extrinsecis, hinc addenda uti consectaria ad hoc principium quae sequuntur.

I. *Regulae intrinsecae praeferri debent extrinsecis;* II. *mens legislatoris magis quam verba attendenda est;* III. *fraus et dolus patrocinari nemini debet,* nihil enim magis odiosum quam fraus et dolus. Hinc ceu fraudolentus exhibetur, qui contra legis

nititur voluntatem (indubiam scil.) innixus nudo verborum sensui. *Ex L. Non dubium 5. C. de Leg. et Constit. Princip.* » *Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec poenas insertas legibus evitabit, qui se contra iuris sententiam saeva praerogativa verborum fraudulenter excusat* ». Unde desumpta est Reg. I. 88. in 6°. *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. Cf. Reiff. ad hanc Reg.;* IV.) *in re autem dubia verbis serviendum est:* scilicet in dubio de mente atque voluntate legislatoris: verba enim legislator assumpsit ad significandam subditis mentem suam: eumque legislator debeat procurare ut lex clara sit et distincta, consequenter verbis uti debeat in significatione propria (ne omnia sint cavillationibus aut erroribus subiecta); ad mentem legislatoris investigandam servanda est interpreti proprietas verborum.

§ 2ª. De iis, quae excusant ab observanda lege, seu De Epicheia et Ignorantia.

A pluribus Theologis et Canonistis solet heic communiter agi de causis excusantibus ab observatione legis, atque uti praecipuae recensentur *dispensatio, metus, impotentia, epicheia, ignorantia.* Nos de his duabus ultimis breviter agemus: de dispensatione enim iam supra actum est; de impotentia et metu in genere mox cum de epicheia, in specie quoad materias quasdam particulares, suis in locis.

I. De Epicheia.

Summarium. — Quibus in adiunctis locum habet epicheia α) quae est iudicium de non existentia legis prae aliquo casu ex rite praesumpta, mente legislatoris, β) docet Regula I. si materia legis in casu, de quo agitur, iniqua vel illicita facta sit: II. vel ita ardua, ut inhumanitatem sapiat et certe ab aequitate abhorret: III. si prudenter coniectari possit quod legislator in hoc vel illo casu lege sua noluerit obligare.

117. Definitur Epicheia. Ad interpretationem revocari solet ea specialis et privata interpretatio legis, quae fieri dicitur per epicheiam, qua de re etiam in quaestione de cessa-

tione legis tractari posset. Iamvero hac 1ª. parte data vera notione innuemus fundamentum epicheiae.

Defin. « **Epicheia** latine aequitas dici potest seu convenientia ab ἐπὶ et εἰκὸς conveniens, eaque est quaedam legis interpretatio, qua, ratione habita circumstantiarum, declaratur aliquem casum, qui iuxta verba legis in lege contineretur, ex praesumpta legislatoris mente, non contineri », seu aliis verbis « *Epicheia est benigna legum interpretatio secundum aequum et bonum* declarans casum aliquem particularem ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales sub lege universaliter lata non esse comprehensum ». *Nam omnibus in casibus potior debet esse ratio aequitatis, quam stricti iuris. L. Placuit C. de Iudiciis. Ex S. Th. 2. 2. q. 120. a. 1.* « Epicheia est virtus, qua quis servata legis intentione, legis verba non servat ». Et ratio est, quia legislatores legem ferunt secundum id, quod in pluribus accidit, intendentes semper bonum: si vero in particulari eventu malum sit, verba legis servare v. g. sit nocivum depositum reddere, nempe gladium furioso, danda est epicheia seu aequitas, quae postulat ut praetermissis verbis legis iustitia, ratio, et communis utilitas servetur.

Hinc α) Verificatur maxime *C. Intelligentia 6. de V. S. quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.* β) Interpretatio latius patet epicheia, ad quam comparatur ut superius ad inferius: omnis enim epicheia interpretatio est, non e contra. Et non ex arbitrio de praesumpta mente legislatoris fit interpretatio: sed γ) inspectis adiunctis omnibus, ideo dicitur « *ratione habita circumstantiarum* etc. *declaratur aliquem casum non contineri....* quia ex iis, quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur » *L. 4. ff. de Leg.* et quae semel vel bis accidunt, contemnunt legislatores. Et δ) fundamentum, cur mens legislatoris, seu lex talem casum non comprehendat, est convenientia seu aequum et bonum naturale: cum in omnibus, maxime tamen in iure, aequitas spectanda est *l. 91. de R. I.* Porro cum aequitas naturalis dictat contrarium legi positivae, tunc locus est epicheiae, quae dicitur *iusti emendatio.*

Ad rem *Suarez l. 1. de leg. c. 2. n. 9.* « Duplex est iustum, « unum naturale, quod est rectum secundum naturalem ratio-

« nem, quod numquam deficit si ratio non erret ; aliud est *iu-*
« *stum legale,* i. e. quod lege humana constituitur, et hoc licet
« in universali iustum sit, solet in particulari deficere. Nec pro-
« pterea lex iniusta est, quia necesse est universaliter ferri : de-
« fectus autem ait Aristoteles non ex legislatore, sed ex materia
« ipsa provenit. Et iuxta hoc duplex iustum, duplex cum pro-
« portione potest distingui iustitia ; eodemque modo dupliciter
« solet accipi *aequitas :* uno modo pro aequitate naturali, quae
« eadem est cum iustitia naturali et illi respondet aequum,
« prout idem est quod iustum naturale; et in hoc sensu lo-
« quuntur saepe civilia iura de aequitate naturali e. g. *Hoc na-*
« *tura aequum est, neminem cum alterius nocumento locupletari* ».
Et aequitas hoc modo sumpta non est emendatio iuris, sed potius origo et regula (iuris) ipsius....

Alio modo sumitur aequitas pro prudenti moderatione legis scriptae, praeter rigorem verborum eius, et sic opponitur stricto iuri.... Et ab aequitate sic sumpta dicitur quasi per antonomasiam aequum et bonum, quod in se quidem tale est, licet a verbis legis discordare videatur. Et sic sumpsit Aristot. aequitatem cum illam dixit emendationem iusti utique legalis, virtutemque a quo procedit hic actus vocavit Epicheiam..... Ad illam enim spectat contra verba legis humanae agere in particulari, quando illam servare esset contra naturalem aequitatem : tuncque iudex dicitur non agere iure : utique materialiter et ut sonat, sed agere aequo et bono, quod est ius ipsum iuxta intentionem eius servare, et contrarium agere esset ius violare iuxta illud Iust. Cod. de leg. *non dubium est in legem committere eum, qui verba legis complexus, contra legis nititur voluntatem,* et ideo fortasse iurisprudentia dicta est ars boni aequi, quod in legibus interpretandis bonum et aequum semper intueri debet, etiamsi interdum oporteat verborum rigorem temperare, ne ab aequo et bono naturali discedatur.

118. **Regulae** porro, quae declarari debent, eo tendunt ut ostendant, quibus in casibus fiat haec iusti emendatio seu legis ac id praesumitur de mente legislatoris. In primis non licet uti epicheia, quando ratio legis cessat *negative,* ut quidam autumant. Et re quidem vera, tunc cessat ratio legis *negative,* cum in aliquo casu non invenitur ratio, propter quam

lex lata est: iamvero tunc observatio adhuc est iusta et possibilis, atque proinde lex nondum peccat exigendo observationem: sed usus epicheiae est cum *lex peccaret* urgendo observationem. Sic viri perfecti non excusantur a lege ieiunii, propterea quod non experiantur ea, ob quae Ecclesia praecipit omnibus ieiunium. Unde usus erit epicheiae, cum lex cessat *contrarie,* vel quia scil. in eo casu observatio legis evaderet mala, ait *Suarez l. c.,* e. g., si velles pro audienda missa derelinquere aegrotum tuo auxilio omnino indigentem; vel quia observatio legis evadit moraliter impossibilis: vel quia ex aliis circumstantiis iudicari merito possit legislatorem, etsi potuisset, noluisse tamen in certo casu obligare.

Seu aliis verbis tres modos utendi epicheia distinguit Suarez *l. 6. de leg. c. 7. n. 11.* ut unus sit propter cavendum aliquid iniquum; alius propter vitandam acerbam et iniustam obligationem: tertius propter coniectatam legislatoris voluntatem, non obstante potestate ad obligandum etiam in tali casu.

Iamvero hi tres casus, in quibus Suarez locum dat epicheiae, ipsissimae sunt regulae propositae.

Regula I. Si materia legis in casu de quo agitur iniqua et illicita facta sit, ut restitutio gladii domino furioso. Et re quidem vera si ratio D. Th. supra citati attendatur et exemplum eius, res evaderet talis ut contra ius naturale esset legem servare: atqui potius est ius naturale, quam positivum humanum. Ergo. *S. Th. 2. 2. q. 120. a. 10.* ait: « *Cum humani actus,* de quibus leges dantur, *in singularibus contingentibus* consistant, quae *infinitis modis variare possunt,* non fuit possibile aliquam regulam leges institui, quae in *nullo casu* deficeret. Sed legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes, quam tamen in aliquibus casibus servare est *contra aequalitatem iustitiae et contra commune bonum,* quod lex intendit. Sicut lex instituit, quod deposita reddantur; quia hoc ut in pluribus iustum est. Contingit tamen aliquando esse nocivum, puta si furiosus deposuit gladium et eum reposcat, dum est in furia.... In his ergo et similibus casibus malum est sequi legem positam. Bonum autem est, praetermissis verbis legis, sequi id quod possit *iustitiae ratio et communis utilitas.*

Et ad hoc ordinatur Epicheia, quae apud nos dicitur aequitas. Unde patet quod Epicheia est virtus ».

Regula II. Si materia legis ita ardua facta sit ut inhumanitatem sapiat, et certe ab aequitate abhorreat. Sic v. g. lex ieiunii non obligat in casu gravis infirmitatis, etsi iste in legem ieiunii non excipiatur expresse. Ratio autem pro hac et antecedenti regula est, quia tum peccaret lex praecipiendo iniuste, vel quia malum, vel quia immoderate ultra legislatoris potestatem praeciperet.

Regula III. Si ex circumstantiis prudenter iudicari possit legislatorem, etsi potuerit, noluisse tamen in certo casu obligare. Proprium enim Epicheiae munus est, praetermissis verbis legis, intentionem legislatoris sequi. Ergo si de intentione legislatoris constare potest, quod noluerit in eo casu obligare, etsi potuerit, uti licebit Epicheia. Quia non semper Praelatus vult obligare cum toto rigore et in omni eventu: addit *Suarez l. c. n. 8.* exemplum ieiunii, a cuius praecepto non solum censetur quis excusari propter aegritudinem gravem, in qua non posset superior obligare: sed etiam propter minorem debilitatem, qua non obstante potuisset Ecclesia obligare; sed ex benignitate noluisse creditur, et arguitur ex aliis adiunctis loci, temporis, personarum etc.

Ergo, uti diximus, tres Regulae, tres modi sunt utendi Epicheia: 1°. ut caveamus aliquid iniquum; 2°. ut vitemus acerbam et iniustam obligationem, qualis esset de re moraliter impossibili; 3°. propter coniectatam legislatoris voluntatem. Attamen hic usus licebit privato cum *clarum* est hunc casum non comprehendi: in manifeste enim comprehensis, non interpretatione, sed executione opus est: at in dubio, si est possibilis recursus ad Principem, ad eum recurrendum erit.

Obiic. *contra 3^m. modum.* Epicheia est emendatio legis cum lex peccat nisi in 1°. et 2°. modo: ergo non datur epicheia in 3°.

Resp. Lex peccare etiam dicitur in rebus valde difficilibus et damnosis, vel in quibusdam aliis adiunctis, cum verba in rigore sumpta non conformarentur benignae menti legislatoris.

Summarium. — Etsi α) in lege irritante Epicheia communiter non admittatur: β) tamen plures sunt legum irritantium casus, in quibus illa locum habet.

119. Communiter non admittit epicheiam lex irritans. Declaratur hac parte 1°) quid sit lex irritans, 2°) quotuplex ea sit, et 3°) irritandi modus, 4°) finis, 5°) probatio:

α) *Irritare legem,* modo sumitur pro irritum declarare, modo pro irritum facere, vel rescindendo actum, qui validus erat, vel impediendo ne actus validus sit e. g. praescribendo novam formam, secundum quam, nisi actus fiat, invalida sit. Unde lex irritans est, quae aliquem actum irritum vel irritandum reddit: quae nempe statuit actum aliquem vel esse statim a principio invalidum et nullum, vel postea per iudicis sententiam esse invalidandum et ut nullum habendum. Definiri ergo potest « *lex irritans ea est, quae actum aliquem efficit iuridico saltem valore destitutum et nullum* ». Ex qua definitione patet nos agere etiam de formis legalibus, quae si non adsint, nulli fiunt actus: et quoniam formae istae positae sunt a lege seu iure, hinc iuridicus dicitur valor actus, si adsit talis forma legalis seu iuridica.

β) *Quotuplex sit lex irritans.* Triplex esse potest lex irritans: 1ª. *lex naturalis,* 2ª. *positiva humana* quae *plenissime* infirmat actum tollendo obligationem non solum civilem, sed etiam naturalem, et 3ª. *lex positiva* quae aufert tantum valorem iuridicum seu civilem.

Exempla sunt ad 1m. ratione materiae per legem naturalem irritus ipso facto est contractus venditionis rei alienae.

Ad 2m. per legem vero ecclesiasticam iure ipso invalidantur matrimonia contracta intra varios gradus consanguinitatis et affinitatis, ita ut contractus matrimonialis sit plenissime infirmatus, et nullus, ideo, quia Ecclesia supernaturali auctoritate a Christo accepta, agendo quasi in ius naturale, reddit nullum quod valeret iure naturali. Sed hic advertatur oportet asserere quod actus lege positiva irritatus, foret vi naturalis legis validus, si abfuisset irritatio, id non perinde esse ac dicere, quod lex irritans faciat esse nullum eum actum, quem

lex naturae vult esse validum, ac si lex positiva nitatur contra legem naturae; sed ita quod, cum lex naturae exigat auctoritatem socialem, et, penes eam, potestatem irritandi aliquos actus, ipsa ante legem socialem non vult absolute actus naturaliter positos esse validos: sed conditionate scilicet nisi obstet auctoritas socialis.

Ad 3^m. quando vero contractus vel quilibet alius actus iure civili tantum irritus est, sed de iure naturali subsistit: neque per legem positivam civilem aut ecclesiasticam plenissime infirmatur, tunc si nemo se opponat eiusque rescissionem petat, in conscientia tutus est qui virtute ipsius aliquid possidet. Hic valet iuxta plurimos exemplum de Testamentis destitutis forma legali, qua absente, illa iuridico quidem valore carent, naturalem habent, *cf. Gury Baller. Theol. mor. t. 1. n. 817–819.*

γ) *Spectato modo lex vel implicite aut explicite,* ipso *iure vel per sententiam iudicis dicitur irritare. Fit lex explicite irritans* cum verbis exprimitur ut si lex prohibeat actum et simul addat, quod si fiat nullus sit e. g. *si secus fiat omni careant robore firmitatis (C. Decet § fin. de reb. Eccl. alien.),* atque eiusmodi clausulis irritantibus *Cf. Barb. de Claus.* Fit autem *implicite* irritans, cum lex prohibet actum et verbis aequivalentibus illum annullat; quod accidit in praescribendo certam formam in tali contractu vel dispositione servandam, tamquam conditionem sine qua non. Quae conditio sine qua non, uti patet, dicit formam esse *substantialem ob quam non servatam* habetur contractus ut irritus; quaque proin deficiente deficit actus; et non accidentalem, qua etiam non servata exsistet actus: e. g. lex Tridentina est, ut ante matrimonium denuntientur sponsi et matrimonia celebrentur in praesentia parochi et testium: secus non valitura: *praesentia parochi et testium* est forma substantialis, denuntiationes accidentales. Aliis verbis lex irritans *expresse* dicitur, quae directe irritat actum: lex irritans *implicite* est, quae indirecte irritet, praescripta forma substantiali, sine qua actus naturam suam non habet, atque adeo irritus est. Nam quia forma dat esse rei, consequenter ea deficiente corruit actus. *C. Cum dilecta, de Rescr.*

Hinc cum actui detrahitur valor sive directe sive indirecte, eo ipso personae fiunt inhabiles ad eum actum valide ponen-

dum, ut in matrimonio clandestino: et vicissim cum personae fiunt inhabiles ad certum actum ponendum, ille actus ab eis positus est nullus.

Lex dicitur *ipso iure* irritans scil. *per seipsam,* quae efficiat ut actus *iuridice* non ponatur seu nullus sit etiam ante sententiam seu irritationem iudicis. Dicitur autem irritans per sententiam iudicis quae supponens ceu validum actum hunc irritandum decernit atque *iuridice* ceu nullum habendum nonnisi post sententiam iudicis; unde in hoc secundo casu quamdiu reipsa non irritatur actus, quacumque de causa non irritetur a iudice, actus adhuc subsistit et validus est.

δ) Si *spectetur finis* seu bonum propter quod fertur lex irritans haec cum *irritat per seipsam,* distinguitur triplex: alia dicitur pure moralis et directiva, quae irritat actum praecise propter bonum commune; qualis lex est irritans matrimonium contrahendum, ob votum solemne castitatis sive in religione sive in ordine sacro recipiendo emissum: *alia poenalis,* quae irritat in poenam: qualis est irritans electionem in poenam praesumptionis *C. Si Religiosus, de Elect. in 6:* alia *favorabilis,* quae irritat in favorem e. g. lex irritans professionem minoris sexdecim annorum. In 1. respicitur tantum bonum commune, in 3. etiam bonum particulare certorum generum personarum, ut lex pupillorum et viduarum: quocirca ferri potest lex irritans actum absque ulla suppositione culpae in agente; sed ideo solum, quia bonum commune exigit vel ut aliqui actus in societate valore careant, vel ut certa sit quaedam forma, secundum quam fiunt actus, ut valeant. In 2. vero finis est odium patrati criminis, ac proinde fertur in poenam agentis; unde est poenalis e. g. in Uxoricidio. Quando lex irritans adiecta est ut poena, regulariter non irritat ipso iure: e. g. lex prohibens aliquam formam contractus mulctans irritatione, regulariter poenalis est, et rescindibilem efficit contractum.

Quando lex irritans non est poenalis, ignorantia etiam invincibilis per se non impedit irritationem: nam eatenus illa impediret, quatenus excusaret a culpa vel ab aliqua poena exorbitante. Sed lex mere irritans nec est poena, nec est propter culpam; sed propter commune bonum, cuius exigentia non minuitur per ignorantiam agentis.

ε) *Probatio quoad* 1m. Certum 1°) est leges irritantes non attendere ad casus et rationes particulares, sed ad bonum commune, cui bono illae valde conducunt: et non raro per eas solas fas est prospicere cum securitate: atqui si communiter leges irritantes admitterent epicheiam non efficaci securitate prospiceretur bono communi. Ergo. Interest

2°) enim quammaxime utilitati publicae, ut nullus aditus pateat per interpretationes privatas ad eiusmodi irritantes leges eludendas, quae ferri solent adversus fraudes versutorum hominum. Ergo. Insuper

3°) Epicheia ad id conducit, ut excuset ab obligatione: atqui id non sufficit ad conferendam potestatem valide agendi: talis enim potestas ut obtineatur, requiritur positivus actus illius, qui potest ipsam conferre; qui positivus actus deest in casu. Ergo.

120. *Quando lex irritans epicheiam admittit.* Quamvis communiter doceant DD. leges irritantes actum ob commune bonum non in poenam, sed in speciale commodum Reipublicae, (quales sunt, quae testamentis, electionibus, certisque contractibus, e. g. matrimonio, formam substantialem praescribunt): nullatenus impediri ab effectu irritationis e. g. ob ignorantiam etiam invincibilem in operante actuum sine tali forma: tamen passim invenire est apud plures additam limitationem *seclusa necessitate taliter faciendi actum.* Cf. quosdam AA. apud Krime et Castropalao *Theol. mor. P. 1. Tr. 3. D. 2. p. 7. n. 8.* Atqui haec est Epicheia.

Et re quidem vera si *communis sit in aliqua regione vel provincia impotentia* ponendi actum secundum formam praescriptam; citra quam a iure irritatur, consentiunt TT. talem impotentiam excusare ab irritatione (*Cf. Gury v. 2. n. 840,* uti videre est etiam in Declarationibus Cong. Conc. quoad impedimentum clandestinitatis et ex responsoria ep. Pii VI. ad Episcopum Lucion. an. 1793). Nam cessat obligare lex quae vergat in detrimentum societatis: atqui talis esset lex irritans in eiusmodi necessitatis casibus. Ergo.

Quod si impotentia est particularis, non omnium utique est sententia legem irritantem cessare: attamen plures sunt qui in affirmantem abeunt sententiam. P. Ballerini ad Gury *l. c.*

n. 840. exhibet sententiam suam verbis S. Alphonsi; qui sic Pignatellio affirmantem sententiam attribuit *(de Privil. n. 57).* Imo asserit Pignatellus probatque *tom. 3. Cons. 66. n. 5.* « in « tali casu (scil. urgentis necessitatis) cessare non modo « reservationem (scil. dispensationis): sed etiam legem impedi- « menti, utpote quae iam perniciosa evaserit; cum certum « omnino sit, legem nocivam non obligare, ut docent omnes « cum S. Thoma. Et ex hoc inferunt Roncaglia et Instructor « novorum Confessariorum (scil. Giordanini alias a nobis lau- « datus), quod adveniente casu, quo sponsi ad Ecclesiam per- « venerint et unus ex ipsis manifestaret confessario impedi- « mentum occultum iam contractum tamquam peccatum et « sine scandalo aut infamia matrimonium differri non posset, « potest tunc confessarius, declarare eo casu non obligare legem « impedimenti et posse licite contrahi ».

« Alioquin (addit P. Ballerini *l. c.*) autem rationes omnes, quae pro negante sententia afferri solent: *(Vid. Schmal. l. 4. tit. III. n. 106. et S. Alphons. 1079)* hac demum unica diversis modis proposita continentur, quod Decretum Tridentinum sit invalidans et irritans.

At enim nonne invalidans et irritans et reddens inhabiles ad contrahendum contra impedimentum de quo superius idem S. Alphonsus cum Pignatelli aliisque ibi allegatis agebat? Et quod caput est, undenam est ratio discriminis inter casum impotentiae communis et impotentiae particularis? Numquid non aeque militaret illa ratio quod de lege irritante agatur? Et ut arguit Franc. Amici *Curs. Theol. t. 9. disp. 7. sect. 13. n. 139.* allegans alia exempla eiusmodi necessitatis (praeter illud quod a Pignatellio exhiberi audivimus a S. Alphonso), disparitas utique extaret, quando Declarationes, quae plures habentur quoad casus impotentiae communis in aliquo v. g. pago vel oppido, vim haberent dispensationis a lege; quae dispensatio sese non porrigeret ad casus impotentiae particularis: atqui ibi nulla species dispensationis habetur, vel aliqua nova lex datur tamquam approbata a Romano Pontifice sed explicatur mens Patrum Tridentinorum a Cardinalibus Sacrae Congregationis Concilii interpretibus, qui declarando validitatem coniugiorum, quae in iis adiunctis citra formam a

Tridentina Synodo praescriptam celebrantur, eam rationem reddunt, quae aeque pro utroque casu militat: necessitatem scil. fidelium, quibus matrimonium subtrahi absonum foret ob impossibilitatem sive physicam sive moralem servandi formam tridentinam.

Quod nulla sit dispensationis aut novae legis species, auctor nobis est Pius VI, qui in epistola ad Episcopum Lucion. afferens Sacrae Congregationis Concilii auctoritatem, inquit « Ab ea enim pluries resolutum esse adnotas, *satisfieri menti Tridentini Concilii* celebrando matrimonium coram testibus ubi parochi praesentia haberi nequeat ». Et post alia, prosequitur Pontifex, « coniugia contracta, coram testibus et sine parochi praesentia; si nihil aliud obstet et valida et licita erunt, ut saepe saepius declaratum fuit a Sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete ».

Inter veteres est adcensendus Dominicus Soto Theologus Tridentinus *(in 4. D. 22. q. 1. a. 2.)*, allegatus pro hac sententia a Iacobo de Graffis *(Decis. Aur. l. 2. c. 86)*. Marchant vero ad confirmandam thesim suam « Datur epicheia et interpretatio in lege illa de praesentia parochi in matrimonio quando ex causis realibus illa praesentia est impossibilis » arguit ex respons. 1. Cong. ad Episcopum Tricariensem *(apud Gallemart ad Sess. 24. C. 1. de Ref. Matr. n. 11)*: ideo quia in hac ratio affertur pro utraque impotentia eamdem vim habens. Haec proinde opinio affirmans visa est aliis etiam apud Sanchez *(l. 3. Disp. 17. n. 3)* et Diana *(l. c. resol. 7)* satis probabilis.

Quin imo Romae an. 1741. typis Hier. Mainardi prodiit opus sic inscriptum « *De matrimoniis mixtis inter haereticos ac inter haereticos et catholicos initis in foederatis Belgii provinciis, dissertationes theologicae et canonicae Revmi. P. D. Cavalchini Archiepiscopi Philippensis Sacrae Congregationis Concilii a Secretis nec non quatuor insignium Theologorum.* » Porro ut alios ex his omittam, Dominicus Turano S. I. *(ibid. l. tt. p. 1. seqq.)* diserte tuetur sententiam de epicheia, quae locum habeat in lege irritante matrimonium propter clandestinitatis impedimentum, « *posita igitur hac tanta rerum mutatione moraliter illis populis insuperabili, propter quam redditur iisdem moraliter impossibilis* observantia Decreti Tridentini locum videtur habere debere se-

cunda, quam dixi Epicheiae regula etc. » Atqui etiam pro casu impotentiae particularis faciunt plura, quae hic theologus insignis ibi disserit. Ergo.

Nulla etiam facta distinctione inter particularem et communem necessitatem P. Krimer in *tit. de Constit.* qui sententiae communi negandi Epicheiam in lege irritante, apposita limitatione *seclusa necessitate taliter faciendi actum* scilicet sine forma substantiali n. 1167 prosequitur « contrarium (Castro-« palao) tamen tenent Tiraquel, Alderan. Mascard. Farinacius, « volentes necessitate compulsos, non implere formam prae-« scriptam, non vitiare obinde actum; sed firmum esse ex « praesumpta voluntate legislatoris, nolentis eo casu obligare ». Et n. 1168. ait « Mihi semper visum est recte argui, quod « sicut iuste praesumimus Legislatorem humanum non velle « subditis *imponere obligationem* cum gravi detrimento, quando « id secum trahit observantia legis, in quantum talis nullitas « pendet ab ipsius voluntate, sic etiam iuste idem praesumi « de praescripta forma in casu urgentis necessitatis: utrumque « enim pendet ab eius voluntate, ut ponit casus ».

Regula sit igitur, ut in 1. parte summarii, *communiter, epicheiam non habere locum in legibus irritantibus,* seu nullum esse actum, cui desit forma substantialis per legem praescripta; attamen plures videntur faciendae exceptiones. Albertus Brunus Iurisconsultus a Barbosa allegatus, *(De offic. et Potestate Paroch. p. 2. c. 21. n. 81)* principio seu regulae communi apponit 40 exceptiones *(De forma et solemnitate secundum Iuristas art. 15. fol. 44. seqq.)*, ubi fol. 63: « Trigesimo tertio, inquit, « praedicta (regula) quod forma non servata, actus sit nul-« lus, fallit, imminente necessitate iuris vel facti. Trigesimo « quarto, praedicta regula quod, non servata forma, actus sit « nullus, limitatur, ut non procedat in impedito formam im-« plere, ac solemnitates adhibere; quod multipliciter contingit »: quas exceptiones idem Brunus pluribus confirmat exemplis.

II. De Ignorantia.

Summarium. — Epicheia etiam obtinet regulariter ob invincibilem ignorantiam I. facti alieni, II. non iuris, III. ad lucrum captandum, et ad poenam evitandam. IV. Facti autem proprii, aut ex officio cognoscendi, aut publici, ignorantia non praesumitur.

121. *Declaratur.* Alii tractant alibi de ignorantia: sed nos sequimur eos, qui hanc veluti speciem epicheiae habent, eamque revocant ad qualitatem legis quatenus haec promulgationem essentialiter exigat; et agentes de causis excusantibus ab obligatione legis merito hic quaerimus: praeter exemptionem ab obligatione legis manentis (suspensae tamen respectu personae, aut alicuius communitatis ad tempus) factam vel auctoritate dispensantis, vel vi epicheiae, restat ne aliqua alia causa excusans saltem ab eius transgressione?

Et *Resp.* Causa est etiam defectus libertatis i. e. cognitionis, et voluntatis sufficientis: quem defectum parit maxime iusta et probabilis ignorantia, de qua agitur toto tit. *DD.* et *Cod. de Iuris et facti ignorantia.* De hac igitur et nos heic, breviter *a*) praenotando definitionem ac praecipuas species eius: *b*) Regulas Iuris canonici in 6^0. 13^m, 14^m et 47^m. explicando; atque tandem *c*) probando quod in summario indicatur: quamvis non eodem ordine, quo huius elementa ibi exhibentur.

A. **Quid sit et quotuplex ignorantia**? R. Ignorantia est privatio scientiae debitae: scilicet, quam quis natus est habere. Unde patet ignorantiam incedere mediam inter nescientiam et errorem: illa dicit simplicem scientiae negationem, e. g. ignorantia astronomiae in rustico; e contra nos agimus de ignorantia scientiae debitae e. g. iuris canonici in Theologis et Clericis; error autem praeter privationem cognitionis, quam quis natus est habere, dicit assensum falsitati. « *Errare quid est aliud nisi falsa pro veris putare?* » S. Augustinus.

Ad species quod attinet; *a*) *ratione obiecti* distinguitur *ignorantia iuris, facti, vel poenae. Iuris,* si ignoratur lex generalis, aut praeceptum particulare e. g. si quis nescit talem domum

esse monasterium monialium, laborat ignorantia facti, si nescitur tali legi adnexam esse excommunicationem, est ignorantia poenae; et si nescitur esse interdictum sub gravi viris ingredi monasteria, habetur ignorantia iuris. Unde *ignorantia facti* est ignorantia rei in se spectatae, seu vel circa substantiam vel circa aliquam circumstantiam: *Ignorantia poenae* est ea, qua ignoratur poena specialis et extraordinaria ex iure adnexa alicui crimini.

b) *Ratione subiecti* alia est *invincibilis,* quae nempe adhibita morali diligentia, seu ea, quae a prudentibus adhiberi solet, non potest deponi; sive quia de re quapiam investiganda nulla subsit cogitatio, sive quia obortum forte dubium, diligentia adhibita disiici non potuit. *Vincibilis,* quae adhibita tali diligentia, deponi potest. Haec autem subdividitur in *affectatam,* quae in se directe intenditur ab aliquo, ut liberius possit facere quod vult; *non affectatam* quae intenditur in causa, scilicet omissione debitae inquisitionis ob desidiam. Ignorantia non affectata h. e. quae directe et in se voluntaria non est, cum nulla vel fere nulla adhibetur diligentia dicitur *crassa* seu *supina:* si qua porro adhibetur, quae non est sufficiens et quae moraliter requiritur, dicitur *stricte vincibilis.*

c) *Ratione subiecti ignorantis* distinguitur ea, qua quis ignorans est vel legis cognoscendae incapax vel capax; vel etiam ex officio illam cognoscere tenetur.

d) *Ratione modi agendi* seu actionis voluntatis, Ignorantia tripliciter se habet ad actum voluntatis *concomitanter, consequenter,* vel *antecedenter. Concomitanter* quando ignorantia est de eo, quod agitur, tamen etsi sciretur, ageretur. *Consequenter* se habet ignorantia ad voluntatem in quantum ipsa ignorantia est voluntaria. *Antecedenter,* quae non est voluntaria et tamen causa volendi *S. Th. 1. 2. q. 6. a. 8.* Unde duplex elementum est in ignorantia antecedenti: alterum ut a voluntate non causetur: alterum ut, si ipsa abesset, non fieret actio; quae ideo fit, quia illa adest: atque adeo non est effectus sed causa alicuius actionis voluntariae. Iuxta primum elementum opponitur consequenti; iuxta secundum opponitur concomitanti. Ignorantia invincibilis idem est ac antecedens; vincibilis idem est ac consequens.

Ratione effectus ignorantia, ut refertur ad forum externum, de quo unice nobis sermo est, spectari potest in ordine ad validitatem actus, ad captandum lucrum, ad evitandam poenam.

122. B. Iamvero huc faciunt **tres Regulae iuris** scilicet **Reg. XIII.** Ignorantia *facti non iuris excusat,* quae desumpta est ex *L. Regula est I. aliis pluribus iur. ff. de Iur. et facti ignorantia,* et *C. eod. tit.* Regula continet duplicem partem: 1ª. huc redit « Invincibilis seu probabilis ignorantia facti alieni in foro externo excusat tam quoad vitandum damnum, quam in commodis ».

Dicitur *alieni non proprii. Non proprii* ex ll. cc. nisi dentur circumstantiae, ex quibus ignorantia facti proprii excuset: e. g. quia factum est valde antiquum et oblivioni datum, valde obscurum, vel in homine pluribus distento negotiis.

Sed *alieni* (nisi contingat aliquid ignorari quod potuit et debuit sciri cum mediocri diligentia e. g. quia palam et publice gestum aut affixum in loco publico); ignorantia regulariter excusat quia, regulariter est probabilis. Nemo tenetur scire quidquid ab aliis gestum est; et prudentissimi homines plurima aliena facta ignorare possunt.

2ª. Pars regulae valet « nulla ignorantia iuris sive divini et naturalis sive humani sive legis sive canonis, sive statuti municipalis, sive receptae consuetudinis in foro externo excusat quoad acquirendum lucrum, bene vero quoad evitandum damnum in re sua amittenda emergens ». Consonat *L. 7. ff. de Iur. et facti ign.:* « *Iuris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum vero perdentibus non nocet* ». Ratio est, quia leges ab omnibus intelligi et sciri debent.

Reg. XIV. « *Cum quis in ius alterius succedit, iustam ignorantiae causam habere censetur* » desumpta ex *L. Qui in alterius 42. ff. de divers. Reg. Iur.* Genuinus sensus regulae est « qui in ius alterius sive universale sive particulare succedit; invincibiliter censetur ignorare gesta antecessoris, consequenter nec in culpa, nec in mora est solvendi debita per antecessorem occulte contracta, vel restituendi iniusta ab eodem ablata; vel aliam praestandi occultam obligationem donec a petente sufficienter probetur ». Haec regula patet ex superiore, cuius est exemplum confirmans. Nam ut bene notat Glossa heic in fine

cum iuxta regulam XIII ignorantia facti alieni excuset: quid autem antecessor debeat, an et qualiter bona ipsius gravata sint, sit factum alienum, ignorans illud successor merito excusatur.

Reg. XLVII. « *Praesumitur ignorantia facti ubi scientia non probatur* » concordat cum reg. XIII. et sensus est: « Facti alieni ignorantiam habere in dubio quivis praesumitur nisi probetur eum tale factum scivisse. Regula de sola ignorantia facti non iuris est intelligenda, quia eorum, quae iuris sunt, non ignorantia sed scientia regulariter praesumitur et quidem facti alieni ».

123. C. Ex his, quae modo diximus, facile intelliguntur regulae propositae in summarii enunciatione. Et ut exordiamur ab ultima.

I. **Ignorantia facti proprii regulariter non admittitur,** nisi quandoque uti exceptio.

Relate ad 1^m^. scil. non admittitur ignorantia facti proprii patet, quia gravissimam supponit oscitantiam, quae cum invincibili ignorantia simul esse non potest. Dixi *regulariter nisi...*; quia ex peculiaribus circumstantiis *rei* (si levis sit), *temporis* (si diuturnum), *personae* (si plurimis negotiis implicatae), etiam facti proprii oblivio admitti poterit. *Reiff. in reg. iur.*

II. **Ignorantia iuris** sive quoad existentiam, sive quoad sensum legis, *a*) iuris naturae regulariter non admittitur, nisi forte agatur de homine mentis inope, aut similis conditionis: *b*) etiam circa sensum legis..... quia leges ab omnibus intelligi et sciri debent.

III. **Circa effectum** *a*) ad *actus validitatem* quod spectat, si ignoretur lex praescribens formam vel materiam actus, atque sit haec irritans ipso iure, tunc *regulariter* nullus est actus. Ratio est, quia cum actus valorem suum habeat dependenter a lege constituente potestatem iuridicam faciendi (e. g. contractum validum); ubi aberit talis lex, aberit etiam valor actus: atqui quando leges irritant actum ob commune bonum independenter a delicto, etiam stante in operante invincibili ignorantia, abest lex constituens dictam potestatem iuridicam. Ergo stante in operante etiam invincibili ignorantia talis actus, aberit valor actus.

b) Ad *lucrum captandum* excusat ignorantia facti alieni,

eaque invincibilis *L. Iuris 7. ff.* « *Iuris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum vero perdentibus non nocet* ». Non vero de facti proprii vel iuris ignorantia id est intelligendum.

c) *Ad poenam vitandam* valet ignorantia invincibilis imo etiam crassa, si in lege dicatur: *si quis scienter praesumpserit* etc. Hinc excusat a censuris incurrendis.

IV. Quod **excuset ignorantia facti alieni** *prob. ex supra dictis in reg. XIII. Iuris in 6°.*

V. *a*) Ignorantia non excusat eum, qui tenetur rem scire ex officio *(Cap. 10. de RR. I.)* « *Non potest esse pastoris excusatio si lupus oves comedat, et pastor nescit* ». Cuius regulae sensus est: « Gravissima et tanta est Pastorum animarum obligatio invigilandi subditis sibi concreditis, errores eorum corrigendi, advertendi, illosque debite regendi, a via recta aberrantes reducendi; ut etiam in casu, quo ipsis insciis et ignorantibus, aliqua ex concreditis animabus male vivendo pereat, coram Deo inexcusabiles sint ». Ratio est 1) quia ignorantia illius, qui ex officio scientiam habere debet et facile potest, pro crassa et culpabili reputatur *(C. fin. de Constit. in 6°).* Et ea, quae quis ex officio indagare tenetur, scire et scire debere facileque posse, pro eodem habeantur *can. fin. dist. 37. § 4. C. Quis de clandest. despons.* 2) Confirmatur argumento a pari *L. Qui mercedem 40. ff. locati,* ubi eum, cuius custodiae res commissa est, periculum praestare et probare debere, dolo vel culpa sua rem non periisse; quia ex officio suo custodiam adhibere tenetur *Cap. Ea quae, de off. Archidiac.*

b) Ignorantia generaliter vincibilis regulariter a poena non excusat, quamvis eam *attenuare* possit. Nam per vincibilem ignorantiam nemo excusari potest: quia si crassa et supina habetur, deperditi, socordis atque hoc ipso inexcusabilis hominis est *L. plurimum 3. ff. de I. et facti ignor.* indeque a iure reprobatur etiamsi facti sit *L. 6. ff. l. c.* « *Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis* »; iuncta *L. Regula est § 2. eod. ibi* Quid enim si omnes in civitate sciant, quod ille solus ignorat? Hinc si iuris est, etiam a SS. Canonibus reiicitur *c. 2. de Constit. in 6°. ibi. Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.*

c) Si autem *affectata, numquam et neminem excusat* sive iuris sive facti fuerit, utpote peior omni alia. Et ratio ulterior, est quia « scire et scire debere facileque posse paria habentur ». *Cf. Cum inhibitio 3. de cland. desp.* § *1. Si quis.*

d) In casibus particularibus, qualitates desumendae sunt ab adiunctis.

e) Hinc tandem quod spectat onus probandi, ignorantia facti proprii, aut facti ex officio cognoscendi, etiam alieni, aut publici non praesumitur. Aliis in casibus debet probari ab allegante *Reg. 47. de Reg. I. in 6°*. Si deficit alia probatio etiam iuramento probatur *Reiff. in Reg. 47. cf. S. Th. 1. 2. q. 76. Pichler ad tit. de Constit. n. 40. seqq.*

§ 3ª. De Methodo interpretationis SS. Canonum.

124. Cum iudex et Iurisconsultus constitutus sit pro lege applicanda, et recta legis applicatio rectam interpretationem supponat; fieri nequit, ut ii suo rite fungantur munere; nisi optima methodo ad interpretationem accedant. Idque maxime pro iudice necessarium apparet vel ex eo, quod interpretatio iudicialis ius faciat inter partes quoad determinatam illam controversiam, de qua quaeritur; nec ad alias similes potest extendi; nisi haec interpretatio evadat stylus curiae aut praxis fori. Quae optima methodus in scholis usitata antequam breviter exponatur: praenotanda sunt quaedam veluti corollaria ex superius traditis Regulis de ipsa interpretatione. Interpretatio enim non est arbitrio effingenda, sed moderanda ex principiis suis, adhibenda atque exigenda ad methodum scholasticam, qua usi Veteres perinsignes Iurisconsulti recte iudicarunt.

Punctum Iᵐ. Sunt autem praenotanda quaedam. *Generatim,* 1°. quoniam lex debeat esse expressio voluntatis legislatoris obligantis, voluntati non internae simpliciter, sed propositae subditis: tota interpretatio dirigenda est ad investigandam hanc voluntatem. Legislatoris autem voluntas I. numquam praesumitur inanis, otiosa, lasciva, impia, absurda: sed rationabilis, iusta etc. II. Proclivis ad ea, quae favorem; contraria iis, quae odium iuris habent. Ratio est, quia legislator iuris custos et

vindex est: III. Voluntas eius praesumitur talis, qualem exhibent verba legis intellecta in suo contextu, secundum communem et obviam significationem, receptam scil. iuxta temporum, locorum et personarum adiuncta, quibus lex edita est.

Speciatim 2°. vero si in conflictum duae aut plures devenerint leges, prae oculis habenda sunt sequentia: legislatoris voluntatem praesumi α) constantem et perpetuam, β) non derogantem anteriori contrariae, γ) neque immutantem ius antecedens, nisi huius iuris, cui subsequens contradicere videtur, scientia supponatur.

Punctum II^m. Ad methodum ipsam quod spectat, haec iam a scholasticis saeculo XI in Italiam introducta est, et viguit florentius usque ad saeculum XIV cum scholasticae disputationis exercitium in philosophicis etiam ac theologicis disciplinis maxime floreret. Dixi usque ad saeculum XIV: quia post captam Constantinopolim huiusmodi exercitium parum decrevit quidem, sed non cessavit. Atque in iuris academiis adhuc est vigens exercitium huiusmodi, utpote quod ingeniis acuendis, praesertim in Romana Schola, idoneum semper visum est.

Scholastica Methodus doctrinalis interpretationis Sacrorum Canonum.

Dictum scholasticae SS. Canonum interpretationis exercitium octo constat partibus: quarum *prima* consistit in simplici lectione legis seu canonis, qui interpretationi supponitur. *Secunda* est propositio facti, quae dicitur *species,* casus nempe lecto capiti relativus, qui vel reapse propositus fuit, vel potuisset verosimiliter proponi, legislatori respondens. *Tertia* pars, quae dicitur *dubium,* consistit in quadam propositione circa quam integra versatur quaestio, semper problematice, *quaesitum est* a Pontifice *an....* ac si ipsius vox respondens expectanda foret. *Quarta* pars exhibet rationes dubitandi, quae nil aliud sunt, nisi argumenta seu obiecta responsioni legislatoris, ac si ille proposuisset, contra quem Romanus Pontifex rescribit. *Quinta* pars continet *decisionem* seu partem dispositivam responsi accepti a Romano Pontifice. *Sexta* pars est ratio de-

cidendi, qua scilicet decisionis legislatoris aequitas idoneis firmatur argumentis. *Septima* pars est responsio ad rationes dubitandi allatas in 4. p. *Octava* tandem est conclusio, in qua pars dispositiva Romani Pontificis iterum recitatur.

Porro animadvertimus quoad *2m. partem:* quod si species realis non potest inveniri, oportet ut legislatoris responsioni verosimilis excogitetur. Ad efformandam facti speciem sequentes conducunt regulae.

Regula 1ª. Considerandus est accurate legis seu capitis contextus ut ex illo facti species desumatur. 2ª. Si contextus obscurus sit, ad integrum illius decretalis textum, unde caput desumptum est, recurratur oportet: scilicet ad codicem ubi integrae inveniuntur decretales. 3ª. Qui codices autographi si deficiant; tunc ex historia conficienda species est, quae temporum adiunctis atque legislatoris rectitudini iustitiaeque conveniat.

Sexta pars quandoque ab ipso legislatore petitur, quando ab ipso interprete vel ex iuris principiis, vel ex facti circumstantiis deducitur.

Coeterum sequens schema seu modus practicus rem clarius exhibebit.

Modus practicus interpretandi seu Formularium iuxta quod procedit Interpres.

1ª. Interpres *legit* totum textum, quem interpretandum suscipit.	p. 1ª. dicit: *Interpretandum est* e. g. Cap. de Rescriptis.....
2ª. Exhibetur *species facti* seu quidam casus capiti relativus, exercitii gratia confictus, ac si esset legislatoris respondenti propositus.	p. 2ª. *Species huius Capitis talis esse potest* v. g.....
3ª. Proponitur *dubium* (scil. propositio, circa quam solvitur quaestio) problematis instar propositum, ac si resolutio expectata veniat a Principe.	p. 3ª. *Quaesitum est a Pontifice an* appellatio in hoc casu debeat admitti.

4ª. Afferuntur rationes dubitandi, quae uti obiectiones opponuntur responsioni legislatoris, ab ipso interprete, qui deducit argumenta pro ingenio suo et dicendorum materia.

p. 4ª. *Videbatur Romanus Pontifex responsurus* admittendam esse appellationem; *namque aiebat Caius.....*

In 5ª. parte proponitur decisio.

p. 5ª. *Sed his rationibus non obstantibus Romanus Pontifex rescripsit:* et legitur responsio.

In 6ª. parte adducitur ratio decidendi ab ipso Legislatore petita vel a Icto ex Iuris principiis et facti adiunctis.

p. 6ª. *Et ratio decidendi est illa, quam proponit ipse Pontifex,* et.....

In 7ª. parte fit responsio ad rationes dubitandi allatas.

p. 7ª. *Nec valent allatae rationes dubitandi,* etc.

In 8ª. parte tandem conclusio apponitur.

p. 8ª. *Ergo optime rescripsit Pontifex:* et iterum recitantur verba rescripti.

§ 4ª. De subsidiis Iurisprudentiae seu ad rite faciendam interpretationem.

Summarium. — Praeter SS. Patrum sententias et decreta particularia (quae sua non fecit legislator): recenseri solent ut subsidia interpretationis A) immediate et proxime I. notitia vocum: II. Regulae iuris: III. Lucubrationes interpretum: B) mediate vero studium caeterarum scientiarum: IV. sacrarum: V. legalium et philosophicarum, et etiam VI. caeterarum artium liberalium e. g. Rhetorices etc.

Declar. Dixi praeter *SS. Patrum sententias* ut supra vidimus. SS. enim Patres spiritu Dei pleni, non solum quatenus una cum Ecclesia legislatores fuerunt in Synodis etc., sed singillatim sumpti, quum scriptores et testes referre possunt nobis exacte, qualis fuerit vetus Ecclesiae disciplina et quo sensu intellecta. Pariter Iuris Canonici scriptores seu Doctores, si unanimes sunt, referre nobis possunt testimonio suo, Ecclesiam ita intellexisse legem suam: spectante enim Ecclesia, ipsi semper ita docuerunt. Decreta Conciliorum particularium in commu-

nione cum Romano Pontifice referunt et explicant magis ius commune, cui se conformare privati et particularia concilia debent. Hinc optimum est studium et labor eorum, qui incumbunt collectionibus decretorum particularium Conciliorum e. g. Collectores et scriptores Lacenses.

I. Notitia vocum.

125. Est in Decretalium libro V Titulus 40. *de Verborum significatione* ut indicetur etiam in iure can. reperiri formas loquendi et scribendi communi usu remotas et tantum a iurisperitis adhibitas. *Ad rem Zech. Praecog.* § *416* : « Praeter prin- « cipia *essentiae,* quae hanc tamquam causae constituunt, dantur « in quavis disciplina etiam principia *cognitionis,* quibus ad ap- « prehendendam aliquam scientiam instruimur, et adiuvamur. « Inter haec.... necessaria est notitia certorum vocabulorum, « quae Iuri canonico sunt propria. Nam iuxta Ciceronem sin- « gulae scientiae singulaeque artes, habent vocabula quaedam « technica, et loquendi scribendique formas a communi usu « alienas, artificibus tantum et peritis cognitas. Unde etiam « compilator Decretalium ad finem operis sui subiungit Ru- « bricam de Verborum significatione. Nos eamdem inter ge- « neralia Iuris canonici principia recensendam duximus: cum « haec tractatio sit summopere necessaria ad..... sapientiam « iuris comparandam, utpote quae non tam in tacito intellectus « naturae, quam in legum *verbis* continetur. Unde summus « semper Iurisconsultorum circa proprietatem verborum labor, « innuitque consulentibus summus Pontifex *(C. 6. de donat.* « *inter vir. et uxor.)* ne abutantur verbis ».

Porro verbum hic sumitur (pro dictione significativa) quaecumque orationis pars. Verba alia affirmativa, alia negativa: quae differentia ex vi et effectu dignoscitur: e. g. qui negat se sponte contraxisse, censetur affirmare metum sibi incussum: qui affirmat Caium esse pauperem, negat revera Caium habere patrimonium. Verbum aliud particulare, aliud generale est, aliud universale.

Verborum significatio propria dicitur, quae correspondet primitivae institutioni; atque ideo etiam *naturalis* audit: quae

primitiva significatio si tempore in aliam consuetudine mutetur: haec nova communi usu recepta fit propria et naturalis — Verbi significatio *civilis* aut *iuridica* dicitur, quam verbum habet speciali acceptatione, vel fictione legum aut canonum...

Insuper cum verborum significario alia propria, alia usualis, alia abusiva, alia civilis et iuridica sit: qualis sit praeferenda, huc revocentur regulae Interpretationis, praesertim *verba esse intelligenda iuxta mentem proferentis,* quae velut regina semper attendi debet. Si de ea non constet aliunde regulariter in sensu proprio, magis tamen in usuali quam proprio et primaevo: item generalia esse generaliter intelligenda.

Quod si verba adhuc dubia manent, ita sunt accipienda: ut 1) consonent menti loquentis aliunde cognitae: 2) regulariter evitetur iniquitas, peccatum et praeiudicium tertii: 3) evitetur contradictio et iuris correctio: 4) consonent rei et subiectae materiae, ac personis de quibus agitur: 5) consonent praecedentibus vel subsequentibus: 6) operentur aliquem effectum: 7) ac proinde potius improprianda verba, quam inutile, absurdum, iniquum, praeiudicium tertii admittere: 8) ut dispositio vel actus valeat potius, quam pereat: 9) ut a communibus Iuris Regulis quam minime recedat: 10) ut potius sint contra proferentem, quam pro illo, praesertim in legibus et contractibus; servata tamen, quoad eius fieri potest, aequalitate inter contrahentes.

Praeter haec supra explicata, addendum speciatim, I. Pluralis locutio duorum numero est contenta *C. 40. de R. I. in 6°.*

II. Verba specialia plus operantur quam generalia, et in omni dispositione magis id, quod specialiter, quam quod generaliter expressum est, inspici debet *L. 5. § 26. ff. de iniur.* Nec ambigitur in cetero omni iure *speciem generi derogare L. 14. ff. de Poenis.*

III. Verba geminata plus operantur, quam simplicia; cum significent maturiorem deliberationem et voluntatem enixam.

IV. Sanctitas, Beatitudo olim dabantur Episcopis ab ipsomet Summo Pontifice: sed hodie tribui solent uni Romano Pontifici: et Episcopos Fratrum seu venerabilium Fratrum nomine compellat.

V. Nomen censurae, excommunicationem, suspensionem,

et interdictum vocat – si in Privilegiis reservatur *ius matricis Ecclesiae,* intelligitur Cathedralis, non Romana — *excommunico* simpliciter intelligitur de maiori excommunicatione praesertim nunc cum minor excommunicatio fere est sublata. — Vox *interdicti, novale, oblatio* et huiusmodi cetera, quid valeant, sermo erit suis in locis.

Quoad verborum significationem cf. Brissonius, *De Verborum, quae ad ius pertinent, significatione;* Barbosa, *De appellativa verborum utriusque iuris significatione.*

II. Regulae Iuris.

126. Sicut in reliquis scientiis et artibus ut ordinatim et facilius addiscantur, quaedam principia, quae tamquam fundamenta sint et a quibus numquam discedatur, praemitti solent: ita in canonum scientia, ad hanc facilius et solidius comparandam magno conducit opere omnia illa praecognoscere, quae fundamenta sint et universalia principia, in quibus quasi, vel maiorem partem, Iuris thesaurus delitescit; unde viam aperiunt de quavis ferme causa, confestim diudicandi. Haec principia in Philosophia et Theologia *axiomata,* in Medicina *aphorismi,* in Iure sive civ. sive can. *Regulae* appellari solent. Quae vox, etsi vel normam dirigentem artifices in opere suo vel praeceptum generatim scientiae aut artis cuiuscumque, praesertim vivendi normam praescribens, et quod distortum pravumque est, corrigens, significare possit: tamen heic sumitur pro sententia quadam generali legum vel canonum plurium summam paucis complectente.

Dividuntur in Authenticas et Doctrinales, illae auctoritate legislatoris nituntur, ut Regulae Gregorianae, et Bonifacii VIII. in 6°: hae vero a Doctoribus privatis instar axiomatum inventae et usurpatae sunt, a Burchardo Brocardicae etiam nuncupatae: quae divisio est ratione originis et firmitatis.

At quae in corpore Iuris continentur ad titulum 41^m. lib. V. referuntur: et tunc *ratione materiae* Regulae iuris dividuntur in *communes,* ad quamvis scilicet Iuris materiam se extendentes, et in *particulares,* versantes generaliter, sed in aliqua certa materia e. g. beneficii ecclesiastici, iuramenti, et quarum aliae

Iudiciales, aliae *beneficiales*, aliae *morales* sunt. *Morales* autem subdividuntur in *praeceptorias*, *permissorias* et *prohibitorias*.

Cum penitus omnes et singulae intelligi nequeunt absque plena iuris notitia; atque longum esset pro nostro compendio omnes recensere, remittentes vos ad varios auctores, qui eas uberius explanarunt, contenti sumus modo pauca ex singulis speciebus exempla adponere.

Exempla *communium* sunt: I. **Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit,** *C. 18. de R. I. in 6°;* II. **Qui per alium facit, per seipsum facere videtur,** *C. 68 et 72. de R. I. in 6°;* III. **Quod omnes tangit ab omnibus approbari debet,** *C. 29. de R. I. in 6°;* IV. **Res inter alios acta mihi praeiudicare non debet,** *C. 7. de Caus. poss. et propr.;* V. **Tempus non currit legitime impedito,** *C. 35. de Elect. in 6°.*

Inter particulares Beneficiales sunt quae beneficia aliasque concernunt gratias e. c. I. **Sanctuarium Dei non convenit iure haereditario possideri,** *C. 5. de Instit., C. 15. de decim., C. 15. de iur. patr.;* II. **Vilibus personis et indignis patere non debent portae dignitatum,** *C. 88. de R. Iur. in 6°;* III. **Qui servit altari vivere debet de altari,** *C. 6. de Praeb.;* IV. **Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri,** *R. 1. in 6°;* V. **Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur,** *Rubr. et C. un. Ut eccl. benef. etc.;* VI. **Non decipi beneficio sed iuvari nos oportet,** *C. un. de Commod.*

Ad *iudiciales* faciunt exempla: I. **Actor forum rei sequi debet,** *C. 5. et 8. de foro comp.;* II. **Actore non probante reus etsi nihil praestiterit, causam obtinet,** *C. un., de causa possess. et propr., C. un. Ut eccl. benef.;* III. **Nulla valet absque bona fide praescriptio,** *C. 2. de R. I. in 6°;* V. **Multa per patientiam tolerantur, quae si deducta fuerint in iudicium, exigente Iustitia, non sunt toleranda,** *C. 18. de Praeb.;* V. **Extra territorium ius dicenti impune non paretur,** *C. 2. Const. in 6°.*

Regulae morales seu ad disciplinam morum spectantes, *prohibitoriae* sunt e. g. I. **Fraus et dolus nemini patrocinari debet,** *C. 15. et 16. de Rescr.;* II. **Non est obligatorium con-**

tra bonos mores praestitum iuramentum, *R. 58. in 6°;* III. **Dolo facit qui petit quod restituere oportet,** *R. 59. l. c.*

Ad *Permissorias* pertinent I. **Necessitas facit licitum, quod non est in lege licitum,** *C. 4. De R. I.;* II. **Vim vi repellere omnes leges, omniaque iura permittunt, quam veritas relinquatur,** *C. 3. de R. I.*

Praeceptoriarum exempla sunt I. **In dubiis semitam debemus eligere tutiorem,** *C. 11. et 18. de hom., C. 3. de sponsal.;* II. **Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit,** *C. 10. de R. I.;* III. **Communis utilitas privatae est praeferenda,** *C. 18. de Regular.;* IV. **Attendere non debemus solummodo quid factum sit, sed potius quid faciendum,** *C. 27. de Elect.*

Hae vero Regulae authenticae dupliciter sumi possunt vel tamquam Principia Iuris, quibus Decisiones vel Constitutiones firmantur, vel tamquam Iuris consequentiae, quae ex Constitutionibus vel decisionibus Iuris collectae; uti *a*) ostendunt compilatores, cum eas in postremum locum reponunt: *b*) et Iurisconsultus Paulus *L. 1. ff. de R. I.* iudicat « *non ex regula ius sumitur; sed ex iure, quod est, Regula fit* », nos 1° sensu tamquam iuris principia consideramus: licet ex anteriori iure sint desumptae, tamen ab ipsis Legislatoribus tamquam Decisionum norma habentur; et sic definiri regula etiam potest « *brevis iuris sententia, uno quasi verbo varias res, eamdem rationem habentes, decidens* ». Hinc

Ad vim et effectum quod attinet, dico 1) **authenticas,** nisi male allegentur, vim iuris obtinere, et fundare allegantis intentionem, donec adversarius casum a Regula exceptum ostendat: frequenter tamen fallere, ideoque *nulla Regula sine exceptione.*

2) **Doctrinales** ius non facere, nec intentionem allegantis fundare; sed probabiliter, si materia subiecta patitur, admitti et tuto allegari posse; praesertim quae legum canonumque auxilio fulciuntur, aut stabili scholarum et curiarum usu universim recipiuntur.

Demum 3) **effectus** exceptionis a Regula, si huic adiungatur, tres esse praecipuos: I. quod *exceptio non ampliat sed restringit regulam,* quia ipsius universalitas deficit respectu

casus excepti; II. *exceptio declarat Regulam:* nam ex qualitate exceptionis patet, de quo genere Regula disponat; III. *exceptio firmat Regulam in contrarium in casibus non exceptis,* h. e. quod casus, qui excepti non reperiuntur, sub Regula censeantur comprehensi.

Antea dixi quoad authenticas *nisi male allegentur:* ad harum enim Regularum usum plura, sed praecipue duo cavenda sunt; *primum* est, si Regula certam materiam spectans, ad quamvis aliam trahatur: e. g. Regula « *id, quod nullius est, occupanti cedere* » male applicaretur de libero homine, de re sacra etc. *Secundum* si personarum, loci ac temporis adiuncta negligantur: e. g. Regula « *vim vi repellere licet* » male sumeretur de repulsione ex intervallo facta, et non tantum de repulsione in incontinenti. Haec modo sufficiant de Regulis Iuris: quas magno adiumento esse Iuris tyronibus patet ex dictis; easdem interim omnes condiscere studeant, et nacta occasione citandi in schola modo hanc modo illam, consulere possunt probatos Interpretes illarum, quos inter recensentur Barbosa *axiomata Iur.,* Glossa magna, Reiffenstuel, Wiestner, Foebeus, aliique, qui data opera in illas commentaria scripserunt.

SCHOLION.

Quae circa verborum significationem et Regulas Iuris enuntiabamus iuvat illustrare ex Iure civili cuius plures regulae nostris consonant. Nam et in Iure Romano post tit. *de censibus* sequuntur alii duo tituli claudentes Digesta: scilicet *de verborum significatione,* et *de regulis Iuris;* quia omnium titulorum superiorum communes sunt. Ex illis enim omnibus nullus titulus est, ex quo non oratio, aut verbum aliquod tit. *de V. S.* exponatur: aut variae sententiae et regulae *tit. seq.* proponantur.

Ad tit. *de V. S.* quod attinet adnotamus haec pauca iuxta Corvinum *digesta per Aphorismos* heic. « Verborum appellatione non solum simplicia vocabula, ut *Urbs – Roma l. 2. h. t., res l. 5. h. t.;* sed etiam orationes ut *mihi haeredique meo l. 29. eod. cui rei dolus aberit, abfuerit l. 69. eod.* significantur ».

In Verborum significatione voluntas potius, quam verba inspiciuntur *l. 219. h. t.* Significatio enim verborum sumitur vel ex communi usu loquendi, vel ex proprietate sermonis, vel ex intentione proferentis *l. 96. in pr. de legat. 3. l. 18. § 3. de Instr. vel. instr. leg.* et sic ex interpretatione. Interpretatio est ambiguae vel absconditae voluntatis declaratio. Habet enim proprie locum in rebus obscuris et ambiguis. In quibus adhibenda est interpretatio congrua.

Congrua dicitur interpretatio, quae verbis, personis, causis, temporibus et locis congruit *c. ult. de Transact.* Omnis interpretatio duos habere debet comites; scilicet bonum et aequum. Ius enim est ars boni et aequi *l. 1. de I. et I.* Et omnia ad bonum et aequum sunt redigenda *l. quod si minor. § 1. de minor., l. placuit C. de iudic.*

Iudex ergo in ambiguis benigniorem sententiam praeferre debet. In ambigua voce legis ea accipienda significatio, quae vitio caret *l. 18. 19. 25. de ll.*

Ad tit. *de diversis regulis Iuris antiqui,* quum titulus hic refertus sit sapientia multa, iuvabit quam maxime interpretem canonistam, si prae eius oculis ille habeatur. Circa has regulas

Iuris Romani praestat heic pauca notare iuxta cit. Corvinum, tum praecipuas earum subiungere.

Animadvertimus igitur inscribi *h. t. de diversis iuris antiqui:* quia ex diversis partibus iuris antiqui (i. e. eius quod in veterum Iuris consultorum libris continetur) desumptae sunt. Regula enim ex iure colligitur, rem (i. e. decisionem iuris) breviter enarrans *l. 1. h. t.*

Regula igitur est iuris decisio, multos casus breviter complectens, vel iuris decisio plerumque obtinens.

Concipi solet aut sub signo universali *l. in omnibus, l. omnia cum simil.* hic aut indefinito, quod universali aequipollet *l. 2. 3. eod., l. 44. de legat. 2:* aut aliis dictionibus: quae si non omnia tamen multa comprehendunt: ut fere *l. 108. l. 153. h. t.* plerumque *l. plerumque eod.* frequenter *l. 64. cum simil. eod.* et similibus.

Non constituit regula ius; est enim ex iure, quod est *l. 1. hic.* Quod verum est quoad illos casus, qui regulam praecedunt, ex quibus ipsa regula formatur. Secus est quoad alios casus, qui ante regulam determinati non inveniuntur, in quibus regula facit ius *arg. l. cum legato, quando dies leg. ced., l. 1. de reg. Caton.*

Unde in casibus non determinatis fundatam intentionem habet ille, qui regulam habet pro se ut notatur per *Gl. in l. omnis definit. hic et in rubr. eod. tit. in 6°.*

Et sententia secundum regulam proferri debet; nisi in contrarium sit probatum. Receditur tamen a regula, cum aequitas aliud suadet, *cf. l. 1. de Pact. et l. 1. de Minor.,* cum in aliquo est vitiata *l. 1. h.* i. e. cum exceptio contra eam est.

Exceptio est quae in paucis casibus vitiat regulam, ut, praeses potest gladio aliquem punire *l. 8. § 1. de poen.* non deportatione, *l. 2. § 1. eod., l. 6. l. 1. de Interd. et releg.;* licet poena gladii sit maior deportatione. Idcirco in iure particula *plerumque* significat regulam, particula *aliquando* exceptionem. Atque adeo exceptio confirmat regulam in casibus non exceptis.

PRAECIPUAE REGULAE, QUAE EX UNIVERSO ROMANO IURE DESUMUNTUR.

I. Aliae sunt ex iure naturae.

1°. Generales.

1. Naturalia iura divina quadam providentia constituta semper firma, et immutabilia permanent. Instit. de iur. nat. § 11.

2. Civilis ratio naturalia iura corrumpere non potest. L. 8. ff. de cap. min.

3. Iura sanguinis nullo iure civili dirimi possunt. L. 8. ff. de reg. Iur.

4. Quae rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. L. 188. ff. de reg. Iur.

5. Dum regula scripta deest, sufficit eius fidem firmare ex ipsa naturali iustitia. L. 13. § 7. ff. de excus.

6. Iuris praecepta sunt haec: honeste vivere, neminem laedere, suum cuique tribuere. L. 10. § 1. ff. de Iust. et I.

2°. Honeste vivere.

7. Non omne quod licet honestum est. L. 152. et 197. ff. de Reg. Iur.

3°. Neminem laedere.

8. Nefas est homini insidiari. L. 3. ff. de Iust. et Iur.

9. Domus tutissimum cuique refugium et receptaculum est. L. 18. ff. de in Ius voc.

10. Adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. L. 4. ad l. Aqu.

11. Vim vi repellere licet.

12. Non videtur vi aut dolo facere qui suo iure utitur, et ordinaria actione experitur. L. 155. ff. de Reg. I.

13. Naturalis et civilis ratio suasit alienam conditionem meliorem etiam ignorantis et inviti nos facere posse, deteriorem non posse. L. 39. ff. de neg. gest.

14. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. L. 74. ff. de Reg. I.

15. Factum cuique suum, non adversario nocere debet. L. 155. ff. de Reg. Iur.

16. Non debet nocere factum alterius ei, qui nihil fecit. L. 5. § 5. ff. de Oper. nov. nunc.

17. Non debet alii nocere, quod inter alios actum est. L. 10. ff. de Iureiur.

18. Res inter alios iudicata tertio non nocet, nec prodest. L. 2. Cod. Quib. res. iud.

19. Nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam. L. 75. ff. de Reg. Iur.

20. Quod semel placuit amplius displicere nequit; arg. ex L. 5. C. de Oblat.

21. Quod quisque iuris in alterum statuerit, ipse eodem iure utatur; ff. l. 2. t. 2.

4°. Quis non inhiet alienis.

22. Unusquisque suis fruatur et non inhiet alienis. L. 1. ff. C. de Thesaur.

23. Iure naturae aequum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem. L. 205. ff. de Reg. Iur.

24. Nemo praesumitur cum alterius damno fieri velle locupletior. L. 14. ff. de Cond. indeb.

25. Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur. L. 57. ff. de Reg. Iur.

5°. Conditionem suam meliorem reddere sine alterius damno.

26. Expedit reipublicae ne quis sua re male utatur; § 2. Inst. de His qui sui.

27. Prodesse unusquisque sibi, dum aliis non nocet, non prohibetur. L. 1. § 11. de Aqu. pluv. arc.

28. Quod tibi non nocet, alteri vero prodest, non est denegandum. L. 2. § 3. fin. eod.

29. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. L. 134. § 1. ff. de Reg. Iur.

30. Aequum non est dolum suum quemquam relevare. L. 63. § 7. ff. Pro socio.

31. Nemo de improbitate sua consequitur actionem. L. 12. § 1. ff. de Furt.

32. Qui suum recepit, nullam videtur fraudem facere. L. 6. ff. Quae in fraud. cred.

33. Iniquum est, damnosum cuique esse officium suum. L. 7. ff. Testam. quemadm. aper.

34. Adiuvari nos non decipi beneficio oportet. L. 17. § 3. Commod.

35. Praetor beneficium suum nemini vult esse captiosum. L. 8. ff. de stip. Praet.

36. Pro utilitate hominum introducta, contra ipsorum commodum produci nulla iuris ratio patitur. L. 25. ff. de Leg.

37. Quod favore quorumdam constitutum est, nolumus ad laesionem eorum inventum videri. L. 6. Cod. de Leg.

II. Praemissis duobus principiis e ratione naturali, Regulae quaedam circa praesumptiones et rerum necessitatem recensentur.

38. Ratio naturalis quasi lex quaedam tacita. L. 7. pr. ff. de Bon. damn.

39. Naturalis ratio auctoritate senatus commutari non potest. L. 2. ff. de Usufr. ear. rer.

40. Quisque praesumitur consentire in id, quod utilitatem affert; arg. ex L. 3. fin. ff. Ex quib. caus.

41. Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non praesumitur damnum sentire. L. 203. Reg. Iur.

42. Qui voluit finem et ea voluisse creditur, quae ad illum honeste consequendum sunt necessaria. L. 11. § 1. ff. Comm. praed.

43. Qui voluit plus etiam minus voluisse dicendus est; § 8. Instit. Mand.

44. Non debet cui plus licet, quod minus est, non licere. L. 21. ff. de Reg. Iur.

45. In toto et pars continetur. L. 113. de Reg. Iur.

46. In eo quod plus est semper inest et minus. L. 116. ff. de Reg. Iur.

47. *Semper specialia generalibus insunt.* L. 147. ff. de Reg. Iur.

48. *In toto iure generi per speciem derogatur.* L. 80. ff. de Reg. Iur

49. *Qui vult antecedens, non potest nolle quod sequitur;* arg. ex l. 1. ff. de Instit. act.

50. *Cum principalis causa non consistit, nec ea quae sequuntur locum habent.* L. 129. § 1. ff. de Reg. Iur.

51. *Accessorium sequitur suum principale.* L. 129. § 1. L. 178. ff. de Reg. Iur.

52. *Maior pars trahit ad se minorem.* L. 19. § 13. ff. de Aur.

53. *Nemo plus iuris ad alium transferre potest, quam ipse habet.* L. 54. ff. de Reg. Iur.

54. *Quod obstat ipsis, qui contraxerunt, et successoribus eorum obstabit.* L. 143. ff. de Reg. Iur.

55. *Non amplius quam semel res mea esse potest, et quod meum est, amplius meum fieri nequit.* L. 14. ff. de Except. rei iud.

56. *Invito beneficium non datur.* L. 69. ff. de Reg. Iur.

57. *Quod cuique pro eo praestatur, invito non tribuitur.* L. 156. fin. ff. de Reg. Iur.

58. *Infectum factum reddere nemo potest.* L. 31. de Reg. Iur.

III. Ex aequitate naturali et civili.

a) Regulae Generales.

59. *In omnibus quidem, maxime in iure, aequitas spectanda est.* L. 90. ff. de Reg. Iur.

60. *Placuit in omnibus rebus praecipuam esse iustitiae aequitatisque, quam stricti iuris, rationem.* L. 8. Cod. de Iudic.

61. *Bona fides, quae in contractibus exigitur, aequitatem summam desiderat.* L. 31. ff. de Posit.

b) Aequitas inter commodum et incommodum.

62. *Secundum naturam est commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.* L. 10. ff. de Reg. Iur.

63. *Ubi periculum ibi et lucrum collocetur.* L. fin. § 3. Cod. de Furt.

64. Ex qua persona quis lucrum capit, eius factum praestare debet. L. 149. ff. de Reg. Iur.

65. Aequum est, ut cuius participavit lucrum, participet et damnum. L. 55. fin. ff. Pro socio.

66. Lucrum non intelligitur, nisi omni damno deducto. L. 30. ff. Pro socio.

67. Cuius effectus omnibus prodest, eius et partes ad omnes pertinent. L. 148. ff. de Reg. Iur.

c) Regulae exceptionis pro bono communi.

68. Quod communiter omnibus prodest, hoc privatae nostrae utilitati praeferendum. L. un. § 14. fin. Cod. de Cad. toll.

69. Aequitas civilis interdum aequitati naturali praefertur. L. 31. ff. de Posit., L. 20. ff. de Leg. (infra reg. 78).

70. Nemo ius publicum remittere potest, nec mutare formam antiquitus constitutam. L. 5. § 7. ff. de Administr. tut.

IV. Regulae ortae ex iure civili.

1°. Regulae generales.

71. Ius civile vigilantibus scriptum est. L. 24. ff. Quae in fraud.

72. Multa iure civili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta sunt. L. 51. ff. ad Leg. Aq.; L. 21. § 9. ff. de Furt.

73. Ubi eadem est ratio, ibi idem ius esse debet. L. 12. 27. ff. de Leg.

74. Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. L. 141. ff. de Reg. Iur.

75. Quae propter necessitatem introducta sunt, non debent in argumentum trahi. L. 162. de Reg. Iur.

76. Ea quae raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur. L. 64. ff. de Reg. Iur.

77. Iura constitui oportet in his, quae ut plurimum accidunt, non quae ex inopinato. L. 3. ff. de Leg.

78. Non omnium, quae a maioribus constituta sunt, ratio reddi potest. L. 20. ff. de Leg.

2°. Regulae quoad actuum nullitatem aut validitatem.

79. Quod nullum est, nullum parit effectum. L. 4. § 6. ff. de Re iud.

80. Quod ab initio nullum est tractu temporis non convalescit. L. 29. ff. de Reg. Iur.

81. Multa tenent facta, quae ab initio fieri prohibentur; arg. ex L. 3. 4. ff. de Cond. ob turp. caus.

82. Etiam ea, quae recte constiterunt, resolvuntur, cum in eum casum reciderunt, a quo non potuissent consistere. L. 98. ff. de Verb. obl.

83. Non est novum, ut quae semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit a quo initium capere non potuerunt. L. 85. § 1. ff. de Reg. Iur.

84. Quod recte actum est, superveniente delicto corrumpi non potest. L. 2. ff. de Itin. actuq. priv.

85. Plus valet quod agitur, quam quod simulate concipitur. Cod. l. 4. tit. 22.

86. Plus valet quod in veritate est, quam quod in opinione; § 11. Inst. de Legat.

3°. Regulae relate ad expressa et non expressa utilia et inutilia.

87. Expressa nocent, non expressa non nocent. L. 193. ff. de Reg. Iur.

88. Non solent quae abundant vitiare scripturas. L. 94. ff. de Reg. Iur.

89. Ordo scripturae non impedit causam iuris ac voluntatis. L. 77. § 12. ff. de Legat. 2.

90. Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; arg. ex Leg. generali 32. § 2. ff. de Usu et usufr.

91. Utile per inutile non vitiatur. L. 1. § 1. ff. de Verb. obl.

92. In individuis utile per inutile vitiatur; arg. ex Leg. 1. § 17. ff. de Aq. quotid.

93. Quae impossibilia sunt pro non adiectis habentur. L. 135. ff. de Reg. Iur.

4°. Regulae ad dignoscendum quis par, quis potior haberi debeat.

94. Quod quis suo nomine exercere prohibetur, id, nec per subiectam personam, agere debet. L. 2. § 1. ff. de Administr. rer. ad civit.

95. Non debeo melioris conditionis esse quam auctor meus, a quo ius in me transiit. L. 175. § 1. ff. de Reg. Iur.

96. In re pari potiorem esse causam prohibentis constat. L. 28. ff. Comm. divid.

97. In pari causa possessor potior haberi debet. L. 128. ff. de Reg. Iur.

98. Inter eos, quibus ex eadem causa debetur, occupantis melior conditio est. L. 19. de Re iud.

99. In paribus pro reo decidendum est. L. 38. ff. de Re iud.

100. Prior in tempore potior in iure. L. 2. et 4. Cod. Quib. pot. in pign.

101. Cui primum res tradita est tuendus est. L. 31. § 2. ff. de Act. emp. vend.

V. Regulae quae ipsas spectant leges.

1°. Regulae generales.

102. Lex est commune praeceptum. L. 1. ff. de Leg.

103. Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. L. 8. ff. de Leg.

104. Leges ab omnibus intelligi debent. L. 9. Cod. de Leg.

2°. Quoad obiectum legis.

105. Legis virtus haec est imperare, vetare, permittere, punire. L. 7. ff. de Leg.

106. Leges et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari. L. 7. Cod. de Leg.

3°. Regulae circa vim legum.

107. Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri. L. 4. Cod. de Leg.

108. Irritum est quidquid lege prohibente factum est. L. 5. Cod. de Leg.

VI. Regulae concernentes consuetudinem.

109. Diuturna consuetudo pro iure et lege in his quae ex scripto non descendunt observari solet. L. 33. ff. de Leg.

110. In bonae fidei iudiciis ea, quae sunt moris et consuetudinis, debent venire. L. 31. § 20. ff. de Aedilit. Edict.

111. Longi temporis consuetudo vicem servitutis obtinet. L. 1. Cod. de Servit.

112. Consuetudo firmatur ex rebus iudicatis. L. 34. et 38. ff. de Leg.

113. Consuetudinis non vilis auctoritas est, verum non usque adeo ut rationem vincat aut legem. L. 2. Cod. Quae sit long.

Item Regulae nonnullae interpretationis.

I. In genere.

1°. In genere textus et contextus actus.

114. Incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere. L. 24. ff. de Leg.

115. Una pars actus alteram saepe declarat; arg. ex L. 126. ff. de V. S.

2°. Voluntas disponentis.

116. In ambiguis orationibus maxime sententia spectanda est eius, qui eas protulisset. L. 96. ff. de Reg. Iur.

117. Voluntas etiam colligitur ab actu nullo; arg. ex L. 2. Cod. de Confirm. tut.

118. Voluntas non fertur ad incognita; arg. ex Leg. 77. ff. de Contr. empt.

119. Voluntas metienda est a potestate; arg. ex L. 21. § 6. ff. de Municipal., cf. l. 3. ff. de Reg. Iur.

3°. Usus et consuetudo.

120. Si non appareat quod actum est, erit consequens ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. L. 34. ff. de Reg. Iur.

121. Quod plerumque fieri solet, ambiguam orationem saepe declarat. L. 114. de Reg. Iur.

122. Minime sunt mutanda quae interpretationem certam semper habuerunt. L. 23. ff. de Leg.

4°. Tenendum verosimilius, quod humanius est, quod minimum iniquitatis habet.

123. In obscuris inspici solet quod verosimilius est. L. 114. ff. de Reg. Iur.

124. Quotiens nil sine captione investigari potest, eligendum est quod minimum habet iniquitatis. L. 200. ff. de Reg. Iur.

125. In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet. L. 10. § 1. ff. de Reb. dub.

126. Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt. L. 54. ff. de Reg. Iur.

127. In poenalibus causis benigne interpretandum est. L. 155. § 2. ff. de Reg. Iur.

5°. Sequi quod minimum est, quod vitio caret.

128. Semper in obscuris quod minimum est sequimur. L. 9. de Reg. Iur.

129. In ambigua voce declaranda, ea potius accipienda est significatio, quae vitio caret. L. 19. ff. de Leg.

6°. Standum est pro validitate actuum.

130. Quotiens ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat. L. 12. ff. de Reb. dub.

131. Quoties in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi quo res, de qua agitur, in tuto sit. L. 80. ff. de Verb. obl.

132. Semper in dubiis id agendum est, ut quam tutissimo loco res sit bona fide contracta. L. 21. ff. de Reb. dub.

133. Ambigua intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit. L. 172. ff. de Reg. Iur.

7°. Interpretatio restrictiva et extensiva.

134. Odia restringi, favores convenit ampliari; arg. ex L. 19. ff. de Liber. causs.

8°. Nonnullae aliae regulae communes interpretandi.

135. Diversa verba diversum effectum important; arg. ex L. 7. Cod. de Codicil.

136. Inclusio unius est exclusio alterius; arg. ex L. 12. pr. ff. de Iud. c. 10. de Decim.

137. Locutio indefinita aequipollet universali; arg. ex L. 43. pr. ff. de Legat. 2.

138. Connexorum idem debet esse iudicium; arg. ex L. 3. § penult. ff. Contr. tut.

139. Quae in uno casu conceduntur aut negantur, in casu cantrario aut negata aut concessa dicimus; arg. ex L. 149. de V. S.

140. Illatio a diversis fieri non potest; arg. ex L. 27. § 4. in fin. ff. de Pactis.

141. Simplex referens nil probat sine relato. Novel. 119. c. 3. Auth. Si quis in aliquo Cod. de Edend.

9°. Quandonam excludatur omnis interpretatio.

142. Quum in verbis nulla ambiguitas est, non est admittenda voluntatis quaestio. L. 23. § 1. de Leg. 3.

143. Quae ita scripta sunt ut intelligi non possint, perinde sunt ac si scripta non essent. L. 73. § 3. ff. de Reg. Iur.

II. Regulae speciales interpretationis

1°. Ad legis spiritum dignoscendum.

144. Scire leges non est earum verba tenere, sed vim et potestatem. L. 17. ff. de Leg.

145. In fraudem legis facit, qui salvis verbis legis sententiam eius circumvenit. L. 29. ff. de Leg.

146. Non oportet ius civile calumniari, neque verba captari, sed qua mente quid dicitur animadvertere convenit. L. 19. ff. Ad exhib.

2°. Quoad sensum legis eiusque interpretationem.

147. Non est novum ut priores leges ad posteriores trahantur. L. 26. 27. ff. de Leg.; *sed et posteriores ad priores nisi contrariae sint.* L. 28. eod.

148. Saepe comparatum est ut coniuncta pro disiunctis accipiantur, et disiuncta pro coniunctis. L. 53. ff. de Verb. sign.

149. Benignius leges interpretandae quo voluntas earum conservetur. L. 18. ff. de Leg.

150. Optima est legum interpres consuetudo. L. 37. ff. de Leg.

3°. Regulae ad leges rite applicandas.

151. Cum in aliqua causa sententia legis manifesta est, ita ad similia procedi, atque ius dici debet. L. 12. ff. de Leg.

152. Lex loquens de casu simplici non traducitur ad casum mixtum; arg. ex L. 36. ff. de Legat.

153. Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; arg. ex L. 8. ff. de Publ. in rem act.

III. Speciales regulae pro privilegiis, rescriptis, sententiisque interpretandis.

1°. Quoad rescripta et privilegia.

154. Rescripta sunt stricti iuris, et ideo stricte interpretanda; arg. ex L. 2. § 10. 16. ff. Ne quid in loc. publ.

155. Privilegia quae personae sunt ad haeredes non transeunt; L. 196. de Reg. Iur.

156. Privilegium ad alienam iniuriam porrigi non oportet. L. 40. ff. de Min. tut.

157. Beneficium Principis plenissime interpretari debemus. L. 3. ff. de Const. Princ.

158. Privilegiatus contra privilegiatum utitur iure communi; arg. ex L. 11. § 6. ff. de Min.

2°. Quoad sententias.

159. Sententia est stricti iuris et ideo stricte interpretanda; arg. ex L. 5. ff. de Lib. agnosc.

160. Sententia recipit interpretationem a iure, et intelligi debet prout de iure disponitur; arg. ex L. 6. § 1. ff. de Re iud.

161. Sententia recipit interpretationem ex actis; arg. ex L. 18. ff. com. divid. L. 20. de Re iud.

162. Sententia declaratur ex decisionibus in causa praecedenter emanatis; arg. ex L. 12. et 27 ff. de Leg.

163. Sententia interpretari debet secundum mentem iudicis proferentis. L. 9. ff. de stip. Praetor.

IV. Speciales regulae interpretationis quoad contractus.

1°. Ut integer cognoscatur contractus eiusque causa.

164. Plerumque quae praefationibus convenisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repetita creduntur. L. 134. § 1. de Verb. obl.

165. Uniuscuiusque contractus initium spectandum esse et causam. L. 8. ff. Mand.

166. Contractus sine causa non sustinentur. L. 2. § 3. ff. de Dol. mal. et met. excep.

2°. Investiganda contrahentium voluntas.

167. In conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit. L. 2. 9. ff. de Verb. sign.

168. Iniquum est perimi pacto id de quo cogitatum non docetur. L. 9. in fin. ff. de Trans.

169. Quidquid obligationem adstringit, nisi palam exprimatur verbis, omissum intelligitur. L. 99. ff. de Verb. oblig.

3°. Id eligendum quod ad naturam contractus aptius est.

170. Quotiens idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipiatur, quae rei gerendae sit aptior. L. 67. ff. de Reg. Iur.

171. Plerumque in contractibus aequalitas inter contrahentes, quantum fieri potest servanda; arg. ex L. 5. et 7. § 1. ff. de Rescind. vend.

4°. In dubiis contra quem fiat contractuum interpretatio.

172. Ubi de obligando quaeritur, propensiores esse debemus ad negandum, ubi de liberando, ex diverso. L. 47. ff. de Obl. et act.

173. Stipulationibus, cum quaeritur quod actum sit, verba contra stipulatorem interpretanda sunt. L. 38. § 18. ff. de Verb. oblig.

174. Veteribus placuit pactionem obscuram vel ambiguam, venditori, et qui locavit nocere, in quorum potestate fuit leges apertius conscribere. L. 39. ff. de Pact.

175. Cum illa aut illa res promittitur, rei electio est promittentis. L. 10. § 6. ff. de Iur. dot.

V. Speciales regulae interpretandi actus ultimae voluntatis.

1°. Verba testatoris attendenda sunt.

176. Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est aliud sensisse testatorem. L. 69. ff. de Legat. 3.

2°. Investiganda testatoris voluntas.

177. In testamentis praecipue spectanda est testatoris voluntas. L. 11. § 29. ff. de Legat. 3.

178. Voluntas evidens testatoris non vitiatur errore scribentis; arg. ex L. 7. Cod. de test.

3°. Qui ultima dispositio interpretanda.

179. Cum in testamento ambigue aut perperam scriptum est, benigne interpretandum est. L. 24. ff. de Reb. dub.

180. In testamentis plenius voluntates testantium interpretamur. L. 12. ff. de Reg. Iur.

181. Licet interdum subtilitas iuris refragari videatur, voluntas testatoris ex aequo et bono tuebitur. L. 17. ff. de Iniust. rupt.

182. In legatis novissimae scripturae valent. L. 12. § 3. ff. de Legat. 1. (1)

III. Lucubrationes Interpretum.

127. Sicut enim in qualibet alia arte et scientia, maxime inserviunt opera peritorum in illa, ita et in hac nostra disciplina lucubrationes Iuris prudentum, quibus scientia canonum mirifice illustratur (2). Neque modo interpretes nominamus argumenti causa ex horum auctoritate; nam, vidimus supra, et est antiquiorum canonistarum sententia, quivis opinionem communem Doctorum semper sequi potest, eoque magis communissimam, in quam fere scil. omnes consentiunt. Sed ad eorum lucubrationes provocamus tamquam ad faces tyronibus praesertim in suscepto hoc itinere lucentes, tamquam ad eorum rationes et argumenta, quibus suum communiunt opus. Neque hisce volumus affirmare eorum sententiam non posse esse falsam: scimus enim in rebus haud certis, communissimam Doctorum opinionem solidis rationibus convelli posse.

(1) Cf. breves adnotationes quas hisce regulis subiungit advocatus G. Brugnoli, *Regole immutabili di diritto universale*. Massa-Carrara 1865.

(2) Ad methodum quod attinet ius canonicum tradendi atque addiscendi, utilissima est, quae hucusque Romae est usurpata; atque adeo Romana seu scholastica vocatur: scil. ut duplici schola absolvatur Institutionum canonicarum altera, altera Decretalium, quibus ex ordinatione Leonis XII. iungendum est simul studium et schola iuris civilis. — Atque in mente sit alte repostum, necesse esse omnino ut non modo discipuli sint adsidui in audiendis lectionibus, sed accuratissime servent tempus totum studio iuris Decretalium exclusive assignatum. — Tandem prae oculis habeant discipuli quod suis SS. Scripturae auditoribus et lectoribus commendabat Maldonatus 1. Audire professorem; 2. Repetere; 3. Disputare; 4. Legere; 5. Scribere.

At etiam quoad certas res sunt magno adiumento eorum lucubrationes, in quibus et modum intelligendi leges et argumenta validissima ad eas probandas pro eximio suo ingenio industrioque labore exhibent. Ad hos graves auctores recurrere necesse erit iis auditoribus, qui privata industria supplere debent quod publicae Institutioni deest.

At cum horum Auctorum copia nimia laboremus, delectu opus est. Et I. praeter Glossistas, de quibus iam diximus: inter eos, qui saeculo XIII. et duobus sequentibus Commentarios in Ius Canonicum scripserunt, laudamus 1° *Sinibaldum Fliscum* qui postea Romanus Pontifex electus et dictus est Innocentius IV, *Organon veritatis* appellatus an. 1243. et commentarios suos edidit iam Pontifex Romanus effectus; 2° *Henricum de Segresio* vulgo *Hostiensem,* qui appellabatur Iuris utriusque Monarcha; 3°. *Durandum* vel *Durantem* Episcopum mimatensem, auctorem ingentis operis ad causas forenses pertinentis, quod speculum inscripsit: inde vulgo *speculator;* 4° *Nicolaum de Tudescis* Abbatem Monicensem in Sicilia et demum Archiepiscopum Panormitanum unde vulgo Panormitanus aut Abbas siculus; 5° *Ioannem a Turre Cremata et Felinum Sandaevum.*

Ast ad sublime fastigium Iurisprudentiam sacram extulerunt plurimi insignes Viri varias ingressi vias a saeculo XVI ad nos usque. Alii enim ius canonicum eruditione illustrarunt e. g. *Andreas Alciatus, Petrus Rebuffus, Franc. Balduinus, Antonius Augustinus* Tarraconensis Episcopus: alii in singula capitula commentati sunt e. g. *Alteserra* in singulas Decretal. Inn. III., *Gonzalez, Tellez* in singulos textus Decretal. Greg. IX.; alii vero etsi singula capitula non commententur, servato tamen titulorum ordine totam cuiusque tituli materiam methodica explanatione tradunt, e. g. *Andreas Vallensis, Henricus Zoesius, Henricus Pirhing, Iacobus Wiestner, Anacletus Reiffenstuel, Franc. Schmalzgrueber, Vitus Pichler, Petrus Leurenius, Ferdinandus Krimer, Sanning, Schmier.....*

Quidam breviori stylo summam exhibent totius iuris canonici; et sunt generatim omnes, qui institutiones iuris canonici universim tradiderunt: e. g. *Maschat, Zallinger, Baumgarten, Gagliardi, Nardi, Zech, Philipps, Soglia.* Institutiones iuris privati, praesertim Devoti qui, praeter Institutiones ca-

nonicas magno in pretio ab omnibus habitas, reliquit praeclarum opus Ius canonicum universum usque ad 2^m. lib. Decretal. inclusive. Quidam autem vel apparatum tradiderunt, e. g. Doujat, Biner, Bouix..... vel introductionem fecerunt.

Sunt qui varios tractatus ediderunt e. g. Bened. XIV, De Synodo dioecesana, Bouix.

Alii sunt *consulentes,* h. e. qui Consilia, consultationes ad singulares casus accommodatas scripserunt, quos inter primas tenent *Decisiones Rotae Romanae, Card. De Luca Theatrum veritatis et iustitiae.....*

Alii repertoria reliquerunt e. g. *Ferraris* Prompta Bibliotheca canonica, *Schmidt* Thesaurus Iuris Ecclesiastici.

Alii tandem meros indices edidere ordine alphabetico e. g. *Brancatius* seu *de Laurea Card., Daoyz* Index Iur. Pontif.

Qui quidem AA. etsi omnes cum fructu consuli possunt: tamen in Curia Romana magni fiunt, *Fagnani, Monacelli, Cardin. Petra, Cardin. De Luca, Ferraris, Riganti, Devoti,* ex Italia; *Gonzalez, Tellez, Barbosa, Suarez* ex Hispania; *Pirhing, Engel, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Zallinger, Laurenius* ex Germania.

Sunt qui historiam Constitutionis et disciplinae Ecclesiae exhibent, v. g. *Thomassinus* vetus et nova Ecclesiae disciplina; *Du Mesnil S. I.,* Doctrina et disciplina; *Reprech,* Notae historicae universi iuris canonici; *Ponsio S. I.,* de antiquitatibus Iuris Canonici secundum titulos Decretalium; *Biner S. I.,* Apparatus eruditionis ad iurisprudentiam praesertim ecclesiasticam; *Pelliccia,* de Christi Ecclesiae primae, mediae, novissimae politia. Plura etiam inveniuntur penes eos, qui de historia ecclesiastica scripserunt e. g. *Iungmann,* dissertationes historicae ecclesiasticae; *Hergenroether,* aliique antiqui et moderni.

Insuper plures Canonistae sive exponentes ius canonicum ut *Phillips,* sive commentarios libros scribentes in ipsa capita ut *Gonzalez, Tellez,* sive ius Ecclesiasticum publicum pertractantes uti *Bianchi O. S. F., Della potestà e della polizia della Chiesa.....* partem historicam ad ius canonicum spectantem fusius enarrarunt.

Collectiones addendae sunt e. g. Tractatus ex universi iuris interpretibus collecti Lugd. 1549; Tract. universi iuris. Venet. 1584-1585; *Roccaberti,* Bibliotheca maxima Pontificia Ro-

mae 1695 seq.; *Schmidt S. I.,* Thesaurus iuris ecclesiast., Neidelberg 1772-1779.

Lexica quoque iuris quandoque volvenda, e. g. *Alberici de Rosate,* Dictionarium iuris tam civilis quam canonici, Venet. 1573; *Ioan. Calvini,* magnum lexicon iuridicum, Colon. Allobrog. 1725; *Philippi Vicat,* Vocabularium iuris utriusque. *Barbosa,* de appellativa verborum utriusque iuris significatione; De diction. particul. Tract. varii.

Nec spernendi imo valde consulendi in hac practica scientia auctores, qui libros ediderunt casuisticos et practicos, quales, e. g. sunt, praeter unum vel alterum supra indicatum, *Pichler S. I.,* Ius canonicum practice explicatum; *Pignatelli,* consultationes canonicae. Item *Ursaya,* Consultationes; *Pitonius,* de controversiis patronorum et disceptationes ecclesiasticae; *Schmalzgrueber,* consilia seu responsa iuris; *Benedict. XIV,* Instit. eccl. et quaestiones canonicae; item de Synod. dioeces.

Inspicienda tandem sunt folia periodica, in quibus saepe saepius bonae inveniuntur dissertationes iuris utriusque, e. g. Analecta Iuris Pontificii, Recueil des dissertations de droit canonique Romae 1853, Paris 1869; Acta S. Sedis Romae 1865 seqq..... atque eiusmodi cetera, quae in dies nascuntur.

At praeter hos consulendos, alii sunt vitandi, alii caute legendi. Porro *vitandi sunt* Fleury, Zalwein, Van-Espen, Cavallari, De Marca, Du Pin, Boehmer, Lequeux..... aliique eiusdem furfuris viri.

Caute legendi Schenkl, Berardi tam commentaria in Ius can. quam in Gratiani canones: et alii.

IV. Scientiae sacrae.

128. Quamvis non tam directa et immediata ut modo dicta subsidia sint, tamen adiumento magno erunt caeterae scientiae theologicae:

1) in primisque Theologia dogmatica, quae christiana dogmata validis exhibet probationibus: iamvero dogmata sunt fundamenta canonum, atque principia ad solvendas plurimas canonistarum quaestiones.

2) Exegesis biblica, quia sacrae scripturae prima linea-

menta continent sacrorum canonum, unde plures haurit canonista probationes.

3) Historia ecclesiastica, quae ortum, incunabula, progressum, fata, vicesque iuris nec non varias formas edocet, sub quibus illud praesefert, varium quadantenus, prout in varia societas civilis conditione versabatur.

Hinc 4) archeologia christiana, chronologia, geographia, statistica atque diplomatica ars ecclesiastica magnum nobis exhibent lumen ad iurium variorum historiam, naturam, originem,..... quorum omnium cognitio saepe utilis, saepissime necessaria est ad canones atque ad alia documenta iuridica probe intelligenda.

5) Nec omittenda est Liturgia, a qua accipimus omnia, quae circa sacras actiones cultumque versantur.

V. Scientiae legales.

Etiam ius positivum varium, quod obtinuit aut nunc obtinet, penes varias nationes, inter quas Ecclesia vitam degit. Quam sit necessaria cognitio iuris romani seu Iustinianei, vidimus: alia quoque civilia iura, quae pro variis locorum, temporum et personarum adiunctis occasionem saepe Ecclesiae praebuere canones aliquot mutandi. Neque omnino negligenda moderna civilia iura, quibus subiecti existunt iidem, qui membra sunt Catholicae Ecclesiae.

Caeterae **philosophicae disciplinae** praesertim Ethica et ius naturae ac gentium, illae, quia fundamenta quaedam sunt quamvis remota, haec, quia est fons iuris canonici, maximo et necessario adiumento existunt.

VI. Artes quoque liberales.

Iuvant huiusmodi artes e. g. grammatice, rhetorice etc. illa ad rectam interpretationem, haec ad exhibendam legem sic, ut hominum quorumcumque animi inflectantur. Nam sicut leges melius in mores inducuntur, atque facilius a populo excipiuntur, si humanitate atque eloquentia, suavitate efficaci proponentur; ita et doctrina ipsa legum, cum ad delectandum, tum ad commovendum, atque persuadendum, politiorum literarum ornamento atque orationis elegantia mirifice iuvabitur.

CAPUT SECUNDUM

DE REGULIS CIRCA QUASDAM LEGES SPECIALES.

Quae hactenus exposita sunt, omnibus aeque legibus conveniunt. Cum tamen nonnullae sint legum species, quae aliis quoque regulis sibi propriis utantur, hinc de iis est speciatim disserendum. Sunt autem 1. *Rescripta,* 2. *Privilegia,* 3. *Leges locorum particulares.* Hic addendae essent consuetudines. Sed cum de consuetudine generatim diximus agentes de abrogatione legis; quaeque ibi, quae generatim de consuetudine dicta sunt, cum applicari possint ad omnes consuetudines particulares; contenti erimus hic tria priora absolvere brevius, quo fieri potest, et

§ 1ª. De Rescriptis.

Haec in ordine trademus 1. de natura et specie Rescriptorum; 2. de valore; 3. de interpretatione; 4. de executione; 5. de cessatione rescriptorum. De primo et secundo agemus in summario primo, de reliquis in summario altero.

De natura, specie ac valore Rescripti.

Summarium. — Declarata I. natura et varia specie Rescripti ad huius validitatem generatim II. requiritur 1) habilitas personae varia prout varium est rescriptum gratiae scilicet vel iustitiae; 2) ut in postulatione nulla fuerit admissa obreptio aut subreptio; 3) ut nihil ei desit substantiale in forma, sive interna sive externa, ex quo defectu oritur suspicio falsi.

I. De notione et speciebus Rescriptorum.

129. Notio. Rescriptum prout hic accipitur strictissimae est significationis h. e. *propriissime* sumptum prout ipsum nomen sonat « *Responsum Principis scripto datum ad alterius instantiam* ». Proprie sumptum est *a*) scripto datum; si enim voce fiat, *vivae vocis oraculum* ipsum appellant; quod etiam in scrip-

turam recidit: quandoquidem ut vim habeat, *testimonio authentico,* probari in scriptis debet *Reiff. de Privil. n. 149. b) Principis:* in Ecclesia Christi Princeps est Romanus Pontifex: sicut Petrus Princeps Apostolorum: hinc rescripta appellantur quandoque literae simpliciter apostolicae: *c)* quae plerumque ad certa loca, aut ad speciales personas vel causas restricta sunt; inde differunt rescripta ab aliis legibus respicientibus universam Communitatem, quamvis etiam *d) Pontificiae constitutiones* generali et latissima significatione appellantur rescripta; *e) ad alterius instantiam:* quibus vocibus non officit, quod quandoque rescripto adiiciatur *motu proprio:* haec enim clausula non excludit omnem praeviam petitionem vel supplicationem, sed significat quod Princeps potius congenita clementia et liberalitate, quam orantis precatione, ad faciendam gratiam fuerit inductus.

Species variae distinguuntur praesertim *ratione a) materiae.* Materia generatim rescriptorum sunt omnes res, quae in iudicium deducuntur, vel quae ex officio vel gratia concedi possunt. Iamvero quae dantur extra litem ad gratiam aliquam alicui conferendam, *rescripta gratiae* dicuntur; quae vero dantur occasione litis, sive de obscuro partium iure princeps consulatur, sive aliud quidpiam ad litem pertinens ab eodem statuatur, *rescripta iustitiae* audiunt. Illa ex beneficientia et liberalitate Principis procedunt: e. g. concedendo indulgentias, privilegia, dispensationes, absolutiones, beneficia ecclesiastica etc. ista dantur ad delegationem vel decisionem causarum.

b) Ratione effectus prout nempe aliquid efficiunt *iuxta, praeter,* aut *contra* legem seu ius: dicuntur rescripta *iuxta legem* quae ius existens in executione promovent e. g. si ius dubium declaretur,..... si iudex delegetur ad causam secundum iura definiendam *praeter legem,* quae materiam respiciunt, quae sub lege non cadit, uti sunt variae gratiae e. g. provisiones in re beneficiaria..... *contra legem,* quae iuri communi derogant in casu particulari: uti sunt exemptiones, dispensationes e. g. matrimoniales.

II. De validitate rescriptorum.

130. Ad validitatem Rescripti I. debet esse **habilis persona supplicans** etc. Siquid essentiale rescripto desit aut deesse merito censeatur, rescriptum iam in suo actu primo, quo scil. illud editur; invalidum esse nemo non sentit. Proprie autem essentiale praetermisso defectu potestatis in Principe, cui dignoscendo regulae caeterarum legum communes suppetunt, nihil aliud in rescripto est, nisi certa Principis voluntas vere statuentis. Unde si veram Principis voluntatem in Rescripto deesse appareat, invalidum iam in actu suo primo illud esse omnino necesse est. Id autem fieri potest, si vel unum ex tribus summario enunciatis generatim requisitis deficiat. In rescripto enim, praeter concedentem, habetur *persona petens, res quae postulatur,* et *forma sub qua postulatur* et conceditur: atqui ob unum ex his deesse potest voluntas concedentis: unde triplex est caput eorum, quae ad validitatem requiruntur, quaeque si desint, et voluntatem Principis deesse, et rescripta infirmari ostendunt.

Rescriptum impetrare potest quilibet non prohibitus. Nam iuxta communem Doctorum huc facit vulgatum axioma *Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur.* Cui axiomati non obstat aliud communiter receptum. « *Prohibitum intelligitur quod non reperitur concessum* » quia hoc posterius procedit nonnumquam h. e. in materia regulariter et communiter prohibita. Nam ubi aliquid generaliter prohibetur, quod expresse *non conceditur,* intelligitur denegatum. *Clement. Exivi § Porro de V. S.* Secus est in materia communiter non prohibita: tunc locum habet prius axioma. Porro in iure prohibentur quoad Rescripta sive gratiae sive iustitiae, falsi vel iam revocati procuratores, Haeretici omnino, Excommunicati excommunicatione maiori, et quidem ita ut *ipso iure* a Rescripti beneficio arceantur, licet excommunicatio occulta sit, et ipsi non *sint vitandi;* nisi tamen agatur de causa ipsius excommunicationis vel in aliis causis *de appellatione c. 1. de Rescrip. in 6°. ibique Gloss., Reiff. ad tit. de Rescr. n. 39. 50.*

Dixi *ipso iure* quia hoc patet *ex alleg. c. 1. h. t. in 6°.* ubi

ipso iure Rescript. atque processus per ipsum habitum non valere decernitur si ab excommunicatis fuerit impetratum et consequenter ad eius invaliditatem non est opus exceptione partis adversae.

Licet excommunicatio occulta sit: quia *a*) ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus, praecise in odium vel suspectae excommunicationis; *b*) confirmatur praxi curiae, qua absolutio ab excommunicatione in Rescriptis ponitur etiam viris sanctissimis, de quibus ne suspicio quidem esse potest excommunicationis.

Dixi *etsi non sint vitandi,* quia post Concilium Constantiense de facto excommunicatus nullus est vitandus, nisi specialiter sit et nominatim in excommunicatione denuntiatus: et Const. Martini V. *Ad vitandum.....* non favore excommunicatorum, sed favore innocentium edita est, quibus difficile esset ab eorum communicatione abstinere.

Dixi *nisi agatur de causa ipsius excommunicationis* vel *in aliis causis si agatur de appellatione:* quia hi duo casus expresse habentur excepti *cit. c. 1. h. t. in 6°.* ne alioquin excommunicato subtrahantur media iustae defensionis, quorum unum contra quodcumque gravamen iniuste illatum suppetit per viam appellationis: alterum vero per modum simplicis querelae contra iniustam excommunicationem. Unde si est iniuste excommunicatus potest recurrere ad Romanum Pontificem, aut si excommunicatus super aliquo negotio quocumque, convenitur in iudicio: potest enim excommunicatus stare in iudicio uti reus: secus de sua malitia commodum referre videretur, *C. Intelleximus De Iudiciis,* licebit eidem si viderit se gravatum per sententiam iudicis, vel alias appellare et appellationem prosequi ac super tali articulo appellationis Rescriptum Apostolicum impetrare, atque alia omnia agere, quae ad sui iustam defensionem pertinent: *cit. C. 1. h. t. in 6°.*

Insuper appellatio est species defensionis, omnibus ab ipso iure naturae concesso: atqui cui conceditur principale scilicet appellare, intelligitur concessum etiam accessorium scilicet Rescriptum impetrare.

Notandum etiam de Rescriptis gratiae; ea posse obtineri pro alio, nomine tum proprio tum procuratorio; etsi mandatum

non habeatur: Rescriptum iustitiae ut obtineatur per procuratorem, exigit mandatum nisi agatur de personis coniunctis pro quibus praesumitur. Patet 1m., quia *a*) ita communiter Doctores *post. Gloss. c. 18. de Rescr. v. Nonnulli: b*) quia beneficium ut valeat non exigit necessario consensum eius, cui confertur, saltem positivam actualem intentionem: sufficit ratihabitio. Patet 2m. ex cit. *C. de Rescr.* § *Sunt et alii,* ne sc. lites suscitentur ad quaestum..... Dixi *nisi agatur* de *personis coniunctis*..... h. e. repelluntur tantum, qui extranei sunt ab ea persona, pro qua petitur Rescriptum: nisi ab ea mandatum actu validum habuerit. *Cf. et c. 23. h. t.*

Tandem impetrari Rescriptum potest contra quemcumque, modo sit subiectus iurisdictioni concedentis. Cum vero Rescriptum habet clausulam et *quidem alii,* item, *res alia;* vi illius conveniri non possunt personae digniores, neque intelligi negotia expressis graviora, *C. 5. h. t.*

131. II. Ut nulla fuerit admissa obreptio vel subreptio etc.

Diximus *infirmari Rescriptum et invalidari omnino* si qua in postulatione admissa fuit obreptio vel subreptio i. e. vel quia falsum in supplicibus litteris narratum fuit, vel quia verum, quod aperiri oportuerat, reticitum sit: utrumque quoad effectum iuris eodem recidit. Porro quando obreptio vel subreptio rescriptum infirmet, ex sequentibus Regulis poterit dignosci.

I. Regula. Obreptio vel subreptio dolo malo perpetrata Rescriptum in poenam doli absolute irritat, *C. 20. h. t.,* dummodo obreptionis materia ad negotium de quo agitur, *intrinsece* pertineat. *Cf. Layman in C. 20. h. t. Dolus malus* nil est aliud, quam verbum vel actio, qua quis alterum malitiose decipit h. e. cum intentione prava decipiendi, per quod differt a culpa, ignorantia, errore et deceptione materialiter tantum iniusta. Dixi modo *intrinsece pertineat* etc. prout sentiunt communiter Doctores. « Si subreptio vel obreptio contingat dolose et ex « malitia, Rescriptum tam *iustitiae* quam *gratiae* est ipso iure « nullum et vitiatur *totaliter* etiamsi suppressio veri vel ex- « pressio falsi non fuerit causa finalis indulti rescripti: modo « tamen pertineat ad *substantiam rei petitae* »; sic *Pichler de Re-*

scrip. n. 16: quia *C. 15. h. t.* dicitur « *Mendax precator penitus careat impetratis: quia fraus et dolus ei patrocinari non debet* » et *C. 20. eodem tit.* « qui per fraudem vel malitiam *falsitatem exprimunt vel supprimunt veritatem in suae perversitatis poenam nullum ex illis literis commodum consequantur* ». Extrinsece et per accidens esset, si e. g. Graecus nationem suam in Curia male audire ratus, syrum se dicat ita tamen, ut nulla suboriri aequivocatio possit de veritate eius personae.

II. Regula. Ex ignorantia vel simpliciter, vel innoxia qualibe de causa, admissa obreptio vel subreptio eatenus rescriptum irritat, quatenus falsum narratum, aut verum reticitum concedentis mutasset voluntatem *C. 20. de Rescrip.* Quandonam censeri Principis mutatam fuisse voluntatem si rescivisset, mox post Reg. V.

III. Regula. Obreptio et subreptio saltem quoad ea, quae concedentis voluntatem non mutassent, simplicitati aut ignorantiae adscribi debent, nisi dolus probetur saltem per probabiles coniecturas. *Arg. c. 2. de Renunt. in 6.*

IV. Regula. In *Rescriptis gratiae,* nisi agatur de re parvi momenti, obreptio dolo malo facta fuisse in dubio praesumitur, *Fagn. c. 20. de Rescript. n. 45. et 48., Mascard de Probat. Conclusio 532. n. 35. seqq.;* in *Rescriptis vero iustitiae,* quibus tutandis per contrariae partis vigilantiam satis provisum est, doli probatio in adversarium reiicitur, *Fagn. l. c. n. 41. seqq.*

V. Regula. Rescripta gratiae *ipso iure c. 2. de fil. Presbyt. in 6. Clem. 1. de Praeb.* Rescripta iustitiae *ope exceptionis* et per sententiam iudicis; obreptione irritantur. *Reiff. in tit. de Rescript. n. 170. seqq.*

VI. Regula. Triplici ex causa fieri potest ut ceu mutata habenda sit concedentis voluntas i. e. 1° si obreptio versetur circa inhabilitatem personae ad rescriptum impetrandum: 2° circa causam finalem sive concedendi sive negandi rescriptum: 3° circa ea omnia, quae ex iuris praescripto exprimenda sunt sub poena nullitatis. De inhabilitate iam diximus. Nunc,

III. De Causis Rescriptorum.

132. Revocandum memoriae est, quod motiva causa *finalis,* ac *principalis* dicitur, quae scilicet movet; *impulsiva* quae iuvat ad

concessionem e. g. dispensationis: uti pietas petentis est causa impulsiva faciendae eleemosynae; egestas vero est eius causa motiva: ista recidit in conditionem sine qua non: illa vix aut ne vix quidem causae nomen meretur. Et clausula *si vera sint exposita* ad motivam, non impulsivam refertur. *Laym. de Instit. n. 58.* Ex iure autem et ex re ipsa dignoscendum, quaenam uti motiva aut impulsiva habenda sit; non ex ingenio aut praesumpta intentione rescribentis.

Generatim dici potest:

1° Causa, quae sit unica, habetur finalis *Reiff. in h. t. n. 54.:* hinc merito hanc regulam quidam sic exhibent, si una tantum causa proposita fuerit, eaque sit falsa seu motiva seu impulsiva, vitiat rescriptum e. g. si duo consanguinei petant dispensationem connubialem, falso allegata sola causa copulae habitae.

2° Ubi causa est multiplex *a*) ea finalis dicenda est, quae stylo curiae talis habetur, secus arbitrio viri prudentis diiudicanda erit ex circumstantiis, ex obiecta materia; habita ratione iuris communis et consuetudinis in casibus. *Reiff. l. c. n. 195.*

b) Si plures sint causae quarum singulae finales dici queant: distingue: aut reduci illae debent ad unam, *complexive* eas accipiendo; aut *secus;* si *primum,* quaelibet pars, quae falsa sit, dextruit causam finalem: si *secundum,* satis est, ut una vera sit, quia *utile per inutile non vitiatur*: e. g. si mulier petat dispensationem matrimonialem ob aetatem et defectum dotis: et dote non careat *(Sanchez Matr. VIII. 21. 22.):* nisi forte plura petierit et singulis causis singulae dispensationes cohaereant *(Laym. de Resc. 25.):* e. g. si obstricta voto castitatis, propter incontinentiam petit nubere, et affini propter locorum angustias velit nubere: si nullae sint angustiae loci poterit nubere, sed non affini.

c) Cum omnes sunt impulsivae non valet Rescriptum, si vel una sit falsa; quia omnes simul pro una motiva computantur: e. g. si mulier petat affini nubere, eo quod ei iam civiliter nupserit, ipsa vero sit aegra, et sola; et tamen non est sola. *Cf. Sanchez l. c. n. 21.*

d) Sin demum mixtae sunt, non valet Rescriptum si nec una motiva sit vera.

Ex dictis resolvitur quaestio si uno rescripto duo impetraveris : et petitio quoad unum fuerit subpreptitia vel obreptitia: α) *dolo malo* facta obreptione vel subreptione Rescriptum vitiatur *totaliter* in perversitatis poenam; β) si ex alia causa sit obreptio vel subreptio, Rescriptum valet quoad unum.

e) Si dubium sit utrum causa circa quam versatur obreptio, fuerit impulsiva an finalis, impulsiva censenda est; *ut actus valeat potius, quam pereat. Arg. c. 25. § hic autem sensus, de V. S.... l. 13. ff. de Reb. dubiis.*

In specie autem uti finalis causa habetur quidquid exprimendum est sub poena nullitatis.

IV. Exprimenda sub poena nullitatis.

133. Quae denique sub poena nullitatis ex iuris praescripto in supplicibus litteris memorari debent, haec sunt:

1° Quoad *rescripta sive gratiae sive iustitiae.* Reiectio precum per aliam congregationem, si forte eadem causa, eaedemque preces apud aliam congregationem propositae antea fuerant, ab eaque reiectae: ita ut si hoc reticeatur, Rescriptum *ipso iure* nullum habendum sit *Innoc. XIII. Constit. Ut occurratur 4 Iun. 1692 quae extat in eius Bullario parvo n. 19. et apud Giraldi Expositio iuris Pontificii L. 1. sect. 214. s. Cong. C. in Firmana nullitatis Emphyt. 24 Aug. 1816.*

2° Quoad *rescripta iustitiae.*

a) *Qualitas personae* miserabilis si contra eam postuletur Rescriptum. *Innoc. in cap. Significantib. de off. deleg. Reiff. ad tit. de Rescr. n. 197.*

b) *Defectus integritatis causae,* h. e. si lis et processus de ea re sint inchoati..... *C. 20. de sent. et re iud.* aut si quid aliud ius circa id, de quo agitur, adversario iam fuerit quaesitum. *arg. c. 8. et 80. de Rescr. in 6°. Reiff. l. c. et n. seq. h. t.* Si in causa conclusum, aut per negotium aliter expeditum, sit ius tertio quaesitum de eadem re.

c) *Rescriptum prius si forte* aliud idemque contrarium ab adversario impetratum fuerit *cap. 3. de Rescr.,* nisi tamen annus iam effluxerit eodemque ille nondum fuerit usus *cap. 23. de*

Rescr. Imo si communi partium consensu prius Rescriptum impetratum fuerit, hanc quoque circumstantiam exprimendam esse docet *Glossa in dicto Cap. 3. de R. V. de Commissione, Cf. Fagnani in cap. 3. de Rescr.* Ratio generalis est, quia haec adiuncta mutassent voluntatem concedentis.

3° Quoad *rescripta gratiae in genere.* Lex exprimi debet aut consuetudo localis, si qua sit petitioni contraria *c. 19. de Rescr.* neque in iure communi comprehensa *arg. d. cap. 19. de Rescr. et cap. 4. de Rescr. in 6°. Laym. in l. 1. Decr. c. 19. de Rescr. n. 2:* negare tamen videtur *S. C. C. in Favent. Distr. Ius tertio quaesitum, c. 10. de Rescrip. in 6°.*

4° In specie quoad *rescripta* circa *impetrationem beneficiorum* a Summo Pontifice vel ab eius legato, non autem a coeteris collatoribus, *Clem. 2. de Off. iud. Ordin.*

a) Aliud beneficium, quod rescripti impetrator forte habeat *c. 13. de Rescr.* idque cum hisce ampliationibus i. e. etiamsi modicum sit vel ut aiunt

aa) unius teruncii atque ad vitae tuitionem minime sufficiat *C. 21. et 23. de Praeb. in 6°.*

bb) Etiamsi sit mera Vicaria dummodo perpetua.

cc) Etiamsi actu illud non possideat, sed ius ad idem quaesierit, sive quia nondum eiusdem possessionem adiverit, sive quia iam a possessione iam tradita iniuste deturbatus fuerit *c. 23. de Rescr. Reiffenst. n. 199.*

b) Onus curae animarum quod forte insit sive beneficio, quod petitur, sive alteri, quod iam possidetur *Clemen. 1. de Praeb.*

c) Ius quodlibet in beneficio quod petitur, tertio quaesitum *arg. cap. 10. de Rescr. in 6°.*

d) Conditio fundationi beneficio apposita, quae petenti adversetur Conc. Trid. *S. 25. in fine de R.,* nisi tamen iure ipso communi praecepta sit, eaque in iure, non in facto consistat; quia tunc non ignota esse Principi existimatur.

5° Quoad *rescripta circa alias materias* in specie e. g. circa dispensationes vel ab irregularitate vel ab impedimentis matrimonii etc. quidquid ex iuris praescripto in supplicibus literis exprimendum sit: suis etiam in locis erit disserendum.

V. De substantiali in forma sive interna sive externa.

134. Ut nil Rescripto desit substantiale in forma sive interna, sive externa, ex quo defectu oritur suspicio falsi. Porro indicia falsitatis rescripti huc a Doctoribus revocantur: *a*) ad defectum consuetae formae: *b*) ad rasuram literarum in parte dispositiva: *c*) ad errorem latinitatis manifestum: *d*) si mandatur aliquid nimis durum, et a recta ratione alienum: *e*) si sit in praeiudicium tertii vel derogans iuri alieno, nec faciens expressam de iis mentionem.

Forma rescripti generatim consistit in recta eiusdem conceptione et expeditione iuxta stylum curiae.

Forma intrinseca et extrinseca. Diximus ad valorem rescripti requiri, ut nihil ei desit substantiale in forma sive interna sive externa. 1°. *Forma interna* constat triplici parte, quae solet distingui: scilicet: narratione, supplicatione et conclusione.

Narratio facta a supplicante est propositio eorum, ob quae quis nititur impetrare rescriptum: facta a rescribente est vel summaria repetitio narrationis a supplicante positae, quam orator regulariter probare debet; vel nova expressio rerum, quas incidenter commemorat rescribens. Haec narrata nisi Princeps loquatur ex certa scientia vel de facto proprio nihil probant. Unde si Papa vocet aliquam Ecclesiam exemptam, non propterea illius Ecclesiae exemptio approbata quamvis in antiquis faciant praesumptionem.

Supplicatio est, qua preces ab oratore oblatae repetuntur.

Conclusio seu pars dispositiva est pars praecipua Rescripti, in qua mens rescribentis cum debitis clausulis exprimitur.

Clausulae efficaciores sunt *si preces veritate nitantur* « haec si non exprimatur semper intelligitur, *c. 2. h. t. Motu proprio – De plenitudine potestatis – Ex certa scientia.... non obstantibus.* De hisce clausulis iam potiora vidimus supra. Scriptura necessario requiritur, in qua supplicationes in materia gratiae signantur primum per verbum *fiat* vel *concessum*: in materia *iustitiae* per verbum *Placet.* Ex hac tamen Gratiae sunt adhuc informes, donec in forma legitima expediantur literae, iuxta quas dein erit iudicandum.

2°. *Forma externa* constat iis omnibus externis characteribus, qui ex stylo curiae adhiberi solent ita ut rite formatum et expeditum dicatur. Ut tale sit, *a*) Rescriptum exprimere debet *nomen Pontificis,* annum Incarnationis et Pontificatus, diem expeditionis non per cifram et notas numerorum: sed per integras literas iuxta *Reg. 17. Cancell. b*) Exprimere debet *nomen debitum eorum,* ad quos mittitur: nam iuxta stylum Curiae Papa vocat *venerabiles fratres* omnes insignitos charactere episcopali; appellat *dilectos filios* Imperatorem et omnes alios sive clericos sive laicos. Compellat illustres et nobiles praesertim si coniugati sint, *viros;* si soluti sint, *iuvenes. c*) Debito modo alloqui debet eos, ad quos emanat: nam si ad unum dirigetur non *vos, vester,* sed *tu, tuus. d*) Si sit rescriptum gratiae debet bullari cum filo serico, rubro et croceo; si vero sit rescriptum iustitiae, cum filo cannabino, in quo pendet plumbum. *e*) Debet interinari seu approbari ab his, ad quos mittitur, ubi haec approbatio postulata et necessaria fuerit: solent autem rescripta gratiae dirigi ad Ordinarios locorum, rescripta vero iustitiae ad ipsos iudices delegatos, ut super veritate narrationis cognoscant.

3°. *Rasura literarum* in parte dispositiva *cap. 7. de Relig. dom.,* nisi aliunde suspicio omnis adimatur e. g. si Rescriptum manu adversarii sit, cui fraus adscribenda, aut si clausum ac signatum, Ordinario traditum Rescriptum fuerit: unde in ipsa Cancellaria rasuram factam esse praesumi debeat; vel si legitimis testibus rescripti fides confirmetur etc. *Cf. Reiff. L. 1. tit. III. § IX. et Riganti in Resign. Cancel. Reg. 27. n. 178,* ubi monet non ita facile hac de causa reiicienda esse Rescripta, cum in ipsa Cancellaria abradi correctionis caussa non raro literae soleant, et quandoque etiam diversa manu.

4°. *Error latinitatis manifestus* nisi eiusmodi sit, qui legentium oculos facile fugere possit, *C. de Rescr.* Dixi *latinitatis;* si enim error sit e. g. in nomine vel dioecesi impetrantis, per se Rescriptum non vitiat: arg. in *L. Si in nomine Cod. de Testam.; per se,* inquam, quia per accidens eiusmodi etiam error vitiare posset: e. g. si persona impetrantis redderetur inde incerta; vel si eiusmodi error finalem Rescripti causam afficeret, quemadmodum e. g. videre est in *cap. 34. de Rescr.,* ubi iudices Rhe-

menses concessi fuerant a Pontifice adversus quemdam Vitum, qui per errorem *Rhemensis dioeceseos* dictus fuerat cum esset *Leodiensis ;* unde Rescriptum merito dictum est nullum; cum electio iudicum Rhemensium tamquam ex causa finali ab errore prodierit. *Cf. Gloss. in d. cap. 34. de Rescr. et Reiff. ad tit. de Rescr. n. 218. et seqq.*

Dixi *nisi talis* sit *qui legentium oculos facile fugiat :* textu expresso in *C. 11 de fid. Instr.;* cum enim idcirco falsitatis praescriptionem error latinitatis inducat, quia verosimile non est animadversum illum non fuisse; siquidem Rescripta Pontificia sub oculos multorum transeunt, qui literis exculti sunt: et ut ait Gloss. in *Cap. Ad audientiam de Rescript. Rescriptum per manus transit et multa maturitate decoquitur,* consequens est in praedicto casu praesumptionis fundamentum deficere.

5°. Addunt nonnulli, ut supra, indicium esse falsitatis, si quid valde durum in Rescripto praecipiatur. Ne tamen aditus evertendis Summi Pontificis Rescriptis nimis amplus aperiatur, animadvertendum est, non falsitatis praesumptionem ea re induci, sed iustam praeberi causam ad rescripti exequutionem paullisper suspendendam, ut de vera sua voluntate consuli Summus Pontifex interea possit, textu expresso *in Cap. 5. de Rescrip.*

6°. Dictum est supra oboriri suspicionem si rescriptum sit in praeiudicium tertii, nec faciat de eo mentionem, ut patet in *c. 8. h. t. in 6°.* « Titius a Pontifice obtinuerat gratiam de beneficio proxime vacaturo in Ecclesia A. Mox idem Pontifex vel eius successor hanc gratiam revocat. Dein similem gratiam pro eadem ecclesia confert Caio. Postea Titius restitutionem gratiae revocatae impetrat a Sede Apostolica. Vacante nunc in illa ecclesia beneficio, dubitatur « Titiusne an Caius in eius assecutione esset praeferendus » Pontifex decidit praeferendum esse Caium; cum talis restitutio ubi aliud non exprimitur, intelligitur fieri sine iuris praeiudicio alieni ».

Summarium. — Generatim de vera rescriptorum I. interpretatione, praeter regulas communes quoad leges omnes: speciatim rescripta et cohaerere debent, cum supplicibus literis et regulariter strictae interpretationis censenda sunt: II. de executoribus vero indicatur a) quinam sunt eiusmodi executores: b) quae et quanta eorum opera esse debeat; c) intra quod tempus iidem sunt adeundi. III. Breviter tandem innuitur cessatio Rescriptorum.

I. De interpretatione Rescriptorum.

135. Generatim de vera *Rescriptorum interpretatione* tenendum est, quas regulas de legum interpretatione in universum supra statuimus, easdem et in Rescriptis locum habere. Cum tamen sub legum genere Rescripta speciem constituant, propriamque habeant naturam, iis proinde recte intelligendis aliquot etiam regulae eorum propriae afferuntur..

Siquidem rescriptum est Principis responsum ad supplices Oratoris literas, sequitur ita illud intelligendum ut cum supplicibus literis cohaereat *S. C. C. in Milevitan. Benefic. die 28 Ian. 1832.*

Generatim **strictane an lata interpretatio?**

Resp. *Regula I. generatim.* Communis doctrina et certa Canonistarum Doctorum, ut videre est penes *Schmalz. in h. t. n. 24. seqq.* 1) Rescripta iustitiae regulariter interpretari debent *secundum propriam significationem* verborum praesertim Curiae, a qua emanant, usu receptam: quia hoc sensu supponitur locutus Princeps: 2) et secundum *ius commune* ne illi derogent, etsi necesse sit a verborum proprietate recedere; quia non censetur Papa velle decernere contrarium iuri communi, nisi expresse huic deroget clausula non obstante..... 3) ac stricte interpretanda, quia per illa detrahitur forte iurisdictioni ordinarii; et recensentur inter odiosa, quia causam et materiam litis praebent; inde extendi nequit a casu, vel a persona expressa ad casum vel personam non expressam. 4) Ita sunt intelligenda Rescripta ut minimum afferant praeiudicium: quia concessiones Principis semper sunt ita intelligendae, ut nemini noceant, nisi quantum expressum sit. 5) Interpretationem strictam habent

etiam Rescripta ad beneficia, quia huiusmodi rescripta continent mandatum de provisione facienda; atqui fines mandati diligenter custodiendi.

Ex his profluit *Regula II.* Cum Rescriptum quod iuri communi non deroget, aut alterius conditionem graviorem non faciat, rarum sit; quae autem pertinent ad beneficiorum collationem, etiamsi neque de iure communi, neque de proprio quidquam detrahant: nihilominus inter odiosa in iure adnumerantur: hinc regulariter Rescripta *strictae interpretationis censenda sunt. S. C. C. in Arimin. Parochiar. die 5 Sept. 1821.* Si quod tamen occurrat Rescriptum, in quo nulla ex praedictis rationibus appareat, latius erit interpretandum. *Cap. 22. de Privil. Cap. 16. de V. S.*

Regula III. Si quod dubium exoriatur utrum gratiae an iustitiae Rescriptum dici debeat, iustitiae esse praesumendum est.

Regula IV. Verba hortatoria, quae in Rescriptis forte reperiantur, praeceptiva habenda sunt *S. C. C. in Firmana Cappellaniae 18 Sept. 1802.*

II. De Executione Rescriptorum.

136. Haec paragraphus duplex habet punctum: in 1°. de ipsa executione generatim: in 2°. de vi rescripti, facta executione seu de tempore in Rescriptis considerando.

Rescripta executionem aliquando liberam atque expeditam habere possunt, cum ipsis oratoribus a Principe diriguntur neque alterius opera ullo pacto indigent. Aliquando vero alterius indigent opera; sive

α) quod *res ipsa* id postulet e. g. cum de gratia agitur, qua quis ordinari possit extra tempora; quod sine Episcopi ordinantis opera executionem habere non potest (huc pertinet *C. 31. de Off. Iud. Deleg.*); sive

β) quod *ordinem publicum* attingant; quo sane in casu si ordinis publici curator i. e. ordinarius dioecesis rationem cur ita agatur postulet, eidem saltem per exemplar a publico scriba recognitum, exhibenda erunt; non quidem ut approbentur, sed ne ille imprudens, quippe qui Rescriptum ignoret, impedimentum aliquod apponat;

γ) sive denique quod ipse Princeps executores rescripti sui

designavit. De hoc praesertim postremo casu agentes dicemus 1) quinam sunt eiusmodi executores; 2) quae et quanta eorum opera esse debeat; 3) intra quod tempus iidem sint adeundi. *Cf. Schmalz. in t. de Rescript.*

Ad I^m. quod pertinet scil. *quinam sint eiusmodi executores;* sat est animadvertere, falso quosdam putare executionem literarum apostolicarum ad Ordinarios ipso iure pertinere, eamque sine illorum auctoritate fieri non posse. Id enim hoc ipso quod ex *iure insito* Episcopis deducunt, profecto contra Primatus rationem faciunt, contraque Ecclesiae Constitutionem; quod autem ex iure ipso ecclesiastico id eruere conantur, id et perperam et frustra. Ex duobus enim locis, quae citari solent, *primum,* i. e. *C. 31. de Off. Iud. Deleg.* quo pertineat, modo dictum est: secundum i. e. decretum S. C. Tridentini Sess. 24. de Ref. c. 20. ad executionem literarum apostolicarum nullo pacto extendi debere statuit Greg. XIII. *Constit. ad Romanum die 10 Iulii 1574.* Quapropter Executores literarum apostolicarum nulli alii sunt habendi, nisi qui fuerint a Pontifice Maximo deputati; quamquam in praxi soleant ipsi Ordinarii plerumque ab eo nominari. Ratio est, quia licet quivis esse possit Rescripti executor, quem ipse R. Pontifex nominavit; tamen *iuxta Cap. Statutum* §. *Sancimus de Rescript. in 6.* aliquis esse solet aut dignitate praeditus, aut personatum gerens, frequentius autem ipse Episcopus, ad cuius dioecesim pertinet is, qui rescriptum impetravit.

Ad II^m. At *quae sit quantaque eorum aestimanda auctoritas?* ut clare pateat, duo praenotanda sunt: 1) quotuplex sit executorum species; 2) qua ratione cognosci possit eum, qui executor dictus est, ad unam potius, quam ad alteram speciem pertinere.

Porro Executorum duplex species, alii quippe sunt meri, alii mixti. *Executor merus* dicitur, cui nudum exequendi ministerium, absque ullo iurisdictionis exercitio committitur, ita ut eius officium in solo facto consistat, neque Iudicis partes possit assumere. *Mixtus* vero, cui praeter exequendi ministerium, iurisdictio ad rem cognoscendam demandatur, circa quam iudicis partes eum agere necesse est.

Duplici autem ratione fit, ut qui executor datus est, mixtus

haberi debeat: 1. si Pontifex id expresserit: 2. si eiusmodi clausulae sint appositae, quae vim habere nequeant, nisi partes executoris mixti ille exerceat.

De clausulis praeter ea quae circa frequentiores infra dicemus, cf. commentarium satis amplum a Barbosa confectum, plurimasque earum expositas a Rosa in suo *Tract. de Executor. Litt. Apostolic. P. 1. c. 4. et P. 2. c. 4.*

His praecognitis, en quid de eorum Executorum auctoritate tenendum: his scil. qui *meri* sunt, nulla proprie dicta est auctoritas, sed nudum exequendi ministerium, decreto scilicet edito, ut qui Rescriptum obtinuit in gratiae possessionem immittatur. Hi vero, qui sunt mixti, tanta pollent auctoritate quanta a Summo Pontifice, vel expresse vel saltem implicite, vi clausularum iis delata est.

In specie quoad *executorum officium* haec animadvertenda.

I. *Mercedem aut munera pro suo officio exigere* aut recipere executoribus nullatenus licet, nisi forte sit esculentum aut poculentum, quod brevi consumi possit, quodque ex mera liberalitate fuerit oblatum. Reliquae autem expensae aut omnino evitandae, aut modicae quantum fieri potest faciendae: *c. Statutum de Rescript. in 6.* cui consonant Constitutiones Alexandri VII *Inter gravissimas 2. Martii 1656,* Innocentii XII *Sacerdotalem die 29. Ian. 1699,* et *S. C. C. apud Cardin. Petra Comm. in Constit. apost. t. V. in Constit. 5. Pauli II. Sect. 5. n. 62.*

II. *Executores meri non habent subdelegandi facultatem;* de mixtis autem dubitatur cum alii dicant eos pares caeteris iudicibus a Principe delegatis: qui alios subdelegare possunt, nisi forte adsit clausula *per te exequaris:* alii autem negent saltem quoad ipsum executionis decretum; cum eos ita a Principe delegatos esse dicant, ut hic industriam eorum propriam spectasse censendus sit; licet quoad causae cognitionem hanc illis facultatem denegare vereantur. Prior sententia magis nobis arridet: licet alia sit tutior, ab eaque non recedendum moneat laudatus Card. Petra *l. c. n. 63.* saltem quoad executores cum clausula *si in evidentem.*

III. *Negligente executore Rescriptum exequi,* eaque de causa alio a Sede Apostolica impetrato, prior executor potestate sua cadit.

IV. Potestas executoris expirat multiplici modo, sc. *a*) *Re perfecta,* immisso oratore in gratiae possessionem. *b*) *Revocatione,* sive sponte a R. Pontifice facta, sive ad *petitionem oratoris,* qui executorem in suspicionem adduxerit, causamque suspicionis exposuerit. *c*) *Morte delegantis,* i. e. ipsius Pontificis. Morte delegantis non tamen generatim et simpliciter, sed hisce sub conditionibus: 1°. ut agatur de rescriptis iustitiae; 2°. ut res sit integra, quae ad effectum iurisdictionis firmandae integra esse desinit per *citationis decretum; cf. Pichler ad tit. de Rescript. n. 27. Laym. in l. 1. Decr. ad tit. De Off. Iud. Deleg. in 6.* Dixi *re integra,* quae in rescriptis gratiae talis esse desinit, quolibet intercedente actu iurisdictionis, e. g. si super precum veritate iusserit executor informationem quaeri: in rescriptis vero iustitiae per citationem. *d*) *Morte executoris* si eiusdem delegatio personalis sit, qualis utique censenda est semper, nisi facta fuerit dignitati simpliciter et quidem ita, ut personae industriam spectatam fuisse aliunde non appareat.

V. *Appellatio a decreto executoris meri* non admittitur, nisi forte modum eidem praescriptum ipse excesserit *c. 43. de appellat.* Admittitur a sententia executoris *mixti* tum devolutiva, tum suspensiva, prout immissio in possessionem gratiae facta iam fuerit vel secus.

Ad III.[m] quod spectat, scilicet *intra quod tempus praesentari executoribus rescripta debeant,* Resp. si de tempore agatur, quo vivit adhuc Pontifex, qui rescriptum concessit, ad definiendum legitimum tempus, quo illud praesentari utiliter possit, hae sunt Regulae.

I.[a] Rescriptum inspiciatur *si forte praesentationis tempus ibi sit definitum.*

II.[a] Si nullum in rescripto definitum fuerit tempus, Rescripta vel sunt gratiae vel iustitiae;

Quoad *rescripta gratiae tempus* nullo limite coarctatur, nisi dolus vel notabilis intercesserit negligentia, non sine aliqua competitorum iniuria *c. 12. § final. de Rescrip. in 6.*

Rescripta vero iustitiae praesentari tamdiu possunt, quamdiu durat ius agendi vel excipiendi, quod impetratum est; quia rescripta etiam iustitiae regulariter sunt perpetua. Si autem impetrans rescriptum solido anno exhibere neglexerit, alius vero

interim aliud obtineat, praevaleret hoc secundum licet prioris non sit in eo facta mentio *c. 23. h. t.*

Morte concedentis expirant Rescripta iustitiae re integra: Rescripta vero gratiae, quae continent in se gratiam factam, re licet integra non expirant; si vero contineant gratiam primum faciendam, tunc, re adhuc integra, expirant per mortem concedentis; *c. 9. in 6. de Off. et Pot. Iud. Deleg.*

De Rescripti vi post concessionem aut executionem.

Praestat nunc aliquid attingere quoad tempus ex quo Rescripta sortiuntur effectum: quod ut efficacius definiatur, idem est penes DD. ac considerare tempus, quod *dicitur datae* et tempus praesentationis eius, quae fiat executori, quod vulgo tempus *praesentatae* appellatur. Porro circa tempus effectus inchoandi hae regulae tenendae sunt.

I^a. *Regula.* Rescripta *iustitiae* ad hoc, ut iudici in iis delegato conferatur iurisdictio, effectum habent a die praesentationis *c. 12. § Si autem de Appell. et 59. e. tit.* Quoad ea vero, quae pertinent ad statum controversiae, a tempore quo rescripta data sunt; *c. 43. de Rescr.*

II^a. *Regula.* Rescripta gratiae a tempore quo data sunt effectum sortiuntur; *c. 7. et 31. de Praeb. in 6.* Quandoque vero ex particulari quadam caussa et gratiae nomine, concessum est ut a die exhibitionis precum rescripti effectus haberentur.

III^a. *Regula.* Nominatim ad praelationem obtinendam prae competitore cum utriusque rescripta eodem die data sunt, conferatur *Cancell. reg. 17. ibique Rigantius quoad beneficia.*

III. De dubio et de cessatione vis Rescriptorum.

137. Ultimum restat inquirendum, qua ratione scilicet Rescripti vis, post eiusdem executionem, revocari in dubium aut etiam extingui possit. Dicam breviter: nimirum

I. *Revocatur in dubium* per subsequentem litem, quam tamen movere contra Rescriptum non licet, nisi prius impetretur ea de re venia, quae dicitur *aperitio oris.*

II. Rescriptum *expirat multiplici modo* i. e.:

a) *Morte concedentis* si eiusmodi terminum ab ipso concedente fuisse constitutum merito argui possit: cuius rei exem-

plum habetur *c. 5. de Rescrip. in 6.*: ubi morte concedentis expirasse dicitur rescriptum sub ea clausula concessum usque *ad beneplacitum nostrum;* secus si rescriptum sit usque ad beneplacitum Sedis Apostolicae, quae semper vivit.

b) *Renuntiatione eius,* qui rescriptum obtinuit, quatenus renuntiantis favor in ea respiciatur, neque alterius iuri feratur detrimentum; *arg. c. 12. de for. compet.*

c) *Revocatione a concedente facta,* de qua videnda, quae dicuntur infra de Privilegiis: cum privilegii et rescripti ratio non admodum diversa sit.

d) Quoad *rescripta gratiae* morte eius cuius favore rescriptum concessum est.

Contra in rescriptis iustitiae, in quibus eadem manente controversia, rescripti vis etiam ad haeredes transit; non obstante *c. 6. de Rescript.,* in quo de successore feudali, non autem de haerede sermo est.

e) Denique cessant iis ferme modis, quibus privilegia finiuntur.

138. Ex dictis patet quandonam Rescriptis, in primo eorum actu, sua utcumque vis constet. At quousque extendi haec vis debeat, manifestum fiet ex verbis, quibus rescripti pars dispositiva concepta est; tum etiam quemadmodum de legibus in genere monuimus, ex clausulis rescripto adnexis. Harum porro aliae sunt clausulae omnium legum communes, de quibus satis diximus; aliae Rescriptorum propriae, aut quae in Rescriptis propriam vim habeant. Harum porro aliquae attingendae sunt: quae scilicet sint vel frequentiores, vel quae aliqua declaratione indigeant.

I. **Motu proprio,** quae est omnibus sane legibus communis, sed frequentior in Rescriptis. Significat autem Principem mera liberalitate sua ad gratiam concedendam permotum fuisse, licet ab impetrante fuerit petita. Unde sequitur eiusmodi clausula subreptionis vitium sanari; *cap. 23. de Praeb. in 6.*

His tamen exceptis: videlicet: *a*) si praeter clausulam *motu proprio,* ipsius rescripti causam et quidem finalem Princeps adiiciat, quae deinceps falsa esse reperiatur; *Reiff. l. 1. tit. 3. n. 206. b*) Si agatur de defectu habilitatis vel generatim ad rescripta obtinenda vel nominatim ad eam impetrandam gratiam,

de qua agitur; ut contingeret e. g. de irregulari, qui beneficium obtinuerit, quin eius irregularitatis, neque in supplicibus litteris, neque in rescripto mentio fiat. *c*) Si agatur de praeiudicio iuris tertii, cuius facta mentio non fuerit, *Reiff. heic 203;* profecto obreptionis vel subreptionis vitium non sanatur.

II. **Ex certa scientia,** cuius clausulae vis est superiori simillima; proindeque subreptionis vitium sanat generatim, et iisdem subiecta est exceptionibus.

III. **Et alia (negotia) et contra alias (personas).** Hae clausulae, similesque aliae indefinitae, intelliguntur de negotiis personis etc. iis, quae sunt expressis similes, neque ullo modo privilegiatae aut diversi ordinis. Cf. *Laym. Ius Can. C. 5. de Rescr. n. 3. et 4.* ubi recte monet, de hac voce *alias* doctrinam omnigenam universalem tradi non posse, sed rescribentis mentem esse spectandam, quae partim ex subiecta materia, partim ex verborum contextu colligetur.

IV. **Quaedam aliae personae** etc. Tres aut quatuor hac comprehensi clausula intelligi debent, *C. 2. de Rescr.*

V. **Conscientiam tuam oneramus.** His verbis speciatim fidei eius, cui haec dicuntur tamquam arbitrio boni viri negotium committitur. Hinc sequitur: *a*) eum, qui a Principe sub hac clausula est delegatus, arbitrio boni viri agere oportere, quod tamen eruendum est non ex conscientia privata, sed ex communi publica: *b*) aequitatem, quam sequi debet boni viri arbitratio, iuris rigori per eiusmodi clausulam substitui: *c*) denique a sententia eius, cui rescriptum sub tali clausula commissum est, tamquam a iudicio arbitri non iudicis proprie dicti, nullam admittit appellationem, salvo tantum ad Principem aditu per supplicationem. Cf. *Barb. tract. de claus. clausula 24.* qui addit virum per hanc clausulam a Principe delegatum, non posse alios subdelegare: sed contrarium sentit *Riganti in Comment. in Regul. cancell. Reg. 48. n. 8. et cum eo alii.*

VI. Complures aliae sunt clausulae quae in Rescriptis occurrunt, frequentissimae vero illae: **si ita est, si preces veritate nitantur** etc.; quae quidem regulariter etiam subintelligi solent. Earum tamen vis manifesta est; si quae autem sunt aliae obscuriores ac scitu necessariae de iisdem men-

tio mox facienda a nobis agentibus de executione: quoad caeteras autem, cum raro occurrant, hic satis sit iterum monuisse, tractatum de clausulis satis amplum scriptum esse a Barbosa, plurimasque expositas fuisse a Rosa in suo tract. *de Executor. Litter. Apostolic.* P. I. c. V. et P. II. c. V.; qui de illis consuli possunt.

Quaedam peculiares sunt clausulae, quibus pateat, ut qui executor rescripti datus est, mixtus haberi debeat. Harum celebriores, quae vim habere nequeunt, nisi mixti executoris partes ille exerceat, sunt sequentes:

I. **Constito** etc. Sub hac formula non una, sed plures clausulae continentur, e. g. *constito de assertis, constito de bono iure, constito de tali facto* etc. Ex omnibus tamen idem prodit effectus, nempe executores per eas mixti fiunt, quamquam ii non semper iudicialiter agere teneantur; sed tum tantum, cum legitimus adest contradictor; nam si nullus appareat, extraiudicialem rei cognitionem quaerere minime prohibentur.

II. **Vocatis vocandis.** His scil. quorum intersit, qui proinde vi huius clausulae citandi sunt nominatim si certi sint; per edictum autem commune si nullus appareat.

III. **Si in evidentem** etc. h. e. si in evidentem Ecclesiae utilitatem res cedat. Clausula haec pertinet ad Rescripta in quibus alienatio rei ecclesiasticae permittitur, quaeque etiam dicuntur in *forma commissaria;* quia committitur executoribus officium de evidenti Ecclesiae utilitate cognoscendi. Haec item clausula reddit executorem *mixtum,* atque ita, ut omnia iudicialiter agere debeat; citatis per edictum his, quorum forte intersit, perpensisque rationibus, quibus Ecclesiae utilitas probatur, denique facto etiam accessu ad bona, quae alienantur; in genere autem servata adamussim forma, quae in rescripto praescribitur.

IV. **Amoto** etc., i. e. amoto quolibet illicito detentore rei, de qua agitur. Eiusmodi clausula eatenus executorem *mixtum* facit, quatenus adsit eiusdem rei alius possessor, vel legitimus contradictor, qui in eo casu sunt citandi.

V. **In forma dignum**. Haec clausula, quae habet in ventre alteram, **dummodo de tempore datae praesentium non sit alteri ius quaesitum** etc., pertinet ad rem bene-

ficiariam, atque opponitur alteri clausulae, seu potius formae expediendi litteras apostolicas in beneficiis conferendis, quae dicitur in *forma gratiosa.* Hoc autem inter utramque intercedit discrimen, quod per hanc beneficia ab ipso Pontifice conferuntur, per illam mandatum conferendi ordinario datur; quatenus is, qui Rescriptum impetravit, idoneus reperiatur. Hinc sequitur in Rescriptis seu brevibus, quae edita sunt in *forma gratiosa,* executores esse *meros,* in iis vero, quae sub altera, *mixtos.*

§ 2ª. De Privilegiis.

Praeter ea, quae tum ad privilegiorum vim; tum ad eorum sensum rite definiendum, communia diximus supra de omnibus legibus in genere, restat heic tantum exponere, quae eorum omnino propria sunt: ita procedentes ut 1. de natura et notione: 2. de divisione: 3. de interpretatione: 4. de acquisitione: 5. de cessatione privilegiorum tradamus brevissimam doctrinam.

Summarium. — Privilegium, quod definitur concessio permanens alicuius iuris specialis a legitimo superiore facta, in varias species distinguitur: scilicet est 1) aliud a iure aut ab homine; 2) aliud contra vel praeter ius; 3) aliud personale aut reale; 4) aliud gratuitum vel onerosum aut remuneratorium; 5) aliud motu proprio aut ad instantiam.

I. De natura et specie Privilegiorum.

139. Communiter privilegium dici solet quasi privata lex aliquid speciale concedens: *lex,* quia ultimatim intendit bonum et finem communitatis; cum obligationem imponit ut sinat eo frui: *privata* non quia obligat unam tantum personam, sed quia particulari personae speciale ius concedit, praeter commune: unde de ratione privilegii est, ut *aliquid speciale* concedat, favorem continens, sive praeter, sive contra ius commune. Et haec ratio servatur etiam quando id, quod est per se malum, vel iure communi prohibitum, specialiter prohibetur in favorem alicuius: e. g. privilegium canonis; vel cum

ad maiorem securitatem, certitudinem vel ad scrupulum petentis tollendum datur. Hoc autem *speciale* ita sit, ut privilegiato contingat plus, quam beneficium: e. g. dispensatio ab irregularitate, absolutio a censura est beneficium: nam qui eas obtinuerit ex iure communi non ex privilegio agit. Beneficium non exigit acceptationem, quam requirit privilegium: privilegium enim est in genere donationis, quae valida non censetur, nisi postquam acceptata fuerit.

In nostra defin. *Privilegium est concessio permanens alicuius iuris specialis a legitimo superiore facta. Alicuius iuris* i. e. facultatis, unde ius non sumitur hic pro necessitate morali: nemo enim uti cogitur privilegio nisi hoc sit concessum intuitu totius status, aut communitatis. Iuri respondet obligatio saltem negativa, scilicet non impediendi eius usum. *Ius speciale* sensu nunc declarato, quod proinde trahi non debet ad exemplum; cum a iure communi exorbitet, nec ad alias personas, aliosve casus, quam ad formaliter aut virtualiter expressos, extendi potest. Exemplum est concessa facultas testandi, quae extenditur ad ius faciendi codicillum; facultas dispensandi in votis, quae extenditur ad ea commutanda. *Concessio permanens* aliquam scilicet temporis durationem requirens, sive ad plures actus similes se extendens, e. g. privilegium *altaris privilegiati,* ut aiunt; privilegium non ieiunandi, non recitandi breviarium in itinere..... in perpetuum, vel ad tempus. *A legitimo superiore facta,* scilicet ab eo, qui praeest communitati universae, obligatae privilegium servare privilegiato: porro hic generatim solus legislator et princeps totius communitatis est; quia hic solus potest facultatem tribuere agendi praeter legem, ut ea facultas sit iuridica, et universa communitas teneatur eam servare privilegiato, si privilegium est praeter ius: a fortiori, si est contra ius commune.

Ex dictis patet privilegium se habere ad modum cuiusdam iuris seu potentiae collatae.

Divisio Privilegiorum.

140. Privilegiorum divisiones seu species, licet plurimae a Iuris scriptoribus adhiberi soleant, quae tamen memoratu dignae sunt, pro variis iuris effectibus, quos gignunt, recenseri possunt:

1°. *Ratione concedentis* a quo immediate sunt; alia dici possunt *a iure;* scilicet quae in corpore Iuris scripta sunt, unde etiam in *corpore Iuris* dicuntur *clausa;* quaeque habent vim legis e. g. privilegia Clericorum: alia vero *ab homine;* scilicet quae a Principe specialiter sunt concessa, quae proprie privilegia sunt.

2°. *Ratione materiae,* circa quam versantur; alia sunt *contra ius,* quatenus opponuntur et derogent iuri communi, alia *praeter ius,* in quibus scilicet materia ipsa Privilegii iuri communi non opponitur; sed facultas eam materiam, vel quasi materiam ponendi non omnibus est concessa: e. g. privilegium benedicendi coronas; sic privilegium absolvendi a reservatis est praeter, privilegium oratorii privati est contra ius.

3°. *Ratione subiecti* in cuius commodum sunt concessa; alia sunt *personalia,* quae directe et immediate collata sunt in favorem certae atque individuae personae: alia autem *realia,* quae directe collata sunt rei a persona distinctae, sive sit locus, sive corpus seu collegium, sive status, dignitas, officium etc. quatenus talia haec sunt, ut qui in ea conditione reperiuntur, et quatenus reperiuntur, ii privilegio gaudeant. Quod alicui conceditur, solo nomine eius expresso, est personale, quod expresso solo dignitatis nomine, est reale: quod, utroque expresso, non convenit. Communior sententia est esse personale, cum personae, quod est speciale, coerceat latius nomen dignitatis.

4°. *Ratione causae finalis* ex qua conceduntur; alia sunt *gratuita,* quae ex mera liberalitate; alia *remuneratoria,* quae in compensationem praecedentium meritorum, qualia fere sunt Regularium privilegia: alia *onerosa* seu conventionalia, quae instar contractus in gratiam alterius rei vel iuris, cui privilegiatus cesserit, collata sunt.

5°. *Ratione modi,* quo sunt concessa; alia dicuntur *motu proprio,* quae scil. non instantiae cuiuspiam ratione, sed mera voluntate Principis concessa sunt: alia autem *ad instantiam.*

II. Interpretatio, acquisitio, cessatio Privilegiorum.

Summarium. — Dico 1) quod Privilegium extensivam proprie non admittit, comprehensivam vero iuxta varias suas species varie recipit interpretationem; 2) tum inter modos privilegia acquirenda recensetur speciatim communicatio et confirmatio; 3) tandem exponuntur privilegiorum cessationis causae variae sive concedentis, sive ex parte ipsius privilegii.

1. De interpretatione Privilegiorum.

141. Quoad interpretationem, generatim privilegia tantum valent quantum sonant: ideo neque extensivam interpretationem exigunt, insinuant; neque restrictivam *regulariter,* sed declarativam tantum. Dixi *regulariter,* quia si privilegium concessum sit verbis generalibus, « *in generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset in specie verosimiliter concessurus* » *c. 81. de R. I. in 6°.;* i. e. extraordinaria prorsus et insolita, de quibus nec in genere cogitatum est, nec ea, quae aut consuetudo aut ius excludit; v. g. concessa facultate absolvendi a reservatis Romano Pontifici, ea non veniunt casus Romano Pontifici specialiter reservati.

Unde quomodo in *specie* liceat etiam in privilegiis extensiva, aut comprehensiva uti interpretatione, responsio patet ex Regulis sequentibus.

I. Si agatur de *interpretatione extensiva,* quae scilicet id agat ut ob similitudinem casus privilegium ad alios casus in eo non comprehensos extendat; regula est « *Privilegium non extenditur de casu ad casum, neque de persona ad personam* » *C. 9. de Privil., c. 74. et 28. de R. I. in 6°. ibique Gloss.:* quia nimirum privilegium ius speciale adeoque extraordinarium constituit, quod autem extraordinario fit, trahi nequit ad exemplum. Ideo e. g. cui concessum est dispensare in gradibus consanguinitatis ad matrimonia contrahenda, is in affinitate dispensare nequit. Regu-

lares ex privilegio olim concesso absolvendi a reservatis Romano Pontifici, non possunt absolvere a reservatis Episcopo.

II. Si agatur, de interpretatione comprehensiva, quae scilicet id agat, ut probet casum, de quo agitur, in ipso privilegio comprehensum dici posse, varia, pro varia privilegiorum specie, regula est statuenda, scilicet:

1°. Privilegia sunt *stricte interpretanda:*

a) *quae sint contra ius;* cum quaelibet iuris communis abrogatio odiosa sit, nisi forte in favorem causae piae fuerint concessa; et generalius nisi reipublicae vel religionis intersit: e. g. privilegia Communitatibus concessa; et ni secus, forent inutilia e. g. qui permittitur retinere duo beneficia, quae adsiduitatem exigunt, ab alterutrius residentia dispensatus tacite intelligitur. *Gloss. in c. 21. v. Retinere de Praeb. in 6°.;* et facultatem concessam Regulari testandi primo testamento condito haud finiri, sed testatorem illud revocare, et alia facere posse, verius est, *Sanchez.*

b) *Privilegia onerosa;* quippe quae contractus rationem habent, *arg. c. 6. de donat.:* ergo non ultra verborum proprietatem et contextus necessitatem:

c) *Quae praeiudicium tertii involvant,* i. e. qui non ipse sit privilegii concessor *c. 22. de Privil. c. 7. de R. I. in 6°.* Imo ea sola privilegia, quae laedunt ius tertii, strictam *semper* interpretationem desiderant: quia omne privilegium hanc semper tacitam conditionem habent « *salva iustitia et iure tertii* »; adeoque si privilegia revera laedunt ius tertii, nisi hic renunciaverit iuri suo, quasi sub hac tacita conditione data, nihil valent. Dixi *salva iustitia et iure tertii; e. g. communicatio privilegiorum* inter Regulares cessat in his privilegiis, quae laedunt iura Episcoporum. Hinc si cum antea neminem laederent, postea laedere coeperunt, statim cessant. *Ex c. 9. de decim. Cf. Engel.*

2°. *Late sunt interpretanda:*

a) *Privilegia clausa in corpore iuris,* quippe quae secundum ius sunt;

b) *Quae sunt praeter ius,* dummodo praeiudicium tertii non includant; quia his Princeps dat quod suum est, quin aliquem laedat;

c) Privilegia *remuneratoria;* quandoquidem decet principem in remunerandis meritis esse liberalem, et quia *beneficia Principum sunt interpretanda latissime c. 16. de V. S.;*

d) Nisi aliud obstet, *quae concessa sunt motu proprio c. 23. de Praeb. in 6.;* quoties scilicet haec clausula rescripto inseritur, quae si desit, ad preces supplicantis concessum dicitur.

III. Addendum in fine est *valere in privilegiis reliquas regulas,* quae utpote aliis omnibus legibus communes, supra expositae sunt: quaeque licet sint et hic servandae; in conflictu tamen cum regulis quae sunt privilegiorum propriae, hae illis praevalere debent; cum quae generalia sunt, iis quae sunt specialia semper in iure vincantur.

IV. Tandem *si privilegiorum verba obscura sunt* vel ambigua ita, ut ope regularum, quae propositae sunt, explicari non posse videantur, interpretatio a Sedis Apostolicae iudicio est requirenda: cum eius sit interpretari, cuius est concedere; *Clem. X. Constit. Superna 21 Iun. 1670.*

2. De modis acquirendi Privilegia.

142. Praeter consuetudinem et praescriptionem, triplici modo privilegia acquiruntur, *concessione, communicatione, confirmatione* seu *innovatione.*

Ad **concessionem** et eius aequipollentes, scilicet *praescriptionem* et *consuetudinem,* quod pertinet, communis ea ratio est cum rescriptis, paresque proinde leges habet.

De **communicatione,** quamvis plura ubi de Regularibus, tamen hic iuvat praecipuas regulas, ceu principia pro omnibus tradere. *Communicatio* est « *privilegii alicui concessi ad alium vel ad alios extensio* ». Triplici autem modo fieri potest; vel terminis simpliciter generalibus, vel terminis absolutam paritatem indicantibus, e. g. *pariformiter, aeque principaliter* etc., vel denique certis limitibus praescriptis. Hinc variae, pro variis communicationis modis, habentur regulae, nimirum:

I. Verbis simpliciter generalibus ordinaria quidem omnia, non autem extraordinaria privilegia communicantur, *arg. c. 81. de R. I. in 6°.*

II. Verbis absolutam paritatem indicantibus communican-

tur etiam extraordinaria; nisi *a*) quae particularem et individuam habeant causam: e. g. Indulgentiae Portiunculae; vel *b*) importuna et noxia reperiantur ei, qui communicationis iure utitur; e. g. quaedam ordinum militarium privilegia relate ad alios Regulares; vel *c*) quae Pontifex communicari expresse vetuit. *Cf. Pichler ad tit. de Privil. n. 13.*

III. Quae tertio modo communicata sunt, ita erunt intelligenda, ut rescripti verba ferunt. *Pichler l. c.*

IV. Quacumque ratione communicatio facta sit, privilegia acquisita non cessant; etiamsi apud eos cessarunt, quibus primum concessa fuerint *(Reiff. tit. de Privil. n. 69.)*; nisi forte, per quamdam accessionis rationem, concessa fuerint, quemadmodum e. g. quaedam Regularium privilegia, eorum etiam familiaribus communicantur.

Confirmatio est *privilegii iampridem quaesiti iterata concessio.* Duplex autem est; alia in *forma communi,* seu ordinaria, alia in *forma speciali.* Prima est, cum privilegium aut simpliciter sine ulla eiusdem cognitione, aut expresse sub ea clausula « *prout hic et nunc reperitur* » confirmatur: quae quidem confirmatio privilegium in suo statu relinquit: et si forte invalidum sit, nullum eidem addit valorem.

Altera, scilicet *in forma speciali,* est, cum re cognita, aut voluntate privilegium, si opus sit, revalidandi sufficienter indicata, illud confirmatur: quae quidem argui solent ex clausulis in confirmatione adhibitis, *ex certa scientia, ex plenitudine potestatis supplendo omnes defectus,* et ex insertione saltem quoad substantiam ipsius privilegii: quae duo copulative requiruntur, si agatur de praeiudicio tertii. *Rota coram Coccino Dec. 1763 et Dec. 1573.* Eiusmodi confirmatio tribuit ius novum et privilegii si qui sint sanat defectus; modo de iis dispensari possit ac soleat *cap. 5. de Confir. utili.* N. B. Infideliter citat *Fagnan. in c. 1. de Confirm. util. Rotam in Leodiens. Dec. 1763.*

Quod si dubium sit utrum confirmatio facta sit in forma communi, aut speciali, eam in forma communi censendum esse, ita ut non revalidet, quod invalidum sit, facile quisque perspiciet ex regulis supra expositis.

Solet hisce confirmationibus apponi una ex sequentibus.

Clausula I. Dummodo etc.

Cum autem in eiusmodi confirmationibus concedendis soleat apostolicis literis haud raro inseri haec clausula : *Dummodo SS. canonibus et decretis S. Concil. Tridentini non adversetur ;* duo haec cum *Reiff. ad tit. de Priv. n. 113. et sqq.* praestat animadvertere: 1. verba *SS. canonibus* ita copulanda esse cum sequentibus, ut intelligantur de ipsis Concilii Tridentini canonibus: quia si intelligerentur de canonibus *in corpore iuris* existentibus, clausula fieret absurda: quandoquidem fere omnia privilegia adversantur iuri communi; 2. totam clausulam intelligendam esse non de privilegiis, quae Concilii Tridentini decretis utcumque adversentur; sed de illis privilegiis, quae Concilii Tridentini decretis expresse revocata sunt; quia privilegia sunt quaedam leges speciales, quae generalibus legibus non revocantur, nisi expresse id statuatur.

Clausula II. Quatenus sunt in usu.

Quatenus sunt in usu aperte significat confirmationem ad ea privilegia non extendi, quae usu contrario, vel non usu amissa sunt.

Clausula III. Dummodo non sit revocata.

Dummodo non sit revocata patet quid valeat. Notandum tamen hanc clausalum non extendi ad illa privilegia, quae post revocationem iterum concessa fuerunt: quia nova concessione vetus revocatio ita sublata est, ac si numquam extitisset.

3. De Privilegiorum cessatione.

143. Aut omnino, aut ad tempus cessare potest privilegium; si primum *cessatio,* si secundum *suspensio* quaedam privilegii erit.

Ad suspensionem pertinet axioma iuridicum « *Privilegiatus contra privilegiatum privilegio non utitur* »: quod tamen intelligendum de privilegio, cuius usus hinc inde contrarius sit,

et incompatibilis; et aequo iure ad utrumque privilegiatum pertineat, ita ut nulla praelationis causa pro alterutro afferri queat, *Pichler tit. de Privil. n. 5. Baumgartner ib. Concl. VI.*

Cessationis autem caussae variae sunt, sive ratione concedentis, sive ratione subiecti, sive ratione ipsius privilegii.

1°. *Ratione concedentis* privilegia expirant:

I. *Morte* eiusdem, si agatur de privilegio ita ab eodem concesso, ut eius duratio a sua voluntate pendere debeat. Quod procedit si v. g. sub eiusmodi clausula ad *beneplacitum meum* etc. concedatur: vel si privilegium vere non fuerit concessum, sed negotium de eius concessione alteri demandatum fuerit, scilicet cum inquisitione, *Pichler l. c. n. 8.*

II. *Revocatione,* de qua tamen varie statuendum est: et pro varia specie tum ipsius revocationis, tum privilegii, quod revocatur, tum eorum, qui sunt subiectum privilegii. Revocatio enim vel tacita vel expressa esse potest, itemque vel *generalis* vel *specialis:* ii vero qui subiectum sunt privilegii vel *subditi* esse possunt vel non subditi: quod autem spectat ad varias privilegiorum species, in memoriam revocandum est, alia esse *a iure* seu clausa in corpore iuris, alia esse *ab homine:* item alia esse remuneratoria, alia onerosa. Unde hae regulae de Privilegiorum revocatione consequuntur.

a) *Revocatio expressa eaque generalis,* i. e. per generalem clausulam « *non obstantibus quibuscumque privilegiis* », privilegia clausa in corpore iuris non afficit: quandoquidem ea non sunt simpliciter privilegia, sed potius leges publicae, quarum abrogatio odiosa est. Quae vero huiusmodi clausula munita sunt *ut derogari iis non possit, nisi eorum expressa et specifica mentio fiat,* eatenus afficit, quatenus generalibus illis verbis *non obstantibus* etc. etiam haec aut similia addantur: *etiamsi expresse et specifica de illis fieri debeat mentio ;* vel *sub quacumque verborum formula concessis.* Reiff. *tit. de Priv. n. 124, 125.*

b) *Revocatio tacita,* quae scilicet fit per actum directe contrarium privilegio, nulla tamen ipsius facta privilegii mentione; si facta fuerit per legem generalem, ea tantum, quae sunt clausa in corpore iuris: non autem alia privilegia abolet: quandoquidem ea nosse, haec ignorare princeps praesumitur, *Cap. 1. de Constit. in 6°.* Facta autem per posterius privilegium eatenus

prius abrogat, quatenus eius facta fuerit mentio; quandoquidem iuri tertii nocere voluisse numquam censetur, *Cap. 6. de Rescr.; Cap. 12. de Off. iud. deleg. Cf. Reiff. l. c.*

Respectu eius, qui *subiectum est Privilegii.*

c) Privilegium ei concessum, qui *non est subditus,* revocari sine eius consensu *regulariter* non potest: quandoquidem cum eo, qui non est subditus, nulla est iurisdictio, sed tantum contractus; qui quidem dissolvi, nisi altera parte consentiente, non potest *(L. 5. de act. et oblig.).* Dixi *regulariter;* si enim privilegiati dissensus sit irrationabilis, *necessitate publica* revocationem exigente, revocatio iure fit, quippe quae non ab hominis arbitrio, sed ab ipso naturali iure procedit.

Respectu ipsius privilegii.

d) Privilegia onerosa adeoque et remuneratoria, quae onerosis fere aequiparantur, quantum fieri potest servanda sunt; quia *pactorum fides a Principe vel maxime servari debet. Arg. L. 4. C. de Leg. L. ult. de quadrien. praes., Gonzales Cap. 1. de prob. n. 3.* Unde ad ea revocanda tria haec sunt necessaria 1. Ut necessitas publica revocationem exigat. 2. Ut aliqua iuris ablati compensatio, quantum fieri potest, concedatur. 3. Ut revocatio specialis esse debeat, aut saltem hac vel simili clausula munita, *etiamsi meritorum intuitu vel etiam per modum contractus fuerint concessa; Reiff. ad tit. de Privil. n. 126 et Schmalz. ibid. n. 121.-126.*

2°. *Ratione subiecti* cessant privilegia:

I. *Interitu* **ipsius,** i. e. **personae** si de Privilegio personali *Cap. 7. de R. I. in 6°,* **rei** si de reali agatur, *arg. cap. 42. de R. I. in 6°:* dummodo tamen de vero absolutoque interitu absque spe restitutionis *(Reiff. l. c. n. 171. de Privil.)* sermo sit.

II. *Renuntiatione, Cap. 6. de Priv.;* nisi tertio praeiudicium inferatur, quod fit in privilegiis, quae non tam privatorum, quam corporis seu collegii sunt, *Cap. 12. de foro competenti:* vel communiter cum aliis possidentur. *Reiff. tit. de Priv. n. 194.*

III. *Non usu,* si agatur de privilegiis *affirmativis* seu quae sunt in agendo; et *usu contrario* in *negativis,* quae sunt in immunitate ab aliquid praestando, vel agendo: ita Doctores communiter cum *Reiff. l. c. n. 201. seqq.;* dummodo tamen eiusmodi conditiones concurrant:

a) Ut agatur de Privilegiis, quae sunt cum aliorum gravamine *(Gloss. in Cap. 24. de Priv. v. semel in anno);* atque huc pertinet axioma iuridicum « *actus mere facultativi numquam praescribuntur* » *Reiff. tit. de Priv. n. 209-213.* Affirmativa igitur, quae sunt merae gratiae, quae scilicet in nullius gravamen cedant, e. g. privilegium celebrandi ante auroram, absolvendi, dispensandi etc., per non usum numquam amittuntur; neque via praescriptionis: cum nemo contra huiusmodi privilegia non onerosa praescribat; neque via tacitae renuntiationis: quia quisque liberam facultatem habet privilegio utendi, vel non utendi.

b) Ut tempus legitimae praescriptionis, qua scilicet iura praescribuntur, elapsum fuerit, Reiff. *l. c. n. 208, 224:* si via praescriptionis amitti dicatur. Duplex enim amittendi, per non usum aut praescriptionis aut saltem tacitae renuntiationis, Reiff. *l. c. n. 203,* modus est.

c) Ut occasio adhibendi privilegium data fuerit. Reiff. *l. c. n. 205.*

d) Ut privilegiatus habuerit et cognitionem privilegii, eoque utendi libertatem; Reiff. *l. c. n. 206-207.* Vel uno enim ex dictis deficiente, nulla adest culpa, ob quam quis privilegio privetur; nec iudicium voluntariae renuntiationis, nec sufficiens via praescriptionis.

IV. *Abusu. Cap. 24. de Priv.* cum scilicet poenae causa id a iure constituitur, vel cum ex privilegio sumitur occasio peccandi: quae tamen regulariter ita intelligenda sunt, ut privilegium amittatur non ipso iure, sed post sententiam iudicis, nisi aliter iure ipso constitutum sit; Reiff. *l. c. n. 176-180.* Dixi *regulariter:* cum enim privilegiorum amissio, poenae causa, a iure constituitur, potest aliquando ita constitui, ut ipso facto incurratur.

3°. *Ratione ipsius privilegii,* cessant privilegia:

I. Defectu conditionis, si agatur de Privilegio conditionato.

II. Ob damnum superveniens, si nimirum incipiat cedere in grave praeiudicium aliorum aut Communitatis: cessat saltem per sententiam iudicis; Reiff. *l. c. n. 181.* Concordat cum *C. Cum sint de Clericis non resid.* ubi privilegiati super absentia per subtractionem proventuum redire coguntur ad mini-

sterium Ecclesiae, quae patiebatur ministrorum defectum, non obstantibus apostolicis indulgentiis.

III. Cessatione causae finalis non modo negative, sed etiam contrarie, cum scilicet usus sit iniustus.

Ad 1. intelligendum:

a) de causa finali et principali, a qua privilegium pendeat in fieri et in facto ac conservari:

b) si privilegium derogat iuri communi aut alterius tertii:

c) si privilegium habeat tractum successivum ad actum seu effectum iterabilem: quia si privilegium in unica tantum actione consistat, e. g. in dispensatione super matrimonio; iamque habeat suum effectum consummatum, v. g. actualem dispensationem concessam super matrimonio, manebit salvum, etiamsi postmodum caussa cesset, et ad casum devenerit a quo inchoari non posset, ex *Reg. 73. I. in 6°*. Factum legitime retractari non debet, licet postea casus eveniat, a quo non potuit inchoari.

§ 3ª. De legibus particularibus.

Summarium. — « *Leges particulares sunt quae pro aliqua provincia tantum, dioecesi, aut urbe edicuntur* ». **Legum ergo particularium proprium et essentiale (quod commune in particularibus dici queat), in eo est, quod respiciant particularia loca, et particulares Communitates ac personas. Quadruplici autem modo persona aliqua comparatur ad aliquod territorium.**

144. Plura iam praeoccupata sunt cum de legibus in genere sermo esset. Illa enim applicanda veniunt, proportione reservata, ad leges particulares, iis tantum exceptis, quae legum particularium propria sunt. Sed legum particularium proprium et essentiale, quod commune iis particularibus dici queat, in eo est, quod respiciant particularia loca et particulares communitates. Sed cum consideratio spectans has vel illas communitates determinatas, aut portiones gregis Christi Domini, alterius sit loci; heic aliquas regulas in communi exhibemus, quatenus generatim conveniant omnibus communitatibus particularibus, qua talibus. Quod ergo generatim inquirimus de

legibus particularibus est subiectum: seu quinam sint, qui illis obligantur. « *Porro leges particulares sunt quae pro aliqua provincia tantum, dioecesi, aut urbe edicuntur* ». Unde leges particulares locorum appellantur ae, quibus, uti patet, personae, mediante territorio, afficiuntur.

Sed cum quadruplici modo potest aliqua persona comparari ad aliquod determinatum territorium; scilicet, 1) quatenus ibi est incola, actu existit, et habitat; 2) quatenus neutrum habet in tali territorio; 3) quatenus cum sit incola talis territorii ibique domicilium habeat, tamen actu versatur alibi, ut qui paucos dies est extra propriam dioecesim; 4) quatenus in tali territorio neque domicilium neque originem habeat: et tamen actu versatur ibi, ceu sunt advenae, peregrini, vagi; inquiritur: qui quatenus ex his teneantur nec ne legibus territorii, cum quo nunc dicto quadruplici modo comparentur. Porro quaestio resolvitur praesertim relate ad duos postremos casus (cum de duobus prioribus, in 1° est verus titulus subiectionis, in 2° nullus iam per se patet) hisce seqq.

Assertum I. — Leges nonnisi in subditos ferri possunt, h. e. nemo lege obligatur nisi, qui a) aut omnino, b) aut in eo, de quo agitur, subditus sit.

145. Ratio generalis est, quia secus deficit obligationis fundamentum. Legem enim ferre est actus iurisdictionis: atqui iurisdictio est potestas in subditos, ergo nemo obligatur lege nisi.....

Unde leges seu statuta inferiorum Praelatorum ecclesiasticorum obligant solum subditos proprii territorii: e. g. Constitutiones in Concilio Provinciali editae solum subditos in tali provincia existentes obligant, ita Doctores communiter propter rationem allatam.

Porro quis fit alteri subditus aut *omnino et absolute,* aut *in eo, de quo agitur.*

Dixi omnino et absolute subditum unumquemque fieri non modo per domicilium verum, quod acquiritur habitatione alicubi constituta, cum animo ibidem perpetuo manendi, nisi improvisa quaedam causa alio avocet; verum etiam ex communissima sententia per quasi domicilium, quod acquiri-

tur habitatione alicubi constituta cum animo ibidem permanendi, saltem per notabilem, e. g. per dimidiam anni partem.

Dixi aut in eo puncto, de quo agitur, seu ex parte tantum fit subditus. Eiusmodi intelliguntur qui in alieno territorio precario quidem sunt et per accidens, ita ut ne quidem quasi domicilium acquisierint: sed aliquibus eiusdem territorii legibus obligantur ob expressam iuris sive communis, sive illius loci dispositionem. Etenim territorii sui unaquaeque societas domina est, adeoque potest conditiones indicere, quae rationi iurique gentium non repugnent, ut quis in territorium suum ingrediatur. Deinde eosdem ingressu ipso ea ratione subditos fieri: nemini enim fas est in aliena ingredi contra conditiones a Domino appositas, adeoque ingressu ipso eaedem ab extraneis acceptantur.

Hinc generatim leges alieni territorii, quas extraneos obligare dixi, nominatim pertinentes ad *contractus* et *delicta*, obligant omnes quotquot ingrediuntur territorium vel per unam diem sine animo ibi figendi domicilium. Leges vero de rebus latae intra territorium positis, obligant etiam extraneos sive territorium ingrediantur, sive non; ad quod ultimum animadvertatur oportet, leges e. g. civiles, attingere ceu materiam circa quam, res, personas, actus; unde reales, personales, et mixtae leges habentur; illae circa immobilia versantur, mixtae, quae actuum (i. e. contractuum, testamentorum, iudiciorum) formam, solemnia, ordinem definiunt. Porro communissima sententia est, quod reales territorio cohaerent, in quo immobilia posita sunt adeoque tenent et peregrinos: de mixtis regula est: *Locus regit actum, ex C. 1. de Priv. in 6°;* quae tamen regula ad actus privatos non pertinet, unde si italus, gallusve holografum testamentum condiderit, ubicumque fuerit, valet, ceteris paribus.

Assertum II. — Etiam subditus extra territorium non obligatur (nisi forte fictione iuris in territorio esse existimetur), quamvis alio in fraudem legis e suo territorio digrediatur.

146. Declar. Conclusio constat tribus partibus; 1ª est « generatim subditus existens in alieno territorio non obligatur legibus territorii sui, a quo abest » ; 2ª pars est « fictione aliqua iuris etiam absens quandoque potest comprehendi » et affertur duplex casus: 3ª pars est « in caeteris casibus quicumque animo se eximendi a lege, sive in fraudem legis alio digreditur, eadem lege non tenetur ».

Et prob. 1ª pars. Certam hanc doctrinam et communissimam apud Doctores probant verba *C. Ut animarum, De Constit, in 6°; « Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra ipsius dioecesim committentes minime ligari noscuntur, cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune* »: atqui hoc decretum non de evitanda sola poena intelligendum est, sed de exemptione et obligatione, ut advertit *Suarez de leg. l. 3. c. 32. n. 3.* Nam si reipsa subditus obligaretur et contumax esset contra dictam obligationem, posset etiam excommunicari: quia excommunicatio potest et in absentem ferri. Idem *Suarez l. c. n. 4.* addit.... hanc rationem: « Ratio propria « assertionis est, quia iurisdictio cuiuscumque civitatis vel « particularis principis non extenditur, quoad ferendas leges, « extra civitatem vel territorium ».

147. Nisi forte *fictione* iuris in territorio esse existimetur. *Fictio iuris definiri solet legis adversus veritatem in re possibili ex iusta causa dispositio:* scilicet ex peculiari legis dispositione, cum lex communis aliud ius dictat, quod probatum est in 1ª parte. Porro in iure ab illa communi dispositione duplex casus excipitur: 1° qui declinandae tridentinae legis causa ad ea loca pergunt, in quibus ea lex promulgata non fuit, ut sine parocho et testibus nubant, ac deinceps reverturtur; Urb. VIII. *Const. Exponi nobis 4 Aug. 1627,* Bened. XIV. *Const. Paucis 19 Mart. 1758;* et 2° qui ad effugiendam reservationis legem alie-

nam dioecesim studiose ingrediuntur, ut absolutionem a casibus in sua dioecesi reservatis obtineant. Clem. X. *Const. Superna die 22 Maii 1670.*

148. Si quis in fraudem legis praecise, aliis in casibus egreditur, non tenetur tali lege, licet eadem die abeat et redeat. Nam si qua esset ratio, *a*) ea foret commune adagium: *Fraus et dolus nemini patrocinari debet: b*) atque esset analogia ex duobus casibus parte antecedenti deducta: atqui haec duo non valent.

Et 1° quidem licitum cuique est alio cum libuerit migrare: ergo perperam dolo malo notatur, quem sic iure suo usum esse constat, iuxta *L. 55. D. de R. I. et L. 56.* Nemo in fraudem agit, qui iure suo utitur, et *L. 55. cit.* Nullus videtur dolo facere, qui suo iure utitur.

2° Negatur Analogia ex praedictis partis antecedentis casibus, quia quod in his statuitur, exigere potuit tum sacramentorum dignitas, et publicus ordo, tum animarum salus. Iamvero iuris regulae vetant de casu ad casum extendere quidquid obligationem onusque infert.

3° Quare cum et fundamentum obligationis, quod perspicuum esse oportet, omnino desit; et lex generalis, cui derogare nisi exceptio sit manifesta, non licet, statuat *ius dicenti extra territorium impune non pareri;* concludendum videtur eos, qui ad vitandam legem alio digrediuntur, lege non teneri. Nam in *cit. cap. 2. de Const. in 6°.* fures itineris onus patet manifeste suscepisse ut legem effugerent, 2. absolute eos declaratos esse immunes sine ulla distinctione ad fraudem, quae tamen obvia erat, 3° adhibitum verbum *impune,* quod hic ubi ratio impunitatis e loco tantum desumitur, fraudem in agente supponit, imo fraus in delictis semper praesumitur.

Assertum III. — Etsi α) leges per se et ordinario non ferantur in personas absolute sed dependenter a territorio; β) nihilominus si quae personales sunt personae adhaerent: γ) ceterae autem locum respiciunt.

149. Decl. 1ª pars. Dicitur *per se* et *ordinario,* tamen quoad leges civiles et statuta dioecesana vel provinciales constitutiones, non quoad leges *universales* Romani Pontificis: huic

enim totus mundus vel actu, vel destinatione subiectus esse debet, primo et per se quoad omnes personas immediate et directe, et harum ratione quoad omnia loca, quatenus necessaria sunt religioni tuendae atque exercendae.

1) Est sententia communis Doctorum, penes quos lex censetur immediate locum seu territorium legislatoris afficere, et hinc in subditos ibi existentes transire; *Suar. de Cens. disp. 5. Sect. 5. n. 14.* et desumitur ex *L. Omnes populi ff. de Iust. et Iur.* ubi ius civile seu municipale civilis sic vocatur, quasi proprium ipsius civitatis, eo videlicet quod hanc immediate afficiat, indeque transeat in existentes in ea.

2) Hinc dicunt differre praeceptum a lege, quod illud ossibus personae adhaereat, cui datum est; haec adhaeret communitati seu districtui et territorio, quo Communitas costringitur.

3) Insuper communiter aiunt, ut quis obligetur legibus particularibus provinciarum, dioecesium, locorum, duo regulariter requiri, *copulative* scil. *a*) ut sit in territorio et *b*) de territorio, h. e. ut versetur in communitate, cui lex affixa est, et sit membrum ipsius communitatis.

4) Id clarum est ex *C. cit. t. in 6°.* « *Extra territorium ius dicenti impune non paretur* ».

5) Leges non possunt protendi plus quam iurisdictio, cuius sunt effectus: sed, aiunt, iurisdictio territorio finitur communitatis. Ergo.

Unde sequitur, leges ac consuetudines alicuius loci, quae a iure communi abhorrent, localis instar privilegii haberi, proindeque extra eiusdem loci fines expirare.

150. Decl. 2. pars. Nihilominus si quae personales sunt, personae adhaerent. Leges civiles e. g. diximus attingere res, personas, actus; et inde sunt vel personales, vel reales, vel mixtae; *personales,* quae de statu personarum decernunt, *reales,* quae circa immobilia versantur; *mixtae,* quae actum, formam, solemnia, ordinem definiunt. Qua in distinctione το *personales* non hoc sensu a nobis sumitur, quod tantum de statu personae decernunt; sed eo quod independenter a territorio in personas directe et immediate feruntur: quamvis praesertim hoc nostro sensu personales dicantur cohaerere personae, *ut*

lepra cuti, et civem sequuntur ubique locorum: sic Italus, qui vicesimum primum aetatis annum excessit in imperio austriaco, si ibi versetur, *maiorum;* contra austriacus, qui vicesimum quartum aetatis suae annum agit, penes nos *minorum* numero censetur.

Hinc si leges seu praecepta ab eo, qui legitime praeest, cuipiam indicta sunt sine relatione ad locum, leges sunt personales, adeoque personae, quocumque tandem discesserit, adhaerent; e. g. Praecepta Praelatorum Regularium obligant subditos ubicumque existant: cum eis competat iurisdictio in subditos non ratione loci, sed per se ac ratione personae propter votum obedientiae.

De usitata partitione Iuris Canonici in libros de personis, de rebus, de iudiciis, de delictis et poenis.

151. Variae adhibitae sunt a scriptoribus in pertractanda nostra scientia methodi, *practica* quae iuri vigenti exponendo tota incumbit, *historica* quae eiusdem iuris originem indicat, multiplicemque pro temporibus diversis, quibus illud se prodiit, formam: *philosophica* quae spiritum ipsius iuris ostendere, causas cunctas rimari, omniumque, quae fuerunt statuta, rationem reddere conatur. Hinc variae etiam enascebantur partitiones. Harum antiquissima, quae adhuc inter Doctores obtinet, est *partitio* conformis partitioni Iustinianarum Institutionum *in libros de personis, de rebus, de actionibus* etc., cui respondet iuris canonici partitio in libros *de personis sacris, de rebus, de iudiciis vel de causis, de delictis et poenis.*

Sicut constitutum cum suo constituente, ita ius privatum cum Iure publico ecclesiastico connectitur, atque sicut istud trifariam procedit. Et re quidem vera tres in iure publico Ecclesiastico vidimus esse partes, quibus tota Ecclesiae potestas in eos, qui sua membra ad suum finem assequendum continetur; potestatem *legiferam,* cuius est proprium media ad finis assequutionem utcumque necessaria cum auctoritate proponere; *iudiciariam,* cuius est efficere ut proposita media rite applicentur; *coactivam,* cuius est contumaces ac perturbatores,

vi adhibita coercere. Porro ius privatum seu constitutum definitum est « systema legum, quo Ecclesia hanc triplicem potestatem per idoneum subiectum ad actum traducit ». Ergo tribus etiam partibus ius canonicum contineri necesse est, quarum 1ª doceat acta potestatis legiferae, seu totum explicet mediorum systema, quae Ecclesia ad assecutionem finis sui Christi fidelibus cum auctoritate proponit; altera exponat acta potestatis iudiciariae seu ordinem referat, ac formam iudiciorum, quibus, dubio aut controversia aliqua enata, rite efficiatur ut proposita media, ita, ut par est, applicentur; tertia complectatur acta potestatis *coactivae* seu de criminibus et poenis agat.

Neque dicendum has omnes partes posse reduci ad unam potestatem legiferam in iure publico et ad eius unum exercitium in iure privato seu canonico. Licet enim ab una potestate legifera omnia dimanent, uti a termino *a quo:* tamen ad ipsam unam non possunt reduci omnia uti ad terminum *ad quem.* Quoniam nos spectamus et distinguimus adaequate tres varios terminos ad quos tendit potestas necessaria in societate; et hi varii termini tres cum sint, triplex distinguitur potestas. Unde sicut termini, ita actus, qui tendunt in illos, distinguendi sunt. Notum est enim tum potentias, tum actus inter se distingui ratione termini, in quem tendunt ac transeunt. Supponimus insuper obiectum formale triplicis potestatis esse diversum, ut probatur in iure publico: ergo etiam huius potestatis exercitium.

Unde cum ius canonicum obiective sit systema legum, quibus hoc triplex exercitium seu triplicis potestatis acta specifice diversa continentur; erunt specifice distinguendae et leges, quae ad mediorum determinationem pertinent, sive circa res versentur media, sive circa personas: tum leges quae ad iudicia pertinent, et tandem eae, quae de delictis et poenis agant. Hinc divisio iuris canonici naturaliter se prodit ex triplici potestate sibi invicem connexa.

Haec porro partitio vera est et opportuna pro iure canonico addiscendo: *vera* quia ex praeiactis scatet principiis, penes omnes receptis. Nam penes omnes triplex tota Ecclesiae potestas, utpote societatis perfectae, admittatur et distinguatur

oportet legifera, iudiciaria, coactiva. Penes omnes adhuc principium certum, leges seu canones quoscumque esse exercitium huius triplicis potestatis. Ergo sequitur, naturaliter tres in libros posse distingui iuris canonici tractationem; quorum primus systema canonum complectatur, qui ad potestatem legiferam simpliciter pertinent; alter eorum, qui ad potestatem iudiciariam; tertius eorum, qui ad potestatem coactivam exercendam constituti sunt. Est *opportuna* partitio seu aptissima pro iure canonico tradendo atque addiscendo. Experientia enim docuit, quod partitio seu methodus, hucusque usitata penes Doctores quoad ordinem tradendi opportuna, sit de personis, de rebus, de iudiciis, de poenis atque delictis, respondens ordini librorum Decretalium, qui noto exprimuntur v. *Iudex, iudicium, clerus, sponsalia, crimen;* vel melius, Decreto Gratiani.

Atqui partitio ex triplici potestate desumpta ne hilum quidem discedere videtur ab hac ipsa usitata penes Doctores: quaeque prout in usu est, in quatuor libros ius canonicum dispescit, i. e. in canones de personis, de rebus, de iudiciis, de delictis ac poenis. Porro quae disputantur de personis et de rebus reduci possunt ad exercitium potestatis legiferae, quae de iudiciis ad exercitium potestatis iudiciariae, quae de poenis atque delictis ad exercitium potestatis coactivae (1).

(1) Dixi ad potestatis legiferae exercitium posse reduci libros usitatae partitionis, scilicet de Personis, et de Rebus. Potestatis enim legiferae proprium est indicere subditis ea media, quae ad proprium Ecclesiae finem assequendum, qui est in sanctificatione animarum, sive immediate sive mediate necessaria sint. Iamvero eiusmodi media ad finem assequendum alia sunt *immediata* (proxima); quae praeter gratiam sanctificantem (et haec excedit potestatem legiferam Ecclesiae) sunt récta fides et bona vita, quae duo hominis cooperationem constituunt; alia *mediata,* quae quaedam instrumenta sunt, quibus vel ipsa gratia sanctificans ex ipsius Dei instituto producitur, vel recta illa fides ac bona vita dirigitur, fovetur atque defenditur.

Ex quibus licet utraque species proprie sit materia legiferae potestatis Ecclesiae (Cf. Tarquini ius publ. l. II. n. 3. II), adeoque etiam iuris canonici (cf. Tit. I. lib. 1. Decr. qui inscribitur De Summa Trinitate et fide Catholica); nihilominus scholastica consuetudine ita pro amplitudine rei inter varias disciplinas distributa sunt, ut quae pertinent ad rectam fidem exponendam vel bonae vitae praecepta tradenda, quibus prima mediorum species continetur, ad Theologiam sive dogmaticam sive moralem delata sint; cetera vero iuri canonico reservata. Quae igitur instrumenta constituta sunt vel

Nos tamen quin tres libros inscribamus, alterum de potestate legifera, alterum de potestate iudiciaria....; usitatam in scholis *intitulationem* de personis, de rebus, de iudiciis, de delictis et poenis, libris totidem servare malumus: quamvis in hac antiquissima partitione logicus ordo delitescere, apertus autem in ea, quae triplicis potestatis exercitio procedit, prodire videatur.

Explicit pars, quae est summa Introductionis generalis in universum Ius canonicum. Iungimus indicem analyticum paginis sequentibus.

Dei vel Ecclesiae ipsius voluntate ac providentia, sive ad gratiam sanctificantem rite conferendam, sive ad bonam vitam rectamque fidem fovendam ac defendendam, quique canones lati sint ad eiusmodi instrumentorum idoneum usum, aptamque applicationem; ea est potestatis legiferae Ecclesiae exercitii propria materies.

Porro eiusmodi instrumenta duplicem in classem distributa rite sunt: in personas et in res, quandoquidem etiam personae instrumenta sunt in Ecclesia Christi ad aliorum sanctificationem et salutem curandam.

Laus Deo, Deiparae et S. Iosepho.

INDEX ANALYTICUS
IN LIBRUM ISAGOGICUM

PRAENOTANDUM

Innuitur. — 1. **Ratio transitus a Iure Ecclesiastico publico in privatum seu canonicum;** 2. distinguitur duplex obiectum scientiae, videlicet Iuris can. et historiae iuris eiusdem; 3. generalissima definitio iuris canonici scientiae, et prima partitio in prolegomena et in systematis circa singulas canonicas leges explicationem: n. 1–3 inclus., pag. 3–4.

DE LEGIBUS CANONICIS IN GENERE.

Liber hic distinguitur in quinque sequentes sectiones.

SECTIO I.

De notione, divisione, subiecto et obiecto Iuris canonici.

§ 1. Notio et partitio Iuris in genere.

Summarium. — Statuta multiplici iuris acceptione, asserimus 1) **eam esse omnium radicem, qua ius significetur iussum seu lex,** non solum relative si vocabulum ad scientiam iuris coarctetur, sed etiam absolute si res consideretur: n. 4–7, pag. 5–9. 2) Ex qua notione tamquam propria et principali intelligitur varia quaedam **iuris partitio:** n. 7, pag. 9.

§ 2. Notio, varium nomen, subiectum Iuris canonici.

Summarium. — Data *a)* **definitione** Iuris canonici *b)* explicatur **varium nomen** ei factum – eiusque *c)* **subiectum:** n. 8–10, pag. 10–14.

§ 3. De obiecto materiali et formali Iuris canonici.

Summarium. — **Obiectum** 1) **materiale,** circa quod versatur Ius canonicum, sunt fides et mores seu disciplina Ecclesiae: pag. 14.

2) **formale** vero est ipsa rectitudo essentialiter per actum socialem inducta, seu fides, mores, disciplina in externa sociali manifestatione, qua regimini Ecclesiae subsunt, seu prout exercitium potestatis Ecclesiae sua sanctione munitum attingit actum socialem: (p. 16): n. 11-12, pag. 14-18.

§ 4. De relatione Iuris canonici ad alias scientias.

Summarium. — Hinc intelligitur 1) effatum **Ecclesia non iudicat de internis:** (p. 18); 2) **discrimen** inter Ius canonicum et ceteras theologicas disciplinas: atque inter civilem iurisprudentiam: (p. 20); 3) esse **scientiam nobiliorem** ipso iure civili: (p. 22); 4) eamque **practicam,** cuius **studium** clericis ut **pernecessarium** commendatur: n. 13–16, p. 18-24. Conclusio Sectionis I^ae., n. 16 *bis*. p. 24–27.

SECTIO II.

De Fontibus Iuris canonici.

§ 1. Duplex fons et triplex divisio Iuris ecclesiastici.

Summarium. — Ex Ecclesiae constitutione dimanat α) quinam in ea pateant **fontes essendi** et **cognoscendi** generatim Iuris Ecclesiastici, (p. 28): atque β) eius **apta** et **adaequata divisio** in Ius divinum et humanum, scriptum et non scriptum, commune et particulare: (p. 31): n. 17–19, p. 27–32.

§ 2. De Iure divino eiusque fontibus.

Summarium. — Ad fontes **Iuris divini** quod attinet ii varii sunt, prout illud scriptum vel non scriptum est. I. Ad *scriptum* pertinent **SS. Litterae** *a*) Novi simpliciter et *b*) veteris Test. quoad praecepta moralia (p. 33). II. Ad *non scriptum* pertinent *a*) **Traditiones divinae** et *b*) **Ius naturale** (p. 36). III. Porro iuri divino aequipollenter accensentur *a*) **Ecclesiae definitiones dogmaticae** in rebus fidei et morum (p. 39); et *b*) **Patrum consensus** prout testes sunt authentici vel divinarum Traditionum vel germani sensus iuris scripti divini (p. 40): n. 20–22, p. 32–41.

§ 3. De Fontibus Iuris canonici scripti, nominatim

I. *De Constitutionibus RR. PP. et Decretis Conciliorum, etc.*

Summarium. — Ius autem humanum ecclesiasticum, prout est scriptum et commune, tamquam legitimi fontes exhibent nobis. I. **Constitutiones Romanorum Pontificum,** nisi hi ad aliquam dumtaxat Ecclesiae partem eas restringant: (p. 42). II. **Decreta Conciliorum oecumenicorum** a Romano Pontifice confirmata: (p. 46). III. Decreta seu **leges disciplinares Conciliorum particularium** Romani Pontificis vel synodorum generalium auctoritate **ad universam Ecclesiam extensae** (p. 51): n. 23–25, p. 42–51.

II. *De Iure civili approbato ab Ecclesia.*

Summarium. — **Ius civile** I. *per se* est **fons spurius** in Iure canonico, quod ab una Ecclesia procedit: at quamvis Ecclesia non civilibus, sed propriis legibus regatur; II. tamen Principes laici rem gratam Ecclesiae facient, si et legibus suis bene urgeant dependenter ab Ecclesia SS. Canonum observantiam. Imo, III. Ecclesia plures leges civiles in suum S. Codicem relatas approbavit, suasque effecit, quas canonizatas dicunt (p. 56). Hinc IV. cum ius civile explicite vel tacite ab Ecclesia approbatum evadat fons legitimus Iuris can., **eius studium necessarium erit** canonistis (p. 59). V. Et quoniam ex civilibus legibus addiscendis conflatur Ius civile, **de huius natura, divisione, authenticis collectionibus,** quaedam breviter iam nunc indicantur a n. 26–30, p. 53–67.

III. *De Decretis eorum, qui delegatam a Romano Pontifice habent auctoritatem; de SS. Congr. Rom. praesertim S. C. Concilii.*

Summarium. — Decretis eorum, qui delegatam a Romano Pontifice auctoritatem habent ceu fonte contineri potest, *a*) Ius commune, ita ut acta huius delegatae potestatis ad universam Ecclesiam obligandam speciali modo sint approbata et iussu edita Romanorum Pontificum; *b*) fidelium autem portionem obligent iuxta mandatum variumque officium, quod exercent praediti potestate ad illud delegata (p. 67–69), *c*) quos inter **specialem** meretur **mentionem S. Congr. Cardd. S. Concilii Trid. interpretum,** (p. 69): n. 31–33, p. 67–74.

De aliis Congregationibus Romanis ut fonte Iuris.

Summarium. — Hinc generatim de **Congregationum Romanarum auctoritate** summa haec est, ut 1. harum potestas sit delegata; 2. auctoritas, ut plurimum, sit oeconomica et iudicialis pro assignatis negotiis; 3. ut potestas legislativa his non competat per se, sed si extraordinariam hanc accipiunt ad aliquem actum cognitum et approbatum a Rom. Pontif. pro universa Ecclesia; 4. quae duplex auctoritas ordinaria et extraordinaria est in suo genere suprema: num. 34 pag. 74-76.

§ 4. De Fontibus Iuris Ecclesiastici scripti et particularis.

Summarium. — Tandem fontes legitimi Iuris Ecclesiastici scripti et particularis certo sunt: I. decreta et leges 1. Romanorum Pontificum, vel Conciliorum generalium ad particularem aliquam nationem, provinciam, collegium restrictae; 2. **Conciliorum nationalium vel provincialium, vel synodi dioecesanae,** vel Episcoporum et eorum, qui quasi episcopalem habent auctoritatem; 3. pariter decreta et leges Ordinum vel Collegiorum, quae gaudent potestate legifera: II. eorum decreta et leges, qui a supradictis hanc acciperent potestatem delegatam: n. 35, p. 76–78.

§ 5. De Iure humano ecclesiastico non scripto.

Summarium. — Ad Ius humano–ecclesiasticum non scriptum gignendum habentur tum traditiones, tum consuetudines: n. 36, p. 78.

SECTIO III.

De Iure antiquo seu de veteribus Collectionibus Iuris canonici.

Ratio et necessitas de his Collectionibus tractandi licet breviter. Ut distinctius et clarius tractatio procedat, distingui prorsus debet triplex aetas, quarum 1. **vetus,** 2. **novum,** 3. **novissimum** ius audit. Nos agimus heic de 1ª. aetate, quae in quatuor periodos seu epochas claritatis gratia erit subdistinguenda: n. 37, p. 78–81.

Epocha I. (Saec. I–IV).

Summarium. — Quamvis 1) ius ipsum naturale, atque etiam **foedus sinaiticum** quadantenus ad ius ecclesiasticum pertinere dici

possit si latius sumatur Ecclesia Christi (p. 82); tamen hac stricte accepta, 2) **Iuris nostri origo** ab ipsis exordiis rei christianae repetenda est, scil. a **Christo**, ab **Apostolis**, ab **horum immediate successoribus** (p. 84–89), tam consuetudine secundum legem, quam aliquali scripto legum codice, 3) praesertim **canonibus Conciliorum particularium**, quae usque ad Concilium Nicaenum oecumenicum 1^um^. celebrata sunt (p. 90): n. 38, 39, 40. p. 82–91.

Epocha II. (a saec. IV ad VI).

Summarium. — Epocha 2ª. 1) plures conduntur leges sive in Conciliis, sive a solis Romanis Pontificibus, quas suis etiam sanctionibus communivere Imperatores (p. 92): 2) et ad quarum collectiones quod spectat, recensetur in **orientali** quidem **Ecclesia** codex canonum adhibitus in Concilio Chalcedonensi, ex quo alia collectio, quae secunda dicitur (p. 93): 3) in **Occidentali** autem recensentur tum **canones Nicaeni,** quo nomine veniunt etiam Sardicenses, unice authentici (p. 96): 4), tum duplex *versio graeci Codicis* **Prisca** et **Isidoriana** dicta: n. 41, 42, 43, p. 92-97.

Epocha III. (a saec. VI ad IX).

Summarium. — Dum in Oriente adhuc viget Nomocanon, 1) *in Occidente* magnae auctoritatis **collectio Dionysii Exigui** canonum et Decretalium in lucem prodiit (p. 97), 2) quam aliae sequutae sunt, 3) praesertim quae **Hispana** seu Isidoriana nuncupatur (p. 99): n. 44 et 45, p. 97–100.

Epocha IV. (ab an. 800 ad an. 1151).

Summarium. — Indicata 1) materia et forma **pseudo-isidorianae** collectionis (p. 100); 2) nec non tempore, fine collectoris et probabili loco; 3) asserimus auctoris nomen neque probabili ratione cognosci; et 4) quamvis plurima in ea authentica esse constet ac genuina, plura tamen supposita sunt; 5) nec eliquata res est quoad omnes fontes, unde sint haec falsa desumpta. Illud autem 6) omnino falsum est, immutatam prorsus fuisse ex hisce falsis decretalibus antiquam disciplinam et nominatim iura primatus Rom. Pontificis (p. 51): n. 45–51, p. 100–109.

De Tempore coaevo vel suppari Pseudo-Isidori.

Summarium. — Hac epocha editae sunt etiam collectiones 1) **dictae Inghilramni**, capitula et **Capitularia Francorum** eodem mediante saeculo, quo pseudo Decretales: 2. ex quibus partim saltem efformatae collectiones postea prodierunt α) *Reginonis Prumiensis,* β) *Burchardi Wormatiensis,* γ) *et S. Anselmi Lucensis, saec. X;* δ) *Cardinalis Deusdedit,* ε) *et S. Ivonis Carnotensis saec. XI* (p. 122): n. 52–53, p. 110.

De Iure novo et novissimo seu Epocha V, et de sequentibus usque ad nos.

Quoad ius novum exhibetur tantum Decretum Gratiani quoad historiam.... et innuitur collectio, quae Bullariis et regulis Cancellariae efformatur, novumque ius constituit (n. 54); cum ius novissimum a Trid. usque ad nos procedit, de quo (n. 55). p. 112, 113.

SECTIO IV.

Quae sint harum legum nunc usu receptae Collectiones, unde leges ipsae cognosci possunt, atque inde legitimi fontes cognoscendi audiunt.

§ 1. De Decretalibus et de Decreto Gratiani.

Assertum. Ad Ius ecclesiasticum seu canonicum scriptum itemque commune quod attinet, 1) facta distinctione in **authenticas et non authenticas** canonum **collectiones** (n. 56), 2) ostenditur authenticas esse **omnes et singulas Decretalium partes,** quibus constat Corpus Iuris canonici (n. 57, p. 117): 3) ad **Decretum** vero quod spectat, illud non simpliciter sed **quadantenus authenticum** esse dicimus (n. 63, p. 129). 4) Porro tum Decretalium, tum Decreti partes **allegandi ratio** breviter indicatur (n. 64, p. 138): n. 56–64. p. 113–14.

§ 2. De Regulis Cancellariae Apostolicae de Bullariis, de Collectionibus Conciliorum praesertim Tridentini.

Summarium. — Post authenticas vel quasi authenticas Collectiones, aliae sunt, quae tamen **absque formidine** citari aut admitti solent. Sunt autem: 1) **Regulae Cancellariae Apostolicae** (n. 65:

p. 140): 2) **Bullarium Romanum** (n. 66, p. 142): 3) **Collectio Conciliorum,** ex quibus peculiari mentione dignum est **Concilium Tridentinum** (n. 67, p. 143): n. 65, 66, 67, p. 140–143.

§ 3. De responsis SS. Congregationum S. R. E. Cardinalium.

Summarium. — Cum vero responsa SS. Congregationum S. R. E. Cardinalium quaedam sint iuris pontificii veluti appendix, hinc non abs re erit, de eorum praesertim collectione nonnulla admonere, tum in genere tum in specie: n. 68–69, p. 145.

§ 4. De collectiobibus iuris can. non scripti et particularis.

Summarium. — Ius canonicum *a*) non scriptum ex testimoniis est colligendum; *b*) particulare autem, sive scriptum sive non scriptum illud sit, iis in locis vel apud ea collegia quorum proprium est, quaeri debet: num. 70–71, p. 148.

SECTIO V.

De legum canonicarum actuali valore, atque de vero earumdem sensu dignoscendo.

Ratio transitus ad hanc sectionem, huiusque necessitas, reique dicendae ordo indicatur: n. 72, p. 150.

CAPUT I. DE REGULIS COMMUNIBUS.

Art. I. De Legum ecclesiasticarum valore recte iudicando.

§ 1. De Cessatione legis.

Assertum. Per cessationem finis intrinseci, et adaequati, et respectu totius Communitatis cessat lex: n. 74, p. 131.

§ 2. De abrogatione.

Summarium. — Declarata abrogationis α) natura eiusque conditionibus, statuitur β) posse fieri abrogationem ab ipso legislatore, vel ab eius in magistratus officio successore, aut superiore (n. 76, p. 156): γ) a supremo Principe factam legis humanae abrogationem validam esse, licet iniuste fiat (n. 77, p. 156): Suarez l. c. n. 6, 25, 8: δ) abrogationem alicuius statuti, Conciliorum etiam Oecumenicorum, nomina-

tim Concilii Tridentini, factam per Constitutionem ei contrariam, valere absque ulla illius mentione (n. 78–79, p. 157). Haec porro omnia, servata proportione, applicantur simul derogationi: n. 78–80, p. 153–160.

De Regulis abrogationis.

Summarium. — Exinde sequuntur abrogationis Regulae: 1. Abrogationem per se numerari inter res odiosas (n. 81, p. 260): 2. legem generalem, licet posterior sit, non abrogare legem priorem specialem, neque particulares consuetudines (n. 82, p. 160): 3) correctionem anterioris legis ulterius, quam verba posterioris exprimunt, non oportere extendi, licet id probabilibus, neque tamen necessariis argumentis suaderi videatur (n. 83, p. 161): 4) legem, quae ad pristinum ius correctivam legem reducit, odiosam non haberi; adeoque esse latioris interpretationis (n. 84, p. 162): n. 81–84, p. 160–162.

§ 3. De Consuetudine.

Summarium. — Praestituta consuetudinis definitione et partitione, recensentur et declarantur essentialiter **requisita** ad ipsam, i. e. 1. ut sit rationabilis, 2. in bonum Communitatis, 3. ex legali consensu legislatoris, et 4. moribus populi inducatur: n. 85–90, p. 163–175.

De clausulis contrariis consuetudini deque huius cessatione.

Summarium. — Unde sequitur, consuetudinem esse *a)* legem, *b)* cui inducendae aut inductae vel contra leges scriptas, si ceteros legis habeat characteres, derogatorias legi contrariae adiectas clausulas non semper officere (n. 92, p. 176); eamque *c)* **cessare** lege contraria Principis, desuetudine, atque alia consuetudine positiva contraria: n. 91–93, p. 175–177.

Summarium. — Hinc percipitur **distinctio consuetudinis** 1) **a iure scripto,** 2) **ab usu et observantia,** 3) **a traditione,** 4) **a praescriptione,** 5) **a stylo curiae et fori:** n. 94–98, p. 178–181.

§ 4. De Dispensatione.

Dico: seu regula est, quod « distinctione facta actus dispensationis a facultate dispensandi, haec, nisi tertio praeiudicetur, favorabilis, ille per se odiosus habetur »: n. 99–100, p. 181–184.

Summarium. — **Dispensare autem potest**: 1) qui in legem potestatem habet, seu superior: inferior vero, potestate expresse vel

tacite a iure aut ab ipso superiore sibi delata, ab huius lege certe dispensat, 2) ita tamen ut **sine iusta causa** superior valide, inferior autem invalide dispenset (n. 100–101, p. 184–189). Unde 3) Episcopi non possunt dispensare a lege Concilii generalis, vel Pontificis Romani, nisi sint casus in iure excepti: n. 100–103, p. 184–197.

Summarium. — Hinc **differentia** percipitur **dispensationis ab absolutione - a licentia - a privilegio - ab epicheia:** n. 104, p. 197–200.

Summarium. — Etsi causa sit iusta, *a*) **non** tamen **tenetur superior dispensare,** nisi *b*) cum vel ius praecipit ex ea causa dispensari, vel necessarium est ad commune bonum vel spirituale subditi, vel ad avertendum grave damnum aut publicum scandalum, et sine dispendio fieri potest: n. 105–106, p. 200.

Articulus II. De regulis generalibus ad germanum sensum legum canonicarum dignoscendum, seu de recta earumdem interpretatione.

Ratio transitus ad hunc art., et ordinis materiae in eo tractandae: n. 107, p. 202.

§ 1. De ipsa interpretatione.

Summarium. — Plures sunt **species** interpretationis: 1) ratione efficientis causae, alia authentica, alia usualis, alia doctrinalis; 2) Ratione modi, quo legis sententia explicatur, alia est declarativa, alia correctiva, alia restrictiva, alia tandem extensiva: n. 108–109, p. 203.

De valore interpretationum quae distinguuntur ratione efficientiae (n. 110).

Summarium. — Doctrinalem Interpretationem moderantur sequentes Regulae, 1) tum **intrinsecae,** scil. 1. Verba accipienda sunt cum effectu; 2. et nisi aliud obstet, secundum propriam significationem: 3. incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere: 4. praecipue vero legislatoris mens inspicienda et tenenda (n. 111, p. 208), tum 3) **extrinsecae,** quales: I. de similibus idem est iudicium: II. ubi eadem ratio, ibi eadem iuris dispositio: III. a casu contrario ad contrariam dispositionem recte arguitur: IV. exceptio a regula firmat regulam in contrarium: n. 111–112, p. 208–219.

De interpretandis clausulis, quae legibus apponuntur.

Summarium. — Ex quibus sequitur, *legibus haud inutiliter apponi clausulas:* quarum tum in genere, tum in specie quarumdam, breviter indicandus est effectus: n. 113–114, p. 219–223.

De usu Regularum interpretationis.

Summarium. — Ad **usum Regularum interpretationis** quod spectat, ut α) prudentia servetur, attendatur materia, cui regula applicanda est, utrum scilicet agatur de re favorabili, odiosa vel mixta: ut β) servetur ordo, cum id est servandum quod ad legis substantiam magis pertinet, regulae intrinsecae praeferantur extrinsecis; in re autem dubia verbis serviendum est: n. 115–116, p. 223–227.

§ 2. De iis quae excusant ab observanda lege, seu de Epicheia et Ignorantia.

I. *De Epicheia.*

Summarium. — **Quibus in adiunctis locum habeat Epicheia,** α) quae est iudicium de non existentia legis prae aliquo casu ex rite praesumpta mente legislatoris, β) docet Regula I. si materia legis, in casu de quo agitur, iniqua vel illicita facta sit; II. vel ita ardua, ut inhumanitatem sapiat, et certe ab aequitate abhorreat; III. si prudenter coniectari possit, quod legislator in hoc vel illo casu lege sua noluerit obligare: n. 117–118, p. 227–231.

Summarium. — Etsi in lege irritante Epicheia α) communiter non admittatur, tamen β) plures sunt legum irritantium casus, in quibus illa locum habet: n. 119–120, p. 232–238.

II. *De Ignorantia.*

Summarium. — Epicheia etiam obtinet regulariter ob invincibilem ignorantiam: I) facti alieni, II) non iuris, III) ad lucrum captandum, et ad poenam evitandam: IV) facti autem proprii, aut ex officio cognoscendi, aut publici, ignorantia non praesumitur: n. 121–123, p. 239–244.

§ 3. De Methodo interpretationis SS. Canonum.

Ratio transitus. Corollaria ex supradictis. **Methodus ipsa scholastica** per exemplum proponitur: n. 124, p. 245–248.

§ 4. De subsidiis Iurisprudentiae seu ad rite faciendam interpretationem.

Summarium. — Praeter Sanctorum Patrum sententias et decreta particularia (quae sua non fecerit legislator), recenseri solent ut subsidia interpretationis A) *immediate et proxime* I. notitia vocum; II. regulae iuris; III. lucubrationes interpretum: B) *mediate* vero studium ceterarum scientiarum, IV. sacrarum, V. legalium et philosophicarum: et etiam VI. ceterarum artium liberalium, e. g. Rhethorices: n. 125–129, p. 247–273.

Scholion circa regulas Iuris civilis ad n. 126. p. 254.

CAPUT II. DE REGULIS PROPRIIS QUARUMDAM IN SPECIE LEGUM.

Quaenam sint species legum, quae propriis sibi utantur regulis: sunt autem

§ 1. De Rescriptis.

1. *De natura, specie ac valore rescripti.*

Summarium. — Declarata I. natura et varia **specie** rescripti, ad huius validitatem generatim II. **requiritur** 1) habilitas personae varia, prout varium est rescriptum, gratiae scilicet vel iustitiae; 2) ut in postulatione nulla fuerit admissa **obreptio** aut **subreptio;** 3) ut nihil ei desit **substantiale in forma** sive interna sive externa, ex quo defectu oritur suspicio falsi: n. 129–134, p. 274–284.

2. *De rescripti interpretatione, executione et cessatione.*

Summarium. — 1. Generatim de vera rescriptorum **interpretatione,** praeter regulas communes quoad leges omnes, speciatim rescripta cohaerere debent cum supplicibus literis, et regulariter strictae interpretationis censenda sunt: n. 135, p. 286. II. **De executoribus** vero indicatur *a*) quinam sint eiusmodi executores; *b*) quae et quanta eorum opera esse debeat; *c*) intra quod tempus iidem sint adeundi: n. 136, p. 287. III. Breviter tantum innuitur **cessatio Rescriptorum:** n. 135–137, p. 291.

Appendix de clausulis Rescriptorum: n. 138, p. 292.

§ 2. De Privilegiis.

1. *Notio seu natura et divisio Privilegiorum.*

Summarium. — Privilegium, quod **definitur** concessio permanens alicuius iuris specialis a legitimo superiore facta, **in varias species distinguitur:** 1) aliud a iure aut ab homine; 2) aliud contra vel praeter ius; 3) aliud personale aut reale; 4) aliud gratuitum, onerosum aut remuneratorium; 5) aliud motu proprio aut ad instantiam: n. 139-140, p. 295–298.

2. *Interpretatio, acquisitio, cessatio Privilegiorum.*

Summarium. — Privilegium 1) extensivam proprie non admittit, comprehensivam vero, iuxta varias suas species, varie recipit **interpretationem:** 2) tum inter modos privilegia **acquirendi** recensetur speciatim communicatio et confirmatio: 3) tandem exponuntur privilegiorum **cessationis causae** variae sive concedentis, sive subiecti, sive ipsius privilegii: n. 141–143, p. 298–301, 302–306.

De **clausulis** appositis in confirmatione privilegiorum: n. 142, p. 301–302.

§ 3. De Legibus particularibus.

Summarium. — Leges particulares sunt, quae pro aliqua provincia tantum, dioecesi aut urbe edicuntur. Legum ergo particularium proprium et essentiale, quod commune in particularibus dici queat, in eo est, quod respiciant particularia loca et particulares Communitates ac personas. Quadruplici autem modo persona aliqua comparari potest ad aliquod territorium: n. 144, p. 306–307.

Quaer. **Quinam obligentur legibus territorii.**

Assertum I. Leges nonnisi in subditos ferri possunt, h. e. nemo lege obligatur nisi qui, aut omnino, aut in eo, de quo agitur, subditus sit: n. 145, p. 307–308.

Quaer. **An subditus extra territorium suum huius legibus obligetur, cum praesertim exeat in fraudem legis?**

Respondetur per seq.

Assertum II. Etiam subditus extra territorium non obligatur (nisi forte fictione iuris in territorio esse existimetur), quamvis in fraudem legis e suo territorio digrediatur alio: n. 146–148, p. 309–310.

Assertum III. Etsi α) leges per se et ordinario non ferantur in personas absolute, sed dependenter a territorio; β) nihilominus si quae personales sunt, personae adhaerent, γ) ceterae autem locum respiciunt: n. 149–150, p. 310–312.

De usitata partitione Iuris canonici in libros de personis, de rebus, de iudiciis, de delictis et poenis.

Summarium. — Variae enatae sunt iam olim partitiones in libros Iuris can., prout variae methodi adhibebantur, practica scil., historica, aut philosophica seu logica. Omnium porro antiquissima et communis adhuc est, quae indicatur: in libros scil. de Personis, de rebus, de iudiciis, de delictis et poenis. Porro eiusmodi partitio logice omnino procedit, adamussim respondens ordini perutiliter adhibito in iure publico, quoad potestatem legiferam, iudiciariam, coactivam, cuius triplicis potestatis acta sunt ipsae leges canonicae..... Hinc, post ea quae exposuimus in Iure publico, libenter retinemus usitatam iam fere a Gratiano Iuris can. partitionem: n. 151, p. 312–315.

Operis approbatio.

Cum opus, cui titulus: *Praelectiones Iuris Canonici quas in schola Institutionum Canonicarum habebat P. Marianus De-Luca S. I. nunc Textus Decretalium Professor.... Introductio generalis*, aliqui eiusdem Societatis Theologi recognoverint et probaverint, facultatem concedimus, ut typis edatur.

Romae, die 6 Ianuarii 1897.

Franciscus M. Carini S. I.
Praepositus Provinciae Romanae.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarcha Antioch. Vicesg.

3921